



Ant. Baldi Inv. et del. F I And. Magliar Sculp. Neap.



CAMILLI EUCHERII DE QUINTIIS

E SOC. JESU

INARIME

SEU

DE BALNEIS PITHECUSARUM

LIBRI VI.

SERENISS. LUSITANIÆ REGI

JOANNI V.

DICATI.





NEAPOLI,

Excudebat Felix Mosca cIↄ. Iↄcc. xxvi.

SUPERIORUM FACULTATE.


Biblioteca Nazionale V.E. III
NAPOLI



Ant. Baldi inv. et del. F II And. Magliar Sculp. Neap.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO

LUSITANIÆ REGI

JOANNI V.

Jo: BAPTISTA DE QUINTIIS PRÆTORII AMITERNI MARCHIO.



Uamquam, SERENISSIME REX, multis obæratum nominibus me Patruo meo profitear: id tamen potissimum est, cur eidem gratias habeam immortales; quòd Lucubrationibus hisce suis (quæ-

cumque illæ ſint) viam veluti ſtraverit, quà tuis advolvi pedibus auſpicatò liceret; mihique omnibus naturæ, artiſque præſidiis deſtituto ad tam ſingularis gloriæ faſtigium pateret acceſſus. Fruar igitur tam excellenti Fortunæ beneficio; nec præclaram adeò nanciſcendi patrocinii tui occaſionem oſcitanter e manibus labi ſinam. Multa profectò fuere, quæ me ſub initium ab hoc aditu laudis non removerent modò, ſed abſterrerent omnino: cum viderem obſequentis animi reverentiam tantæ amplitudini parem afferre non poſſe. Audaciæ notam verebar, quòd mei penè immemor tuum voluerim in conſpectum venire, oculoſque laceſſere. Sed metum omnem, quem ipſa nominis tui Majeſtas incuſſit, e veſtigio deterſit penitùs, atque adeò præſidentem fecit eximia illa facilitas, quâ rude hoc, atque impolitum Opus cum ſuo Auctore perhumaniter excepiſti. Ex illo quippe ad bene de me ipſo ſperandum quaſi ſignum aliquod ſuſtuliſſe viſus es. Nec mihi perſuadere poteram eâdem me

cum

cum illo honorum ſocietate non iri conjunctum, quîcum arctiſſimo propinquitatis nexu conjungerer. Patere igitur, REX INVICTISSIME, quas vagientes in cunis, ac penè lucis uſurâ gaudentes olim Muſas haſce lactaſti, eaſdem nunc regali adultas ſub umbrâ, ac tuo nomine ſuperbientes, nomine itidem tuo tegendas, a me Tibi ſiſti. Abeat, quæſo, cum ſuo Mæcenate Horatius, cum Auguſto Virgilius, cæterique, qui ab Imperatoriâ non minùs lauro, quàm ab Apollineâ omen ſibi, nomenque peperere; Ut ut illis Eucherium aſſurgere & ſtyli candor, & aurei ſermonis venuſtas, numeriſque omnibus abſoluta cogat Poëſis: patrocinio tamen tuo clariorem non fucatæ aſſentationis lenocinium, ſed intaminatæ veritatis evidentia demonſtrat. Quantum illi ab implorata Cæſarum ope, ac præſidio decoris ſibi, atque ornamenti adjunxere, Famâ ſolùm accepimus: quantum Opellæ huic ſplendoris, ac dignitatis a Te uno acceſſerit, oculis ipſi noſtris uſurpamus; credimus illa: hæc intue-

mur;

mur ; ſplendido fortaſſis illa ambitionis mendacio commenta : hæc, ſupra fidem quamvis, teſtimonio tamen locupletiſſimo roborantur. Quòd pretium Camœnis hiſce Balneariis unicè feceris, in magnâ licèt, non tamen in ſummâ laude ponendum : illud ſingulare, quòd vitam ipſam attuleris. Neque ſpiritum adhuc e cœlo ducerent, niſi per Te feliciter hauſiſſent ; metuentes continerent ſe domi, niſi eduxiſſes ; reperent humi, niſi manu veluti tuâ erexiſſes, atque ad ſupremum, quò ne ſpectaſſent quidem, gloriæ verticem extuliſſes. Hàc planè illis ire ſucceſſit. Non tamen via facta per gradus : momento ad culmen evaſere ; inter infimam originis conditionem, & maximam adſcitæ dignitatis eminentiam ne punctum quidem temporis interceſſit ; ut celeritas, ingens beneficio pondus accederet. Vix Aulæ tuæ, vix oculis patuere : cum repentè ſupra omnem aleam poſitæ, hâc aurâ favoris diem ſunt imitatæ, ac Solem : qui non parte aliquâ, ſed ſtatim emicat totus. Neque verò paſſus

es

es ut rogarent : vota ipſa prævertere voluiſti. Ea quippe, ea eſt indoles ingenii tui, ut nativis quibuſdam igniculis ad Literarum tutelam feraris. Non aliunde accerſitus, ingenitus Tibi liberalium Diſciplinarum amor; cum ſanguine a Majoribus tuis accepiſti. Et ſanè, niſi inconcuſſa Annalium fides, tot, tantiſque Scriptoribus perpetuò firmata, ab CAROLO inter Cæſares MAGNO (per quem bonæ Artes diu conſepultæ tandem aliquando revixere) Te originem tuam repetere luculentiſſimè comprobaret : Idem ipſe, poſthabito Veterum ſuffragio, per Te dilucidè evinceres. Hæredem tanti Principis ex aſſe oſtenderet innatum illud omnigenæ literaturæ Studium, quo ad Sapientiam ſponte, ac vehementiſſimè inflammaris. Luce ſunt clariora, quæ loquor; nec adventitiis probanda argumentis, cum domi, ut ajunt, mihi abunde naſcantur. Ut cætera deeſſent, an non id palam omnibus factum, cum nunquam aliis antea excogitato conſilio Hiſtoriarum Academiam Tu omnium primus in Urbibus

tuis

tuis instituisti: ac facem veluti reliquis Nationibus ad tantum Opus prætulisti? Quo profectò Mortalium felicissimus id es assequutus, ut per Te spiritus apud Posterorum memoriam iis rediret, quos luce jamdiu carentes penè ab interitu vindicasti. Quamquam quid est cur Institutionibus hisce tuis materiem ab alieno repetam Solo, atque ab ipsis penè Inferis arcessam; cum a Te uno, vel in primo vitæ tuæ rudimento, uber adeò seges suboriatur, ut tuis hactenus rebus fortiter gestis, tot Scriptorum ingenia, industriæ, ac labores pares esse vix possint? Adhuc in medio relictum, scribenda ne facere, an facta scribere gloriosius? utrumque unus idemque complexus es; campum enim factis tuis, in quo excurrere posset Historia, aperuisti latissimum: & per Te ipse scripsisse dici potes, qui aliis ad scribendum animos, viresque addidisti. Exultaret in hoc Oratio mea, REX INVICTISSIME, si alios quosque, qui tam ambitiosæ laudis fuco trahuntur, non Te unum illa respiceret, qui humano altior fastigio, ea

dum-

dumtaxat Te digna æſtimas, quæ per ſe Famâ ſtant ſuâ: non quæ literis commendata alii de Te dixerint, chartæ, aut marmora inciſa notis loquantur. Intelligo profectò ea ſolùm apud Te eſſe in honore, ac pretio, quæ nullis circumcluſa limitibus, temporibus definita nullis, æternitas una & metiatur, & comprehendat. Supra votum hoc tenes, & ſupra invidiam. Hæret enim, hærebitque in poſterum altè cordibus hominum infixa Operum tuorum memoria; creſcet in dies magis, magiſque; neque ulla unquam ætas ea ſilebit, quæ ſeculorum omnium recordatione florebunt. Nec verò Te, cum in eorum ore verſaberis, ab ipſo tantùm Juventutis flore recordabuntur; a bullâ, ac penè a crepundiis inſpicient. An non erit omnibus argumento perennis animi tui firmitas, conſtantia, robur, quòd ſub ipſa Regni, atque adeò vitæ primordia in pactâ ab Parente Optimo cum fœderatis Regibus fide permanſeris? An non moderationem ipſi tuam prædicabunt, quâ ſupra ætatem, mortalemque

 ho-

hominis conditionem, pacem armatus, ac victor amaveris? cum per id temporis constitutam volueris, ubi, assertâ jam victricibus armis Conciâ, [a] ac solutâ ab unâ ex munitissimis Arcibus [b] hostium obsidione, in eorum perniciem belli turbinem vertere, blandiente tunc maximè Fortunâ, jam poteras? Victoriam ipsam (ut ille olim) vicisse videberis: cum eam ad signa feliciter tua convolantem, in castris tuis merentem repressisti. Non enim inanes Triumphi imagines, ac simulacra, sed veram, solidamque gloriam, Populorum nempe, Regnique Tranquillitatem quærebas. Illucescet profectò dies, quâ Posteri benefactorum tuorum voluptate deliniti, quoties Te crebris usurpabunt sermonibus, toties beneficia tua usurpabunt. Quàcumque oculos conjecerint, ubique munificentiæ tuæ impressa vestigia obstupescent. Nec Navalia tantùm construendis navibus opportuniora: Tagum Na- [illegible] vi-

(a) *Conciâ*. Concia, vulgò *Mironda*: In finibus Vectonum, ad Durium fluvium in Lusitaniâ: quam Hispani occupaverant.

(b) *Una ex munitissimis Arcibus*. Vulgò, *Campo Maggiore*; ab iisdem validissimâ obsidione clausa.

(a) *Ulyf-*

vigantibus majori ne dixerim curâ, an impendio tutiorem redditum suspicient: cum ne pars quidem una totius Imperii tui laudum tuarum præconio carebit. Veniet tempus, quo Minoribus suis dicere gestient, quem honorem, dignitatemque Sapientiæ Doctoribus habueris; ut profusissimis Fisci sumptibus Studia amplificaveris; ut sub Te spiritum, sanguinem, patriamque receperint; in complexu semper, in oculis, in auribus habueris; tantumque ea Tibi fuerint, quantum illis commendatissimus; nec ulla unquam extiterint, quæ, facillimè, atque in primis admissa, sinu tuo non exceperis. Quâ tunc jucunditate in mentem veniet, ac sermonem Mathesis, cui amplificandæ natum Te propemodum Linguarum omnium commendatione prædicabunt? Hierones proculdubio suos, Te Sospite, Archimedem, si adhuc viveret, non desideraturum opinor. Quin imò, Terram vectibus ille suis dimoturus, a Te uno in Regnis tuis, ubi penè extra Orbem consisteret, habuisset. Vastissima quamvis Mathema-

 ticæ

ticæ Conimbricensibus, atque Eborensibus paterent spatia Palæstris, animo tamen tuo paria non erant. Ulyssiponem etiam, tanquam in Capitolium, invectam voluisti. Quid plura? Lyceis auxisti; hoc quoque parum est: Honorariis Professorum Ordini in annum assignatis locupletasti. Eo sanè consilio, ut in ipsâ Regnorum tuorum Arce, in Aulâ ipsâ Regnatrice Facultatum omnium Dominatrix triumphatura eveheretur; ac meritò tum Ulyssem (a) illa Conditorem jactaret, cum se literarum studiis per Te non degenerem tanto Parente probasset. Aliud ex alio succurrit illustrius: tantùmque mihi requirendus e copiâ delectus: cum maximam ex unâ hâc dicendi patiar difficultatem. Hactenus bonæ Artes a Te in aliis excultæ; quid tuæ in Te uno altiùs residentes? Felix Arcadum Cœtus, qui Te non Patrono solùm, sed (ò inauditam animi fato suo majoris demissionem!) sed Pastore gloriatur!

Quâ

(a) *Ulyssem illa Conditorem &c.* Vi. 1 de primas Not. in seq. Carmine.

(a) *Cum*

Quâ lætitiâ Summus olim in Terris divini Numinis Vicarius, CLEMENS scilicet XI. redivivus gestiret, cum Te inter Arcades eo videret nomine Acclamatum Arcadem, quo ipse in Pastoricio eodem Conventu gaudebat? Dignâ sanè nominis translatione: ut ab summo totius Ecclesiæ Hierarchâ in Eum, hæreditario veluti jure, transiret, qui acceptâ a Majoribus suis pietate, ad amplificandam Religionem tantopere incumbat. Experimento satis oppidò ad hoc esse poterat omnibus, quod periclitanti ab teterrimo Christianæ Reipublicæ hoste Corcyræ, instructâ commeatibus, atque innumeris militum copiis classe præsentissimam opem attuleris. Satis, inquam, hoc aliis, Tibi uni non satis. Tam velox, ac præpes, CELSISSIME PRINCEPS, tamque ad omnia intenta pariter Pietas, atque accincta, ut tristius aliquid hâc tempestate passis, illud unicè pro remedio, ac salute sufficiat, Te scire. Fortunam ipsam, Ulyssiponi nimis infensam, de tuâ bonitate, de vigilantiâ documentum capere voluis-

se

ſe crediderim : cum graſſante [a] elapſis annis per totam Urbem contagione, materiem virtutibus tuis, campumque proſtravit. Inſedit altè Ægrorum viſceribus Lues, ut Tu medicinam adhiberes; Fluxit affatim malorum ſeries, ut cauſſam radicitus evelleres; Inopiâ laboratum, ut inopiam ipſam ditares. Nec erogatum petentibus auxilium, ſed neſcientibus ultro delatum: atque eâ, ſupra quàm cuiquam credibile eſt, auri vi, atque argenti delatum, ut Contages Ægris, Indigentibus Egeſtas, ſuus denique Miſeris luctus, atque afflictio tanti fuerit. Divinum id moribus tuis æmulatus, ut mala ipſa in bonum ceſſiſſe coëgeris. Maxima quidem hæc eſſe injuriâ inficias irem, niſi extarent alia majora. In homines adhuc beneficus eſſe viſus es: quid in Superos dicam? Dies profectò me deficiat,

(a) *Cum graſſante &c.* Anno nimirum 1723., cum per Autumnum ſæviſſimè plures menſes totâ Ulyſſipone Lues veluti quædam graſſaretur, morbi cauſſas omni impendio detectas, ac propulſatas voluit Piiſſimus æquè, ac Celſiſſimus Princeps. In omnes vaſtiſſimæ Urbis Parœcias auri vim non exiguam diſtribui juſſit: ut Malo in medicinam, Ægrotis cederet in levamen, ac præſidium: cum quotidie in ſingulos nummus, vulgò *Cruciado nuovo*, erogaretur. Nec minor Sereniſs. Regis cura fuit ut gratuitò, ac Fiſci ſumptibus tantùm, Omnibus Pharmacopolarum Officinæ paterent, Medici opem ferrent, alimenta affatim ad delicias uſque, bellariis etiam plenâ manu congeſtis, ſuppeditarentur.

(a) *Ma-*

ficiat, si, quæ dici in hanc rem possent, coner exprimere. Quotus enim quisque est, qui verbis assequatur ea, quæ assequi cogitatione vix credam? Delubra ne magnificentissimis molium substructionibus miraculo paria, an Sacrorum Cæremonias, Ritusque Româ, atque e Vaticano ipso in Lusitaniam inductos enumerem? Impetratum Patriarchæ Munus, Ædemque recèns erectam, an amplissimum Canonicorum Collegium redditibus auctum, honoribus, ac privilegiis decoratum? Mafrensia,[a] an Ulyssiponensia aggrediar Templa? Opes ne locupletissimas, ac divitias Divino cultui mancipatas, an Operum Majestatem? Non is ego ab ingenio, non is ab arte, ut ea pro virili commemorem, quæ Famâ ipsâ majora censentur: vel laudatione saltem aliquâ ea, quæ summa sunt, hoc est Tua, carptim, cursimque perstringam. Thimantem [b] hìc, ex arenâ

con-

(a) *Mafrensia &c.* Præter Patriarchalem Ædem Ulyssipone magnificentissimè regiis impensis Vaticanæ parem, ac geminam satis hactenus cum suo Patriarchâ celebratam, ac notam: vicesimo ab Ulyssipone lapide in Loco Indigen. *Mafra*, Templum adeò inclytum Serenissimi Regis JOANNIS V. munificentiâ extructum est, ut miraculi loco haberi possit. Huic se Cœnobium etiam pari splendore, ac majestate additurum Piissimus Rex pollicetur.

(b) *Thimantem &c.* Vide *Plin. l.35.c.10.*

(a) *Of-*

consilio, imitabor. Agamemnonis ille, Iphigeniæ nempe ad Aras perituræ Parentis, vultum, quem dignè exprimere non poterat, celavit. Quæ pro rei dignitate verbis complectendo non sum, si minùs superinductis artificio lineamentis, silentio saltem involvam. Non tamen hìc inter tot decora, & digna tanto Rege ornamenta, defuturum mihi, defuturum Eucherio arbitror locum, in quo æternum Tibi uterque reverentiæ suæ monimentum exhibeat. Perge igitur, REGUM CLEMENTISSIME: & eà, quâ te supra hominem probas, humanitate utrumque excipe:

Officiique [a] *levem non aversatus honorem,*
En Tibi devoto munere dexter ades.

(a) *Officiique &c.* Ovid. Fast. 1.

SERENISSIMO REGI

VATIS OBSEQUIUM.



NCLYTE REX, Regumque jubar, qui clarus Ulyssei [a]
Regna beas fundata manu; vectigal ab Axe
Cui gemino Titan, cui pendit ab æquore Tethys,
Et nova Parrhasio Tellus ignota Trioni;
Excipe pacato, serta inter laurea, vultu

(a) *Ulyssei Regna*. Ulyssiponem nempe, Ital. *Lisbona*: Primaria Lusitaniæ Urbs, & Regum Sedes: quæ a Multis, & præsertim a Solin. c. 36., & Stra-

Ænarides prono famulantes poplite Musas.
Hoc erat in votis: huc me mea fausta ferebant
Fata: insperanti parat hunc Thymbræus honorem;
Quem neque fatidicis cecinisse oracula Delphis:
Alituum lævo nec præsentire volatu
Augur: & inspectis Babylon sperasset ab astris.
Scilicet hoc reliquum; deerant hæc ultima Famæ
Incrementa tuæ; ut teneas cum summa: nec ultra
Progredier Tibi posse datum, quò splendor, & auctis
Crescat honor titulis: sic denique surgat uterque
Altiùs, e Solio si Te demittere Virtus
Jusserit hæc facili deducta ad carmina filo.
Ergo ne Vestino [a] *risit tam prospera Vati,*
Porrectis Fortuna comis? hæc debita plectris
Auspicia? hæc nostro tandem data meta labori?
O nunquam lustris posthac abolenda futuris
Gloria! Hydaspeis quam signet fulgida gemmis,
Ducta vel Heliadum pretioso litera fletu.
Ite, meæ quondam citharæ decus, ite, Camœnæ,
Clara coronatis quà postibus Aula renidet,
Et Cœlo tantùm illa minor. Parnassia Pindi
Nec vos pœniteat regali culmina Tecto,
Permessum mutare Tago, nec Principe Phœbum.
Sæpe Pithecusas [b] *tacitis dum conor ab umbris*
Eruere: atque aliis nomen transmittere seclis;
Dicebam (memini) nec in irrita vota trahebar:
Inarime, mea cura, mei pars altera: carmen
Qui rude, & ignaro modulatus pectine chordas,
Chalcidicâ nuper cecini te lentus in Actâ;
Quàm vereor, ne longa tuæ tibi tempora vitæ
In-

& Strabone (ut Harduin in *Not. Plin. l.4.c.22.*) ab Ulysse condita dicitur.
(a) *Vestino &c.* De voce hâc satis in *Not. pag.167. lit.b.*
(b) *Pithecusas*. Pithecusæ, Nostr. *Ischia*. Vide *Not. lib.1. pag.3. lit.b.*
(a) *Ly-*

Invideat Sors atra: & fata extrema sequaris,
Indecori consumpta rogo, damnataque busto!
Vade, sed inculti qualem dedit esse Parentis
Conditio: patriæque memor cape munera sortis.
Vade: sed Euboico tantùm contenta recessu,
Et gyro spatiata brevi, procul ardua quæras
Ne juga, nec tardos Arctoi Cardinis ignes,
Aut Austri tentare vias; non præpetis Euri,
Non Zephyri lustranda levi domus ultima lembo.
Namque tuis fido non hic quæ sidere velis
Pandat iter Cynosura: novo nec remige Typhis,
Parva per ignotos ducat qui lintea fluctus.
Dum loquor, actutum Cœli de parte serenâ
Intonuit lævum: subito præit aura susurro
Blandior: attentas vox reddita fertur ad aures.
Solvat io, dixit, nativo e litore, lætâ
Solvat avi Inarime; neque clarius æthere ab alto
Sidus amet fulsisse suis, Helicenque carinis,
Quàm Lusitanâ quæ se præpandit ab Arcto.
Non alium auspicio Typhin meliore requirat,
Quàm quo per domitum Ductore ingressa Profundum
Lysia Gens, [a] *Argûs, Minyarumque æmula Pubes*
Fregit Atlanteum remis audacibus æquor:
Et geminos victrix delata tetendit in Axes.
Vix ea: cum resonis jucundum e vallibus auræ
Murmur, & insolito geminantes gutture blandum
Carmen aves, certo firmarunt omine mentem.
Grandior ex illo sibi visa, repentè paternam
Inarime contemnit humum: contemnit agrestes,
Atque humiles habitare casas; postesque salignos,

 An-

(a) *Lysia Gens.* Lysia Gens, Lusitani nimirum, a Luso, & Lysâ, seu Lysâ Bacchi sociis, quos Lusitaniæ nomen dedisse, Antiquitas fabulata est apud Plin. *l. 3. c. 1.*

(a) *Age-*

Antraque, & excesæ latebrosa cubilia rupis.
Nec satis hoc: dudum sublimi vertice pulsat
Nubila; vulgaresque, astris contermina, cœtus
Vecta super, renuit circùm privata morari
Limina: patricios fastidit & illa penates.
Una rapit vigilem, non mollibus una fatigat
Cura animum stimulis: Aulâ, REX ALME, potiri
Posse tuâ; & centum regalibus oscula plantis
Figere: & acclini vestigia lambere linguâ.
Nec mora: cognatis nido, plumisque relictis,
Ad tua, solicito devecta per æquora cursu,
Atria contendit supplex; demissaque frontem
Hoc petit: hoc, fatis nunquam cessura sinistris,
Flagitat; optatis ut postquam constitit oris,
Devotum Solio cor sistere: Principis almo
Obtutu expleri liceat; damnataque votis,
Optat amans tantâ vitam pro laude pacisci.
Quid moror? & tacito quid nunc mea gaudia præ-
Continuisse sinu? laxatâ Phœbus habenâ (stat
Lætitiæ det signa suæ; victuraque in ævum
Augusto erumpat malè clausa in corde voluptas.
Audiat hæc: factique memor, quæ labitur, ætas
Testis amet seclis eadem mandasse futuris.
Excessura fidem quamvis, mirandaque, credat
Posteritas: nostroque libens gratetur honori.
Credite: non vanis sensum præsagia spectris
Delusere: leves nec vox evasit in auras
Ludicra; regalis dimoto cardine Sedis
Extemplo patuere fores; ad tecta vocatur
Inarime: Augustas immittitur hospes in Ædes.
Nec tantùm hospitio, PRINCEPS, dignaris, & Aulâ
Excipis; ornatam sertis (proh sancta Pronœæ
Numina, quem tandem Terris Heroa regendis

An-

Annuitis Cœlo lapsum!) Solioque receptam,
Regifico, Generose, jubes præfulgere in ostro.
Per Te, qui vires opera ad majora ministras,
Imperio jam digna nitet: gemmantia tractat
Sceptra manu: Tecumque sedet par illa; precantes
Audit, & æquali Populos ditione coërcet.
Jamque peregrinis spirare insignibus altum
Visa, supercilium, majestatemque verendam
Induit: & vultu Fortunam elata fatetur.
Pieridumque memor, per quas celebrata renidet,
Reptantes attollit humo: penitùsque jacentes
Erigit, erectasque animis regalibus implet;
Et cupit exorti secum gaudere Curuli.
Hactenus, ignotas inter quæsita myricas,
Stramineum plerumque larem, tugurjque latebras
Incoluit; parcumque solo captura soporem,
Æquoreâ durum stravit pulvinar in algâ.
Hactenus attritam plebejo cyclada cultu,
Nuda pedem, membris aptavit; & usta frequenti
Sole genas, inopi tantùm contenta paratu,
Aut myrto evinxit crines, aut nexa ligustris
Inseruit teneræ subrustica lilia fronti.
At nunc informi dona hæc sylvestria luxu
Dedignata, aliis exornat tempora sertis.
Pro myrto gemmas, capiti pro floribus aurum
Addit, & Eoo quidquid Thetis Indica Ponto,
Quidquid in Agaricâ (a) *jactant Pandiones* (b) *Actâ.*
Illam Cumeo vix tactam Nauta phaselo

No-

(a) *Agaricâ &c.* A Sinu Agarico, seu Argarico, & Olgarico (*ut Ferrar. in Lexic. Geogr.*) qui Gangetici pars est: inter Peninsulam Taprobanam (vulgò *Ceilano*) & Coryn, vulgò *Manar*.

(b) *Pandiones*. Pandiones olim incoluere Oram illam, quam nunc *Coromandel* dicunt, ut Giannettas. *Geograph. l. 6. c. 4.*: & cujus pars Australis, ab insigni margaritarum piscatione, *Costa della Pescaria* vocatur. Giannet. *in Not. lib. 10. Halieutic. pag. mihi* 229.

(a) *Re-*

Noverat; Euboicâ procul hinc e ſede, remotus
Diſcet Iber, Rhodanique colit qui litora: quoſque
Rhenus alit, Tameſiſque ſuo quos alluit alveo,
Quique alio ſub Sole calent: madidiſque rigentes
Sæpe comis, alium ſoliti laſſare Booten.
Non tamen hanc adeò tantæ faſtigia ſortis
Immemorem fecere ſui; nec regia tales
Limina dant animos, ut priſcum oblita recuſet
Noſſe gradum, & fato ſe ſe geſſiſſe minorem.
Namque per inſolitos Tecum ad ſublimia calles
Dum rapis, evectam, REGUM ter MAXI-
ME, cogis
Te coram in patrio ſibi jam vileſcere cenſu.
Quippe, ubi Pæonias Tibi cernua ſtraverat undas,
Pauperiem confeſſa ſuam, ſpernendaque donis
Protinus erubuit: Dominoque expalluit impar.
Qualis adoratam ſylvis cultura Dianam
Inter Hamadryadas ſi quando ruſtica Nymphas
Phidila convenit, detrito lurida panno,
Incultiſque comis: turpi dum vilia præbet
Poma manu, viſo tunc Numine territa, greſſu
Proripuit ſe ſe tacito: pudibunda receſſit,
Et procul obſcuris timidum caput abdidit antris.
Haud aliter, refugis torquens veſtigia plantis,
Illa verecundis latuit penè obruta lymphis. (vis
At prohibes, REX ALME, fugam; turgentia quam-
Tot Tibi ſupplicibus famulentur Flumina ripis,
Et gemmas, aurumque rotent: haud ulla liquorum
Munera, tantarum ſpernis Dominator Aquarum.
Oceani in morem, Fluviorum maximus Auctor
Qui licèt, & cunctos itidem licèt ubere Fontes
Contineatque ſinu, Terraſque immittat in omnes;
Haud tamen, exiguo tunc cum redit amne, repellit
Albu-

Albuneam: veteri sed rursum in sede locatam
Accipit: & totis remeantem amplectitur ulnis.
Lysiadûm augusto quid aquatica dona Potenti
Regnatas inter Scatebras,[a] *Fluviosque,*[a] *Lacusq;*[a]
Nunc opus? auriferas viden Olli ut vectet Arenas
Ditior, impositoque fluens ut Ponte tumescat
Munda:[b] *Machaoniis & gratior usibus aptam*
Fundat aquam Populis, illibatamque ministret?
Non ego te parili florentem laude relinquam,
Ozecare,[c] *& celsis venientem e montibus, Ana;*[d]
Condere qui cæco sub opertam tramite terram
Sæpe caput gaudes, & sæpe renasceris idem.
Stat Minio,[e] *Durioque*[f] *decus:merituſq; Tuellam*[g]
Si-

(a) *Regnatas inter Scatebras &c.* De Fontibus, ac Balneis Lusitaniæ medicatis, consule, quæ dicentur *lib. 5. pag.* 249. 250. 251., & ibid. in *Not.* præsertim *lit. b., & seqq.*. Nec non Andream Resendium *lib. 2. De Antiquit. Lusitan.*

(b) *Munda.* Munda, vulgò *Mondego*: de quo, præter cæteros, Ptolem. *l. 2. c. 5.*, Plin. *l. 4. c. 22.*, Strabo *l. 3.*, Auriferis arenis ut Tagus, Conimbricam alluit. Superbissimo Ponte ab Rege Alfonso Henriquio constructo, atque a Sancio I. ejus filio restaurato conspicuus. Incorruptis aquis, haustu salubribus, ac medicâ virtute præditis commendatus. Ejus virtus præsertim contra sanguinis, atque Intestinorum calores, contra Convulsiones, ac Spasmata &c. Ita ex Litteris citandis *pag. 249. lit. b.*

(c) *Ozecare.* Ozecarus, Indig. *Zezere*, prope Mundam in Turdulis, (Ital. *Provincia di Beyra*) in Tagum influit, aureis etiam arenis. Hujus aquæ utiles sunt ad pellendum Hydropem: & generatim ad sedandos Tumores a calore provenientes: ut ex Allegatis Liter.

(d) *Ana.* Anas, sive Ana, Lusitan. *Guadiana*: Evandriam, Indig. *Olivenza*, intersecat. De hoc Plin. *l. 3. c. 1.*, *Oriens hic*, inquit, *Laminitano Agro* (vulgò Campo di Meutiel) *citerioris Hispania: & modò se in stagna fundens, modò in angustias resorbens, aut in totum in cuniculis condens, & sæpius renasci gaudens, in Atlanticum Oceanum effunditur.* Diureticâ, ut ajunt Medici, virtute præsignis est. Ex supra citat. Liter.

(e) *Stat Minio.* Minius a copiâ Minii, quo abundat: dictusque Lusit. *Minho*: inter celebres Lusitaniæ Fluvios. De hoc etiam Pli. *l. 4. c. 20.*: *Et quatuor mille passus ore spatiosum* asserit. Oriri ad Aras Sextianas, vulgò *Lugo*, ait Glaunert. *Geograph. lib. 3. cap. 4.* Ejus virtus præcipua est ad eijciendos Vermes, & contra Morbum Gallicum: ut ex Liter. cit.

(f) *Durioque.* Durius, vulgò *Doro*, seu *Duero*: *e maximis Hispania*, ait Plin. *l. 4. c. 20.*; ibidem nascitur: provenitque a vasto Lacu in Monte Idubedâ, Indig. *Sierra d'Orbion*, juxta antiquam Numantiam. Lusitaniam deinde ingrediens, Urbem Conciam, Indig. *Miranda*, alluit. E parum utili saluber hìc evadit, ad expellendos præsertim Flatus, quos Melancholicos vocant, & Cephalalgiam. Ita Literæ allegatæ.

(g) *Tuellam.* Tuella, ex iisdem Literis, in Gallæciâ ortus, per Lusitaniam prope Urbem, vulgò *Vignali*, fluit; in Durium deinde se exonerat:

ma-

Signat bonos ; jactisque licèt sub Molibus erret
Arte laboratis multâ , præstantior olli
Non una e domitis consurgit adorea morbis.
Et Taboræ [a] *depulsus Hydrops , diffractaque fibris*
Lithiasis veteri [b] *sua dat præconia plausu.*
Quid modicâ referam sub regia jura fluentes
Callipodem , [c] *Limiamque* [d] *chely , Næbimque ,* [e]
Cadavumque , [f] *(sitem ,* [h]
Et Vacuam , [g] *& gemino claratum nomine Ale-*
Æminium,[i] *Suburemq;*[k] *& pressũ puppibus Avum?*[l]
Serus ab occiduâ noctem vehet Hesperus Oetâ,
Si medicâ tot clara velim virtute , vel auro
Perlita Pierio distinguere Flumina cantu.
O quis io levibus vectum per nubila pennis
Sistat ,

---

magnificentissimus illi Pons impositus undeviginti arcubus affabre laboratis. Lithiasim, atque Arenas expellit.

(a) *Et Tabora.* Tabora, vulgò *Tavora*, ortus in Provinciâ, quam Evardiam appellant, Turdulos alluit. Hujus aquæ diureticæ, ut ajunt, utiles habentur contra Hydropem, & Lithiasim. Ita ex literis &c.

(b) *Lithiasis.* Lithiasis, Ital. *Mal di pietra*. Vide *Not. pag. 187. lit. d.*

(c) *Callipodem.* Callipodes, ut Resendius: Aliis Calippus: Lusit. *Cadam*, seu *Zadaon*, & *Sandano*, ut Ferrar. *Lex. Geogr.* Ab Agro Eborensi veniens, fluit ad Cetobricam (vulgò *Almadas*, Ptolomæo *Setuval*) ad ostia Tagi.

(d) *Limiamque.* Limia, ut Mela, & Plin. *l. 4. c. 20.*, & Limæa id. Plin. *c. 22.*, vulgò *Lima*: & Straboni *lib. 3.* Lethe: *& oblivionis Antiquis dictus, multùmque fabulosus*, ait Plin. loc. cit. Per fines Bracaræ, & Limios populos, inter Durium, & Minium in Oceanum influit ad Vianam, quæ Indig. *Viana de Foz de Lima*.

(e) *Næbimque.* Næbis, Lusit. *Neiva*, teste Vasconcello, ab Oppido cognomine Næbe, in Bracaræ (*Braga*) finibus, prope Limiam.

(f) *Cadavumque.* Cadavus, Lusit. *Cavado*, ò *Cabado*; Bracaram alluit & in mare ad Fanum Oppidum devolvitur.

(g) *Et Vacuam.* Vacua Straboni, Vacus Ptolem., aliis Vacca, & Vagia, Lusit. *Vouga*, cum Oppido, seu Pago, inter Durium ad Boream, & Mundam ad Austrum: in Oceanum Occidentalem inter Lacobricam (Indig. *Lagos*) & Portum decurrit. De hoc Plin. *l. 4. c. 21.*

(h) *Alestem.* Alestes, Antiquis Celandus: Lusit. *Rio de Braga*: Bracaram intersecat, teste Vasæo.

(i) *Æminium.* Æminius, de quo Plin. *l. 4. c. 22.*: Lusit. *Rio d'Agueda*, ab Urbe cognomine: 200. *m. pass. a Minio in Austrum distans*, ait Plin. *loc. cit.*

(k) *Suburemque.* Subur, Lusit. *Sor*, ut Vasconcellus; in Tagum apud Salvaterram fluit. ex Ferrar. *Lex. Geogr.*

(l) *Avum.* Avus, Lusit. *Rio d'Aves*: secundùm Ptolem. patiens navium; inter Durium, & Minium, in Oceanum Occidentalem dilabitur ad Abobricam, Lusit. *Villa de Conde*. Ferrar. *loc. cit.*

(a) *An-*

Sistat, *ubi Inarime felicior incola*, *terris*,
Quæsitâque diu fruitur jactantior Aulâ!
Hìc bene, *quà diti spargit sua cornua limo*,
Pallentique Tagus decurrit gurgite: *lymphis*
Hìc bene postbabitis, *tenui quas carmine cultas*
Noster adbuc cecinisse labor, *sordentia multo*
Tergeret ora luto mea Pieris; *baustaque tersis*
Pocula tunc labris a tanto sumeret imbri.
Aurea tunc Vati Latio sermone redirent
Secula; *sic reduci flueret Sebethus in auro*
Rursus: *ut Andino fama est fluxisse Maroni*,
Sirenum in placidis cecinit dum Pascua ripis.
Huc properet, *cui laudis amor*; *detergier alveo*
Hoc petat, *ad magnos quisquis festinat bonores*:
Et nova cui sumptis arridet tessera signis.
Hìc Solio [b] *insidens*, *&* *lymphâ lotus berili*,
Dum veteri armatum ritu latus instruet ensis,
Jam novus arreptis iterum splendescet in armis
Cinctus Eques: [c] *Patriæque teret generosior bostes*.
Regius bæc inter tanti dum nominis aurâ,
Inarime, *te nutrit bonor*, *bene ferre secundam*
Disce pari Fortunam animo; *turpemque senectam*
Exue; *namque alio rursum præclarior ortu*
Nasceris: *&* *magnum vix nata adolescis in ævum*.
Nil etenim excelsi, *nil jam tibi grande relictum*,

(a) *Andino fama est fluxisse Maroni*. Neapoli quippe P. Virgilius Maro septem annos moratus, Georgica edidit; Ut in ejus Vitâ.

(b) *Solio insidens*. Quid Solium in Balneis, vide in *Not. pag.24. lit.b.*

(c) *Cinctus Eques*. Allusum hìc ad veterem morem, quem fosè referunt Correctores Decameronis Jo: Boccacii *Nella Novella 9. della Giornata 8.*: & post hos Franciscus Redius in suo Dithyrambo, cui Titulus, *Bacco in Toscana*, V. *Cavalier sempre bagnato*. Quòd scilicet Balneo per horam perfusi, ac per alias deinde cæremonias Equites gladio instructi armabantur: & *Equites Balnei*, vulgò *Cavalieri del Bagno* dicebantur. Meminit etiam horum Equitum *In Lexico Militari*, nuperis typis edito, eruditissimus P. Carolus de Aquino Soc. Jesu, *Tom. 2. pag. 113.* V. *Ordines Sacræ Militiæ Equestris*.

Quò subeas ; rerum crevisti ad culmina ; faustis
Auguriis assuesce : mari sic tuta secundo ,
Sic rapidis da vela Notis : atque alite dextro
Transgredere Hesperias , & Eoas ocior oras :
Ausa triumphali Titana lacessere cursu .
Te præit Ille , suas cui jam Victoria lauros ,
Notaque vis animi , meritisque obnoxia Virtus
Stravit inaccessi non cognita litora Nerei:
Atque alio innumeros detexit in Orbe triumphos.
Argoas quid Fama trabes , (a) & robora Divûm
Prodigiis animata canat : quibus Æsone natus
Vellera sopito raperet Phryxæa Draconi ?
Nil veris æquale dabit vel Fabula : quando
Tu mihi , Lysiacæ Lux o clarissima gentis ,
Tu mihi , Tu nostræ , fingunt quæ somnia , præstas
Ænariæ : si læta , tuo si numine victrix
Intacti nova claustra freti tentabit ; & Orbis
Pars faciet postrema viam ; dabis Ipse faventi
Motum auræ , & primum velis felicibus omen .
Et si quæ fuerint infesta per æquora nautis ,
Ipsæ etiam immotis hærebunt rupibus , ipsæ
Non iter impedient Symplegades ; & tua passæ
Jura , dabunt faciles Phœbeis puppibus undas.
Te Duce Hyperboreis ibit trans addita Zonis
Sidera , trans anni metas : Solique negatum
Inarime prævertet iter . procedet eòdem ,
Imperii quò Regna tui , quæ margine Cœlum
Vix

(a) *Argoas quid Fama trabes &c.* Patet hoc ex illo Claud. *De Bello Gethico*, sub initium , ubi sic

- - licet omnia Vates
In majus celebrata ferant ; ipsamque secandis
Argois trabibus jactent sudasse Minervam .
Nec nemoris tantùm vinxisse carentia sensu
Robora : sed cæso , monitu Jovis , augure luco ,
Arbore præsagâ tabulas animasse loquaces .

(a) *Epo-*

Vix operit: vix Phœbus obit jam lassus: & ultro
Urget anhelantes spatia ad majora jugales. (tis
Interea obscuris dum Tu, REX INCLYTE, char-
Luce frui das posse meis, quâ pauper acerrâ
Nunc Tibi thura litem? quæ munera digna reponam?
Non mihi si Ganges, non si tuus egerat alveo
Dona Tagus: toto vel quæ tibi sidere servit
In pretium mihi sudet Eos, gemmasque ministret,
Sufficiam; gazâ non hìc, opibusque superbis
Una satis Tellus, vel utroque ab litore Doris.
Parva tamen nostri Tibi debita dona laboris
Accipe: parva quidem, sed sic accepta, nitentem
Divitiis Ophyren poterunt, Hermique procellas
Vincere: Amazonio fulgebunt clariùs auro.
Ne tamen immemori rapiat sub nube vetustas
Munificâ diffusa manu benefacta: sed iras
Fatorum contra longævâ ætate perennent;
Rursus ego Inarimen repetens, modò vota secundent
Numina, Phidiacas imitabor sedulus artes;
Et Vatem oblitus, sacro tamen incitus œstro,
Moliar artifici monumenta ingentia ferro.
Ipse manus ad cœpta reget: conversaque Pæan
In cælum sua plectra dabit; sublimia quando
Signa meos poscunt celebri tentamine nisus.
Monte minor nec surget opus; namque hìc mihi celso
Vertice, subjectas qui nubes inter, & auras
Exit, & Ænariæ campis dominatur Epopeus, [a]
In regale suis simulacrum cautibus ibit;
Versaque in heroas animans sua saxa figuras,
Lysiadûm clarâ referet sub imagine Regem.
Ille dabit specimen, [b] qui quondam magna locutus,

 Pel-

(a) *Epopeus*. Epopeus, præaltissimus Ænariæ Mons. Vide *lib. 1. pag. 6.* in *Not.* præsertim *lit. m.*

(b) *Ille dabit specimen &c.* Narrat Sera-

Pellæi in formam convertere velle Tyranni
Dixit Atho. quæ vana aliis incepta, canoros
Hæc facili ad numeros molitur Apolline Vates.
Par Operi Rupes: astris quæ proxima, reddet
Quàm bene sidereas raptum sublimè per arces
Mente caput, divina movens! quæ dia frequenti
Vota fovet studio, summoque aspirat Olympo:
Cujus ab auspicio Regni molitur habenas:
Et Populis, placido ceu sidus ab æthere, fulget.
Mentoris hic quamquam non sim præcepta secutus:
Nescio quo Divûm fretus tutamine, vultus
Dum conor, REX ALME, tuos effingere, vultus
Effinxisse Numæ videor: qui sacra Latinis
Thura inferre Aris docuit, cultusque Deorum:
Indocilemque novis frænavit legibus Urbem.
Quàm bene magnanimum, natumq; ad fortia pectus
Marmoreos inter silices manus exprimet! armis
Non tamen, aut valido loricæ tegmine, non hoc
Munitum clypeo cupiam septemplice: vallat
Namque satis, firmatque, suâ velut ægide, Pallas.
Dextra regat sceptrum: demissa coërceat ensem
Altera: paciferoque latus mucrone quiescat.
Sub pedibus demens jaceat Discordia, rictu
Nequidquam infrendens; jactisque in terga colubris.
Vana Superstitio Latias terat ore catenas.
Post ego florentesque Urbes, atque Indica vastis
Regna plagis vellem sculpto superaddere saxo;
Si

Strabo, præ cæteris, *lib. 14.*, *Ephesium quendam* (Staficratem Alii nominant) *pollicitum fuisse Alexandro se Montem Athonē in ejus formam fabricaturum &c.* Idem habet Vitruvius *In Præfat. lib. 2.*: sed Dinocratem Macedonem fuisse dicit. Meminit etiam Plutarch. *Orat. 2. De Fort. Alexan.*. Girald. *De Deis Gentium, Synta. 17.* De Semiramide simile narrat; Hæc enim in Bagisthene Monte Mediæ, *suam in petrâ effigiem decem & septem stadiorum insculpi jussit, quam centum Viri muneribus venerarentur assiduè, ut Sacerdotes.*

(a) *Gan-*

Si modò cum Regnis, cum tot ſatis Urbibus unus
Non fuerit, geminas qui tenditur Orbis in Arctos,
Multifidæ credam parvo sub limite rupis
Poſſe capi: & tantis habilem ſe prodere cœptis
Illa, ter invictum quæ vix capit Inſula nomen.
Si votis, animoque pares Natura dediſſet
Inarimæ fines, fines vix clauderet æther.
Tunc ego Gangaridûm, [a] *Badagumque,* [a] *& Memnonis oras,*
Azoridasque [b] *mari in medio, Praſſumq;* [c] *jacentem*
Proptèr, & Occiduo piscosam in litore Coryn [d]
Exprimerem. Barigaza [e] *ſuis opulenta colonis,*
Heſperidaſque [f] *inter tu, clare Arſinaris,* [g] *& tu*
Non procul extares, Cœlo dilecta Milipſar. [h]
Fervida & Auſtrinis hic Principis Inſula [i] *flammis*
Staret: & æquoreo Barace [k] *circumlita Ponto,*
Et

(a) *Gangaridûm, Badagumque &c.* Gangaridæ, & Badages Indiæ Populi, quorum Primi Gangen, vulgò *Bengàla*, Alteri Indicæ Peninſulæ Montana colunt. Vide *Geogr. Giannett. lib. 6. c. 1., & Nautic. lib. 7., & 8.*

(b) *Azoridasque &c.* Azoridas vocat Giannett. *Naut.* 8. Inſulas, quas Alii Flandricas, Azores, & Tertias appellant: vulgò *Iſole Azores, ò degli Aſtori, e Terzere:* quòd tertio loco ſint detectæ: in Oceano Atlantico ad Septemtriones; ut idem *Geogr. l. 7. c. 12.*

(c) *Praſſumque.* Praſſus, ex eodem ib. *l. 7. c. 9., & Naut. 7.*, Promontorium, & Urbs Africæ, Luſitanorum Colonia, vulgò *Mozambique.*

(d) *Coryn.* Corys, Eidem *Naut. 8., & Geog. l. 6. c. 6.* Inſula Manaria, vulgò *Manàr*, ad Occidentem inter Ceilanum, & Piſcariam.

(e) *Barigaza.* Barigaza, aliter *Goa*, olim Cherſoneſus: Urbs Aſiæ in Indiâ citeriori, in Inſulâ parvâ cognomine, ad Oſtia fluvii Maudovæ, in orâ litorali: Luſitani Prætoris, & Archiepiſcopi Sedes: ut Giannett. *Geogr. l. 6. c. 4., & Naut. l. 7.*

(f) *Heſperidaſque.* Heſperides vocat idem Auctor, & Gorgones, *Geogr. l. 7. c. 12.*, quas vulgò *Iſole di Capo Verde* dicimus; ex adverſo Arſinarii ſitæ, in Oceano Atlantico, ad meridiem.

(g) *Arſinaris.* Arſinaris, Promontorium, quod Ptolemæus Arſinarium, Ital. *Capo Verde*; Arſinaris dicitur *Naut. 7.* a Parthenio.

(h) *Milipſar.* Milipſar Giannet. *Geogr. l. 6. c. 4., & Naut. 8.*, quæ vulgò *Meliapor*, vel *S. Tomaſo:* Apoſtoli hujus prædicatione, prodigiis, ac ſanguine effuſo illuſtris: & ideò *Cœlo dilecta*; Ad meridiem, in Indiæ Peninſulâ.

(i) *Principis Inſula.* Inſula Principis, vulgò *Iſola del Principe:* 40. Leucis a Guineæ litore Auſtrum versùs: ut *Ferrae.*

(k) *Barace.* Barace, vulgò *Barzaim:* Urbs munita, & parva Inſula prope Sinum Barigazenum, *Golfo di Cambaia.*

(a) *Ca-*

Et Camane , [a] *& Manore* , [b] *Sylvisque Atlantica Cerne* [c]
Cognita , & Æthiopum sub sidere torrida , & Afram
Zangebaram [d] *juxta Tellus protensa niteret .*
Non hinc merce suâ Mambacia [e] *dives abesset ,*
Barbarico quam clausa sinu maris unda coërcet.
Hic quoque Muxirim [f] *posset , multoque refertam*
Ambare Querimbam, [g] *teque , o Salsethi ,* [h] *Viator*
Aspicere : & Congi [i] *Indigenas , aurique feracem*
Et Sofalam,[k] *& Guineæ*[l] *spectanda tot Oppida,totq;*
Arce quot illustris , valloque Angola [m] *tuetur .*
Parte aliâ imposito nutantia pondere , & alto
Subter anhela jugo gemerent quà saxa , viderem
Brasilidûm [n] *latè fluctus , celebrataque Olindæ* [o]
Litora , & Ammericæ dignas te Principe Terras,
O Spes Lysiaci fortunatissima sceptri ,

Ma-

(a) *Camane.* Camane, Incolis *Daman*: Urbs, & Emporium celebre juxta eundem Sinum Barigazenum . *Ferrar.*

(b) *Manore .* Manore, Indig. *Manor* : Arx Indiæ citra Gangem in orâ Oceani Sinici: Aliis *Bandera*, ut Ferrar.

(c) *Atlantica Cerne.* Cerne Atlantica , Teste Sansone , ut *Ferrar.*, quæ nunc *Madera*: Insula Oceani Atlantici.

(d) *Zangebaram.* Zangebara, Giannett. : Ferrar. Zangibera : vulgò *Zanzibar* : Africæ Insula in Mari Æthiopico.

(e) *Mambacia .* Mambacia, Indig. *Mombaza*: Urbs, & Emporium Æthiopiæ, ad Sinum Barbaricum , vulgò *Mare di Zanguebar* : ut *Parthenius Naut. 7.*

(f) *Muxirim .* Muxiris , Indig. *Chaul* , vel *Ciaul*: nobile Emporium in Indiæ Peninsulâ in Decano Regno, in orâ Occidentali . Giann. *Geog. l. 6. c. 4.*

(g) *Querimbam .* Querimba , vulgò *Quiramba* : Africæ Insula in orâ Zanguebariæ Regionis: ut *Ferrar.* Hanc Ambare direm, quod maris unda in litus ejectat , asserit F. Jo: Joseph a S. Theresiâ *In Histor. Brasiliana Par. 2. l. 7.*

(h) *Salsethi .* Salsethes dicuntur Giannett. *Saberld. 8.* , quæ Ital. *Isole Salsette*: in Indiæ Peninsulâ , cis Gangem , & ad Ostia Fluvii Mandovæ.

(i) *Congi .* Congum , Ital. etiam *Congo*: Æthiopiæ inferioris Regnum.

(k) *Et Sofalam .* Sofala , vulgò *Zofalà* : Regnum , & pars Æthiopiæ, Cafreriæ regionis , auri ferax .

(l) *Et Guinea .* Guinea , vulgò *Guinèa* , quam Gentis vocabulo a calore , & ariditate nonnulli dictam voluerunt: ingens Regnum ad Orientem.

(m) *Angola.* Angolæ Regnum, vulgò *Regno d'Angòla* , ibidem validissimis Arcibus a Lusitanis munitum.

(n) *Brasilidûm &c.* A Brasiliâ in Americâ Orientali sub Zonâ Torridâ Australi, in 15. amplissimas Provincias divisâ. Brasilia quidem ab Arbore *Brasil* gentibus nuncupatâ, Ital. *Verzino* , quæ vastissimæ huic Regioni nomen dedit.

(o) *Olinda &c.* Olinda , primaria olim Urbs Provinciæ , vulgò *Pernambuco* in Brasiliâ : Episcopi , & Prætoris quondam Sedes .

(a) Jo.

Majorum ingentes, JOSEPHE, [a] *auꝺure trium-*
Quo nascente, novis Cœlo se tollere palmis (phos.
Urbs Laertiadæ [b] *visa est; & fulgere Delo,*
Et Cretâ, & Thebis illustrior: hæ sua quamvis
Alcidæ, & Bromio dederint cunabula: quamvis
Et Jove se Crete, se jactet Apolline Delos.
Ipsi etiam lymphis irent insignibus Amnes
Penè pares: flueretque undis Argenteus [c] *alter,*
Alter Amazonidum [d] *referens cognomen: & ultro*
Saxea captivo morderent vincula fluctu.
Nec non hìc spoliis se se jactaret opimis,
Consilio, magnisque potens Capralius [e] *ausis:*
Ante aliis nunquam qui cognita litora primus
Brasilidûm potuit victrici tangere Pinu,
Missus in Imperium magnum; Patriæque, Sibique
Immortale tulit ventura in secula nomen.
Talia Dædaleas steterint cum Signa per artes
Condita: Martigenûm [f] *renovans Spectacula ritu,*
Roma quibus quondam, Populo plaudente, vacabat
Thermarum in medio: Latiasque imitata Palæstras,
Tota Tibi Ænariæ certet, REX ALME, Juventus.
Hic Thermæ, Fontesque patent; hæc Area ludis
Apta;

(a) *JOSEPHE.* JOSEPHUS, Serenifs. scilicet Brasiliæ Princeps, Serenifs. JO: V. filius natu major.

(b) *Urbs Laertiadæ &c.* Ulyssipo nempe, ab Ulysse condita: ut sub initium.

(c) *Argenteus.* Amnis Argenteus, Lusit. *Rio de la Plata*, celeberrimus: Brasiliam ex unâ parte claudit, atque in Atlanticum deinde influit.

(d) *Alter Amazonidum.* Amnis Amazonius, sive Amazon, ut *Parth. Naut. 7.*, vulgò *Rio delle Amazoni*: Aliis *Il Gran Parà*. Maximus inter omnes Terrarum Orbis Fluvios. Amazonius, a Reguo Amazonum: de cujus denominationis origine, vide plura penès cit. Giannett. *Geogr. l. 8. c. 8.*. Nascitur in Peruviâ, ac Brasiliam ab Regno Amazonum dividit: deinde in Oceanum Atlanticum mergitur.

(e) *Capralius.* Capralius, Petrus Alvarus Capralis, Lusitan. *Cabral*: nobilissimæ familiæ in Turdulis: qui anno 1500., vel ut Alii 1501., ab Emmanuele Lusitaniæ Rege navibus instructus, Brasiliam omnium primus detexit: & eò 8. Kal. Maii appulit.

(f) *Martigenûm renovans Spectacula.* De Spectaculis, ac Palæstris, quas Romani exercebant in Thermis, vide *lib. 2. pag. 81.*

(a) *Te*

Apta; theatrali frontem hic redimita corymbo,
Nostra tuis poterit Pubes plausisse trophæis.
Ipse caput foliis lauri vallatus, amicos
Instituam de more choros; celebranda quotannis
Læta dies, & sacra tuo de nomine curret.
Hæc Fastis signanda: hæc, dum redit annua dextro
Omine, Panchæis incendet odoribus Aras:
Grataque Cœlicolis, Te sospite, dona rependet.
Dumque tuas latè resonabunt compita laudes:
Te Prochyte, [a] & gratæ te vocis imagine saxis
Pulsa procul Nesis,[a] Megareque,[a] & Olympia [a] reddet.
Nec te præteritam, Leopoldias Austria, [b] tanto
Juncta Viro, vox nostra sinet: te consona totis
Ænarie sylvis, Collesque, & Stagna loquentur;
Parthenopesque, Atavûm claro, MARIANNA,
Imperio dominata, hilari te litora discent (tuorum
Murmure, te resonis sonuisse in vallibus Echo.
Sic gemino Inarime Regum munita potentum
Præsidio, extendet vivax in secula famam.
Et licèt, impositis quem nunc premit Insula fessum
Rupibus, in Superos iterum nova bella Typhoëus [c]
Instauret, moveatque latus: nutantia rerum
Fata tamen non illa, vices nec passa sinistras,
Æternùm, spondent si quid præsagia, stabit.

(a) *Te Procbyte &c.* Quid sonent hæ voces, vide *lib. 1. pag. 15. in Not. lit. e., & pag. 16. in Not. lit. e. b. i.*

(b) *Leopoldias Austria.* Leopoldias Austria, Serenîss. scilicet MARIANNA Austriaca, Lusitaniæ Regina, Invictissimi semper, atque Augustissimi Cæsaris CAROLI VI. Soror.

(c) *Typhoëus.* De Typhoëo Inarimæ Insulæ supposito post Gigantum bella, vide *lib. 1. pag. 7.*

LECTORI SUO BENEVOLO

EUCHERIUS FELICITATEM.

PLura sunt, Humanissime Lector, quæ te in hoc Operis veluti vestibulo monitum velim; ut caussas, plenamque instituti mei rationem assecutus, non ita de facili carpas, ubi in multa incideris, quæ primâ fronte aciem perstringant.

Et sanè si caussam, quæ me ad opus impulerit, probè teneas: hoc accepti beneficii monumentum vocaveris. Cum enim elapsis annis nervorum mihi imbecillitate laboraverint manus: ac præsentissimam opem ab Ænariæ Balneis expertæ sint: fructum hæc a me jure propemodum suo repetere videbantur. Nam cui potiùs illæ locarent operam, quàm iis, quorum operâ convaluere? Tullium imitatus dicar, qui vocem A. Licinii Archiæ præceptis conformatam, eidem opitulando libentissimè impendit.

Si minùs pro rei dignitate id fecerim: veniam a te ut impetrem, fore mihi polliceor. Humanioribus disciplinis non leviter imbutus, ut reor, nosti optimè, quàm salebroso versetur in loco, qui Medica non modò latinè, sed Poëticæ numeris adstricta condit. Partes unus præ omnibus meas Plinius tueatur; qui purgatissimo licèt latinitatis succo, in ipso Romanæ Reipublicæ bonarum artium altricis sinu, innutritus; cum tamen (*lib.29. c.1.*) De Remediis, ac Medicinâ loqueretur, fateri non dubitavit: *Se non ignarum Nullis ante hac Latino sermone condita; ancepsque, ac lubricum esse rerum omnium principium; nec aliud utique gratia, quàm sterilis difficultatis in promendo.* Non igitur erit, cur vitio mihi vertas, si quid in elocutionis, vel metri elegantiâ peccatum est.

His accedit, difficillima Locorum, Thermarum, Fontium, ac Balneorum, aliorumque id genus Descriptio: quæ nullis unquam classicis Auctoribus texta, nullam quidem Latinitatis notam, ne dicam umbram, præseferr. Magnum idcirco negotium vel Sapientissimo cuique facesseret, illa e patrio (rudi sanè, atque agresti sermone) ad Latinum traducere. Ignoscendum proinde mihi, quòd in iis recolendis, durâ quâdam requisitæ claritatis necessitate coactus, vocibus usus sim, quæ barbariem aliquam redolerent.

Ut verborum duritiem aliquo saltem modo emollirem, non sine consilio Græcas voces Latio veluti donatas in rem meam transtuli: cum illud Horatii in Arte meminerim

Et nova, fictaque nuper habebunt verba fidem, si
Græco Fonte cadant, parcè detorta ....

Atque hoc quidem quid ni mihi licuerit, cum idem a Lucretio, ob compertam in ipsâ aurei seculi ubertate vocum penuriam, factitatum sciam? ad Græcorum scatebras non semel ille recurrit: caussamque Libro primo reponens, id fecisse testatus est

Propter egestatem linguæ, & rerum novitatem.

Nec verò copiam hanc novandæ, atque augendæ Latinæ linguæ priscis tantùm Romanorum temporibus circumscriptam putes; ubi res ipsa poscat, ubi necessitas cogat, Venusino teste,

.... licuit, semperque licebit
Signatum præsente notâ producere nomen.

Prærerquamquod voces, quæ in controversiam cadunt, ita Græcanicæ sunt, ut (unam vel alteram si excipias, quam Latinitati prorsus affinem Latinis primus ego adscribere in conscientiam non duxi) vix originem teneant

ſuam: Latii non municipes modò, ſed cives. Neque patriæ dialecti notis exaratas volui, ut quidam ſuperſtitioſè nimis faciendum cenſent; ne veluti offendiculum quoddam Legentium oculis opponerem. In more licèt Scriptorum aliquando id poſitum, non tamen ſemper, non tamen omnium.

Huc recidunt etiam, quæ de Appoſitis, ſive Epithetis Helleniſmum redolentibus dici poſſunt: ut *Maſtichinus*, *Iliacus* ab Εἰλεός, atque alia, quæ, cum Medicinæ Profeſſoribus, & quidem cultis, ad explicandas Morborum, Remediorumque ſpecies unicè deſerviant, ut mihi etiam deſervirent neceſſe fuit.

Præter ea, quæ a Græcis mutuatus ſum, nonnulla pariter adhibui, quæ, cum Latinitatis colorem aliquem ab Auctoribus ætatis noſtræ, ut potuere, acceperint, adhuc uſurpare

Concedit nobis (ut Lucr. l. 1.) *patrii ſermonis egeſtas.*

De Verbis *Lotrix*, *Dapifer*, *Galanga*, &, niſi in Helladem rejicias, *Morphaea*, ac de reliquis, ſi quæ ſunt, loquor; quæ tamen auctoritate non carent ſuâ.

Animadvertendum deinde, me ſcilicet ita Philoſophi, ac Medici partes in hoc Opere ſuſcepiſſe, ut Poëtam non ſim oblitus. Multa idcirco, quæ ad Philoſophiam pertinent, delibata potiùs, quàm pertractata reperies. Ad Scholas enim (ne tricas, operam perdendo, ſererem) ea penitùs introſpicienda remiſi. Hinc Opiniones, ac Philoſophorum Placita vel recenſendo, vel refellendo, levi, mollique, ut ajunt, brachio egiſſe videor; iis dumtaxat, ad rem meam accommodatis, contentus: quæ Poëſi leporem conciliarent, ſalebras non afferrent.

Quod verò Medici reſpicit munus: ita hoc in me recepiſſe intelligas, ut quamquam Medicinæ leges, locutioneſque pro virili ſervatas voluerim: non tamen ita ſcrupuloſè, ut anxium me, ac ſolicitum habuerit, per Tropos quandoque, Synecdochen, & Catachreſim præſertim, multa vel ad Morbos, vel ad Remedia ſpectantia verbis non omnino propriis deſcribere. Exemplo tibi eſſe poterunt *Balnea*, quæ Privatorum licèt Antiquis, pro publicis tamen, quæ *Balnea* olim dicebantur, in carmine accepi. Adde *Tempe Pontia*, *Uſtrina*, *Hydrea*, *Hydreuma*, *Argema* in morbis, *Papula*, *Cardiacus*, & cætera hujuſmodi, quæ brevitatis causâ hìc omiſſa, vel non quærenti ſubinde ſe prodent. Nominatim, ut vides, appoſui *Cardiacus*; quamvis enim hâc voce Medici pro Stomachi dolore paſſim utantur: non incongruè tamen ad Cordis palpitationem traduxi: tum ſi vim originis ſpectes, tum ſi quæ adnotavit Caſtellus V. *Cardia*.

Vocabula igitur id genus de induſtriâ a me conquiſita, atque adeò ſelecta ſunt, ut nimis aſpera, atque horrida dictionum genera, in carmine præcipuè fugienda, vitarem: ac ne faſtidium Legentibus, eadem locutionibus penè iiſdem repetendo, crearem. Ad Poëtas in hoc non imi ſubſellii acceſſiſſe me non ignoras: quis enim eorum eſt, qui Tropis non loquatur? Exemplis abſtineo, ne injurius imperitum te rerum omnino, ac verè novitium in hâc facultate crediſſe inſimuler.

Neque verò mihi caperatâ fronte ſuccenſeas, ubi aliqua in Opere veritati minùs conſentanea fortaſſe occurrant (quod cautum licèt, nunquam tamen in re quâlibet ſatis) hoc dandum Poëtæ; ut Virgilio eidem Poëtarum Anteſignano dedit Antiquitas. Quamvis enim in Georgicis Agriculturam docere profeſſus ſit: in delectando tamen ſolicitior fuit, quàm in docendo. Quin imò, Senecæ teſtimonio, decentiam potiùs Poëticæ Artis, quàm rei veritatem ſecutus eſt. *Virgilius noſter* (ita ille Epiſt. 86.) *non quid veriſſimè, ſed quid decentiſſimè diceretur, aſpexit; nec Agricolas docere voluit, ſed Legentes delectare. Nam, ut omnia alia tranſeam, hoc, quod hodie mihi neceſſe fuit reprehendere, adſcribam:*

Vere Fabis ſatio: tunc te quoque, Medica, putres
Accipiunt ſulci: & Milio venit annua cura.

An uno tempore iſta ponenda ſint: & an utriuſque verna ſit ſatio, hinc æſtimes licet;

liett ; Junius Mensis est , quo tibi scribo , jam proclivus in Julium ; eodem die vidi Fabam metentes , & Milium serentes .

Quod si Neotericorum aliquis e numero criminabitur , me e ruderibus veluti Antiquitatis consepulta jam veterum Medicorum Placita in præscribendis remediis eruisse ; cum in erudito hoc , in quo versamur , seculo multa sint de novo , ac salubriora ad invidiam excogitata ; telum hoc perperam in me jactum , facili negotio retundam , ac paucis . Age , quæso, quos nam e Recentioribus potissimùm sequerer, qui mihi facem præferrent, ad investigandam Balneorum Ænariæ virtutem : ad ingrediendam peculiarem hanc remediorum rationem ? In cujus verba jurarem ? Nullius profectò ; cum ex Antiquis iisdem vix aliquot paucos dumtaxat habuerim : Lombardum nempe , Elisium , Solinandrum , Baccium , ac Julium Jasolinum ; quorum postremus , ut materiem ad scribendum præbuit , ita *μέθοδον* docuit ; atque Auctor idem fuit , ad ea pertentanda , quæ numquam , ne extremis quidem , ut dicitur , digitis attigeram . In illo enim , quem *De' Remedii Naturali , che sono in Ischia* inscripsit , Libro , viam mihi impervium sanè , & confragosam ita stravit, ut Poëtis iuractum hactenus (hâc scilicet dispositione, atque ordine) iter aggredi non dubitaverim . Hujus inhærendo vestigiis , a recto veritatis tramite ne latum quidem unguem me aberraturum speravi. Cujus enim in fidem potiùs me committerem , quàm illius , qui (celeber cæteroqui ætatis suæ Medicus) duodeviginti solidos annos in explorandis Ænariæ Balneis, ac Thermis , assiduus in eâ, consumpsit : eademque luculentissimis illustravit experimentis ? Si quid igitur a me exaggeratione aliquâ dictum videri poterit , mirabilem , ac penè incredibilem Balneorum contra morbos vim , atque efficacitatem retegendo , Jasolino , si poteris, non Eucherio tribuas ; quid enim Poëtæ non liceat , quod licuit Historico ? Si a vero aberratum , quod minimè reor , hoc Præceptore , hoc Duce aberratum .

Quia tamen ex *Hypocaustis* aliqua de novo adinventa : periere aliqua; Fontes quoque , ac Balnea nonnulla , quæ Jasolini ætate vigebant , deperdita : in meliorem formam nonnulla restaurata; idcirco hæc etiam a peritissimis Medicinæ Professoribus in Ænariâ degentibus , ut optaveram , edoctus sum . Nec labori unquam peperci , ut enucleatè illa , quæ ad topographiam, virtutem, usumque Balneorum, Hypocaustorum, atque Arenarum pertinebant, explorata pro modulo meo exponerem . Eâ tamen lege , ut eruditioni studens, stylum in carmine non posthaberem : Latini sermonis nitorem , ut potui , tuerer . Fateor a me circa Aquarum potestatem derelicta non pauca : ne tædio Te legentem afficerem ; ab hoc enim ita semper abhorrui , ut quæ repetenda necessariò fuere , variatis non semel formulis expresserim . In quo quantum operæ , ac temporis insumptum, nemo est qui nesciat , modò laurum momorderit .

Continget aliquando dictiones quasdam , imò hemistychia etiam in toto Opere repetita fortasse invenire . Quid tum postea ? Pro certo habeas ea casu vel oculatissimo Correctori excidisse ; Hominem me esse profiteor . Magnorum etiam Virorum fatum hoc fuit .

Quid de Orthographiâ dicam ? Verbo: si quid mendosum , Typographorum negligentiâ mendosum. Hinc affirmo *Tragædum*, non *Tragedum: Cephalea* , non *Cephalea : Pachyni* , non *Pachini : Diverberat* , & *Eventilat* , non *Diventilat : Tirocinium* , non *Tyrocinium : Cærula* , non *Cerula : Hebræus*, non *Habreus* fuisse scribendum : præter alia , quæ in Notationes irrepsere.

Et quoniam de Notationibus incidit sermo : ausam arripio . Eas neque parcas, neque redundantes suis in locis adjunxi , ut rei series postulavit . Utaris licet , ubi res ipsa , ac difficultas in vocibus, præsertim Græcanicis , ac peregrinum quiddam sonantibus, reposcet : posthabeas pro tuo arbitratu , ubi non hæreas. In hoc ego iis dumtaxat consului , qui aliquam Latinæ linguæ peritiam assecuti , non tamen omnem exhauserunt . Addo insuper, gerendum in hoc ipso mihi morem fuisse Aliquibus in hâc arte, ac palæstrâ diu,

multùmque versatis, qui etiam, atque etiam id a me sæpe numero flagitarunt; gratiamque apud plerosque initurum polliciti, ubi ipsis paruissem. Dictum hoc volui, ut eorum censuræ occurrerem, qui fastidiente veluti palato penè omnia respuentes,ea cæteris tantùm arridere præpostetè autumant, quæ ipsi suffragio comprobarint suo.

Contra verò, ubi diversam alii viam ineuntes, in crimen me vocent, quòd avaro propemodum stylo Notationibus necessariò apponendis indulserim parum; de facili culpam in eos regeram, qui mihi Laconicæ brevitatis Auctores fuere; cum, mihi relictus, Pontanum in suis Progymnasmatis, Redium in Dithyrambo, Aliosque sequi maluissem.

Illud hìc non omittam, ut acrem duri Censoris virgam declinem; quòd nempe Annus, in quo Opusculum hoc publicam intuetur lucem,utique septingentesimus vigesimus sextus est supra millesimum: in hoc profectò INNOCENTIUS XIII. P. M. non solùm luce non fruitur, sed aliquot jam ab hine annis decessit; & tamen Lib. 2. de illo ita loquor, ac si viveret adhuc. Nullam tibi hoc pariet admirationem, modò noveris, a me ea, quæ ad ipsum pertinebant, typis commissa antequam fato cederet; nec ideo premenda meo, Aliorumque judicio arbitratus sum, cum satis esse hoc ipsum innuere.

Hoc etiam deinde te scire operæ pretium duco. Vix aliqua meæ Inarimes prælo edita erant: cum blandâ Amicorum importunitate, e musto, ut ajunt, fervida, ac lacu, vel me renuente, per manus Literatorum abiere. Illico ad aures meas: me toto penitùs cœlo aberrasse: cum frumentum in Ænatiâ nasci Lib. 1. asseruerim, ubi ne vestigium quidem segeris hujus apparet. Quamvis, Jasolino pluribus in locis, ac Strabone Auctoribus, id mihi excidisset: parum absuit, quin me ipsum retexendo, novæ editioni operam darem. Et dedissem profectò: nisi, experientiâ teste, scrupulum omnem peritiores Topographi, atque adeò Indigenæ ipsi evellissent. Frumenti quidem non solùm Insula ferax in præsenti, sed feracissima; Agricolæ tamen parcè ad hanc sationem incumbunt, eâ tantùm de caussâ, ne Vini copiam (in quo maximus Incolarum census) amittant, solo per frumentum consumpto.

Scio Episodiis intertextis aliquando me in Opere non ab te digredi: vel in Virorum illustrium laudes excurrendo, vel Familiarium mentionem faciendo, vel aliqua scitu digna ad Aquas pertinentia referendo. Si quis in hoc consilium reprehendat meum, næ ille nodum in scirpo quæret. Quid enim? An non de cordatorum Hominum sententiâ, eorumque ad unum omnium, qui præcepta de Poësi tradiderunt, hoc a me factum putet? Recolat, si lubet, quotquot in hâc arenâ se se feliciter exercuere. An non solenne id Vatibus Italis æquè, ac Latinis semper fuisse, eorum scripta testantur? An non ad relaxandos animos, meurésque perpetuâ vel Morborum, vel Remediorum enumeratione perlegendâ defatigatas hoc opportunum? An non dandum aliquid Anctori sibi, vel Amicis blandienti, vel clarorum hominum gratiam e re natâ demerenti?

Inter digressiones tamen reponenda tibi non erunt,quæ de Romanis Thermis per partes suas explicanda constitui; id enim postulabat ratiocinationis nexus, & ordo; ut mox, cum mentem meam §. sequenti aperiam, tenebis. Hoc tantùm super his animadverte: versari nos in re, quàm quæ maximè, dubiâ: quæ breviter (*ut Baccius De Thermis lib. 7. c. 5.*) Veteribus pertractata, Multorum varias, diversasque de earum ichnographiâ, ac structurâ excivit opiniones; ita ut suas veluti per ambages, ac labyrinthos ingenia hàc illac distracta, certum sequendi non habeant iter. In tantâ igitur rerum obscuritate, ne Andabatarum more intutam hanc capesserem viam, eidem Baccio, Antiquitatis peritissimo, fidendum judicavi. Hoc ubi rescieris, falsi nihil penitùs in me residebit, si quid hujusmodi tibi uncis nimiùm naribus indulgenti subolverit.

Quod reliquum postremò hìc est, totius Operis divisionem (quam etiam sub calcem per Synopsim expressam perlegere poteris) seriem, atque ordi-

ordinem exponam r ut ita ab oculos posita materies facilius percipiatur. Ex quo sanè perspicies me non extra chorum saltasse, cum ad quædam diverterim, quæ primo aspectu aliena fortasse ab Opere existimari poterunt. Etenim, cum ratione urentis sit rem per caussas vestigare, atque adeò a caussis ipsis repetere; rei natura postulare visa est, ut Lib. 1. in Inarimes topographiâ aliquantulum immorarer: Lectorem edocturus Situm, Cultum, Cœlum, Aquas, Balnea, Hypocausta, Arenas: ne verè hospes omnino esset, ac peregrinus. Quia verò ad pleniorem Balneatiæ rei noticiam spectabar, Balneorum tam naturalium, quàm arrefactorum principia altiùs indagare: hinc est quod de eorum origine agendum esse Lib. 2. censui. Quâ tamen arreptâ occasione, ita de pluribus Orbis terrarum Aquis, ac Balneis locutus sum, ut instituti mei non fuerit omnia percensere: sed aliqua tantùm, quæ gratiam Poësi augerent, non illam tamen Aquarum copiâ, citra metaphoram, obruerent. Præterea cum multa sint in Balneorum, Ænariæ præsertim, Aquis Qualitates, inter quas præcipuæ Calor, Color, Sapor, Odor: harum Caussas intactas relinquere consilium non fuit; toto igitur Libro, qui Tertius est, illæ funditus inquiruntur. His manu veluti ducto Lectori expeditior aditus ad Ænariæ Balnea Lib. 4. aperitur; & quæ, quantaque iis insit virtus, ostenditur. Ne verò sine lege Ægri Aquis hisce utantur, dantur Lib. 5. præcepta ad mentem eorum, qui exactissimas iis utendi leges tradidere. Denique, ut ut Balneorum Aquæ salubres inveniantur: quia tamen in iis aliquando sive corporis affecti vitio, sive caloris, cæterarumque Qualitatum plus æquo præpotentium vi Ægri suos subinde patiantur manes, suis scilicet pateant eventis, quæ Græci Σύμπτωματα appellant: ad operis coronidem regulæ in ultimo Libro præscribuntur, quibus repentina mala hæc vel providi prævertant, vel saltem propulsent, cum nimis supini non caverint. Adduntur his ea, quæ absolutâ jam curatione vel facienda, vel vitanda, ne recidivi, ac morbo iterum impliciti in pejus Ægri labantur.

Ut autem commodiùs rerum, quæ in Opere continentur, notitiam, pro ut libuerit, assequaris: non unum, sed plures Indices subtexui. In iis, & si non omnia, potiora saltem in promptu erunt, cum te eorum curiositas incesset. Adverte tamen in Elencho, qui Descriptiones continet, multa de industriâ posthabita: ne idem semel, atque iterum inutiliter repeteretur, quod in aliis Indicibus dictum affatim fuerat.

Hæc sunt, Amice Lector, quæ a te benevolè (antequam Librum pervolvas) prælecta, veniam Auctori suo mereri poterunt; ubi quampiurima in Opere perleges, quæ non arrideant omnino. Unum hic oro, atque obtestor, ne judicium in me velut e tripode, ac lauro feras, antequam a primo e Libris ad ultimum, tanquam e carcere ad metas, perveneris. Id ubi præstiteris, indulgenter fortasse Eucherium habebis. Cæterum si secus accidat; & Cynicum te sannæ severioris experiar, non ideo animum despondeam: nec adversis irascar fatis: quin potiùs ignoscam. Non is a naturâ ego sum, ut ægrè feram, quod alii, quibus nullâ ex parte comparandus sum, æquo semper animo pertulere. Obloquentium obtrectationibus ii tantùm non patuere, qui suâ involuti virtute, sibi dumtaxat noti, in umbrâ veluti, ac sub pellibus (ut ita dicam) latentes, in Solem, ac pulverem non prodiere, Vale.

TO-

TOTIUS OPERIS

SYNOPSIS.

TOtum opus dividitur in Libros sex; In quorum primo agitur de Insulæ Situ, Nominibus, Conditoribus, Cœli Temperie, Ubertate Soli: Balneorum item, Thermarum, seu Hypocaustorum, Arenarumque medicatarum Numero, Nomenclaturâ, & Positu.

In secundo. Inquiritur Origo Balnearum Naturalium æquè, ac Artefactarum. Quæ nam Natio omnium prima illas adinvenerit ad delicias; Quæ deinde ad medicinæ usum converterit. Cum de arte laboratis sermo, diversi generis Balnea, ut sunt ex Vino, Lacte, Sanguine, Oleo, Metallis, &c. tam Antiquis, quàm Recentioribus excogitata exponuntur. Atque hinc occasione arreptâ Romanorum Thermæ describuntur. Postremò potiora Terrarum Orbis Balnea recensentur: quibus omnibus Ænariæ Aquæ præferuntur.

In Tertio. Ad trutinam revocantur Caussæ præcipuarum quatuor Qualitatum, quæ in Ænariæ Aquis observantur: nempe Calor, Color, Odor, Sapor. Ad quas insuper dignoscendas traditur modus.

In Quarto. Virtus Aquarum, Thermarum, atque Arenarum totius Insulæ in Morborum curatione exponitur.

In Quinto. Præscribitur modus adhibendi id genus medicamina; quid scilicet potissimùm agendum antequam iis utamur, cum utimur, & postquam usi sumus, ut prosint ad medicinam.

In Sexto. Dantur veluti Antidota, vel ad prævertenda Eventa, quæ in hujusmodi remediis, ut plurimùm, accidere solent: vel ad iis medendum, ubi acciderint. Post exactam denique curationem, iis, qui convaluerunt, præcipiuntur, quæ fieri oportet, ut post morbum consistant.

Hæc omnia, utpote poëtico filo intertexta, Fabulis subinde, ac Digressionibus e re natis, ad Legentium oblectamentum, expoliuntur.

JOAN.

JOANNES BAPTISTA GRIMALDI

Præpositus Provincialis Societatis Jesu in Regno Neapolitano.

CUM Librum, cui titulus est, *Camilli Eucherii de Quintiis Soc. Jesu Inarime, seu De Balneis Pithecusarum Lib. VI.*, aliquot ejusdem Societatis Theologi, quibus commissum fuit, recognoverint, & in lucem edi posse probaverint: facultate nobis ab Adm. Rev. Patre Nostro Michaele Angelo Tamburino Præposito Generali communicatâ, concedimus ut typis mandetur: si ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has literas manu nostrâ subscriptas, & sigillo Societatis nostræ munitas dedimus. Neapoli die 9. Decembris 1721.

Joannes Baptista Grimaldi.

EMINENTISSIMO SIGNORE.

FElice Mosca supplicando espone a V. Em. come desidera dare alle stampe un Libro intitolato, *Camilli Eucherii de Quintiis Soc. Jesu Inarime, seu de Balneis Pithecusarum Libri VI.* Per tanto supplica V. Em. per la solita licenza; e l'averà a grazia, ut Deus &c.

Dom. Canon. Poliastro revideat, & referat. Neap. 31. Julii 1725.

ONUPHRIUS EPISC. CASTELLANETÆ VIC. GEN.

D. Petrus Marcus Giptius Can. Deput.

EMINENTISSIME DOMINE.

INarimes, seu Pithecusarum celeberrima Balnea ab Adm. Rev. P. Camillo Eucherio de Quintiis Soc. Jesu heroico carmine in sex Libros, ac miro ordine expedita, de mandato Em. V. cum perlegerim: Fidei Catholicæ dogmata, & morum integritatem custodita animadverti. Quo verò styli candore difficillimas rerum, ac perobscuras proprietates adaperite, morbis fere omnibus solo Pithecusarum Balneorum usu occurrendo: quâ diligentiâ, atque peritiâ studiosissimorum virorum ingenia excolere eximius Auctor studuerit, non satis arbitror dicere. Cum igitur optima quæque omnia, & omnibus æquè jucunda, ac perutilia perspiciantur, hoc unum reliquum puto, cum de Em. V. benignitate ad optatam lucem pervenient, emeritam sibi undequaque laudem comparatura. Neapoli IV. Idus Novembris 1725.

Humill., & Addictissimus Famulus
Stanislaus Poliastro Canonicus.

Attentâ supradictâ relatione, Imprimatur. Neap. die 14. Nov. 1725.

D. ANTONIUS CANON. CASTELLI VIC. GEN.

D. Petrus Marcus Giptius Can. Dep.

EMI-

EMINENTISSIMO SIGNORE.

Felice Mosca supplicando espone a V. Em. come desidera dare alle stampe un libro intitolato, *Camilli Eucherii de Quintiis Soc. Jesu Inarime, seu de Balneis Pithecusarum Libri VI.* Per tanto supplica V. Em. per la solita licenza: e l'averà a grazia, ut Deus &c.

Rev. P. Joannes Baptista Botti videat, & in scriptis referat.

ALVAREZ REGENS. GIOVENE REGENS.
PISACANE REGENS.

Provisum per S. Em. Neap. 19. Julii 1723.

Cafarus.

EMINENTISSIME, AC REVERENDISSIME PRINCEPS.

Non sine liquidà animi voluptate semel, atque iterum Opus perlegi, quod inscribitur, *Camilli Eucherii de Quintiis Societ. Jesu Inarime, seu de Balneis Pithecusarum Libri VI.* Equidem in eo Eucherium nostrum opinor id absolutè, id feliciter assequi, ut doceat, ut delectet. Διδασκαλίαν quippe habet perutilem: præclaram, ac multigenam eruditionem: varietatem rerum, & copiam: latinitatis munditiem: excultum egregiè stylum: omnemque Artis Poëticæ venustatem. Quamobrem opus existimo typis donandum; hoc etiam nomine, quòd Cæsaream, Regiamque Jurisdictionem quicquam non lædit. Ita censeo. E Collegio Maximo Neapolitano Nostræ Societatis, Prid. Kal. Augustas An. rep. Salutis 1723.

Em. Vestræ

Humill., Addictiss., atque Obsequentiss. Famulus
Joannes Baptista Botti Soc. Jesu.

Publicetur: verùm in publicatione servetur Regia Pragmatica.

MAZZACCARA REGENS. ULLOA REGENS.
ALVAREZ REGENS. GIOVENE REGENS.
PISACANE REGENS. SOLANES REGENS.

Provisum per S. Em. Neap. 22. Augusti 1725.

Cafarus.

IN A.


Biblioteca Nazionale V. E. III
NAPOLI



Ant Baldi In F. III *Maillar Sculp*

INARIMES

LIBER I.

Quæ regio, cultuſque loci: quàm grata ſalubris
Temperies Cœli: quot fœta vaporibus amnes
Inarime,[a] medicos quot Balnea ſervet in uſus,
Thermaſque,[b] & durum calidæ medicamen Arenæ:
Unde tot inventis prima experientia rebus
Venerit: unde habitus, & aquarum ex ordine mores:
Præterea & lymphis quam vim Natura latentes
Indiderit morbos contra: quâ Pæonis arte

 Sint

(a) *Inarime*. Italicè *Iſchia*: Puteolani ſinus Inſula: græcis, latiniſque literis ſatis nota. Et *Iſchia* quidem a græco *ἰσχίον*, Coxendix, a Coxendicis formâ, quam habet Oppidum, ut docet Hermolaus in Plin.

(b) *Thermaſque*. Α'πὸ τῆς θέρμης, hoc eſt, a Calore. Thermarum nomine nunc, & deinceps venient Hypocauſta: Ital. *Stufe ſecche*. Et quamvis pro Balneis quandoque accipiantur a multis; nos tamen ſtrictiùs loquentes pro ſolis Hypocauſtis, ſeu Sudatoriis vel naturâ, vel arte calentibus ſumimus.

(a) *Vena*

Sint adhibenda : quid, obſuerint ſi Stagna, cavendum,
Exequar. E patriis non hìc ego fontibus auſim
Najadas, aut vitreis, finxit quas fabula, ripis
Solicitare Deas. nec quos Cirrhea propinant
Flumina, Pierio repetam de vertice rores.
Una mihi, Cœlo quondam diviſa ſequeſtro,
Terrenæ nil fæcis habens, jucundior alveo
Vena fluat,[a] cupidiſque paret nova pocula labris.
Tu modò, quem Genitor Soboli, Sobolesq; Parenti
Æquævum alternis redamando expirat Amorem,
O ades, æthereâ Medius qui ſede renides,
Ingenitumque tuis animas Ardoribus Ignem
Natum inter, Patremque; ſacro qui fœdere Utrumque,
Alterum in Alterius dum pectora condis Amantem,
Concilias, nexuque beas; Gnatoque, Patrique
Par idem affulges, Naturâ dives eâdem;
O ades huc, Amor alme; atque hac me largiùs undâ
Prolue, quam primâ jam tunc ab origine rerum,
Dum volucri liquidum pennâ veherere per æquor,
Auſpicio meliore foves. da gurgitis hujus
Imbre frui, tantoque ſitim reſtinguere rivo.
Forſan erit, dio madeant dum pectora fluctu,
Enthea tunc, inſueta ferens ad cœpta, per artus
Vis eat; abreptumque ſolo me tollat Olympo.
Nec, quæ lenta ſitu tot inutilis aruit annos,
Lætiùs illa comas redivivo germine fundet
Laurea, fatidicoque premet mea tempora flexu,
Quàm ſi ſparſa tuis iterum revireſcet ab undis.
Te duce, qui tactis vitalia ſemina lymphis
Ingerere [b], & validas potuiſti infundere vires,
O Va-

(a) *Vena fluat.* Cœleſtem aquarum venam, earum nempe, *Quæ*, juxta ſacras literas, *ſupra Cœlos ſunt*; ut Pſ. 148. optat ſibi Poëta.

(b) *Ingerere &c.* Virtutem omnem in Aquis a divini Spiritus afflatu nemo eſt qui non fateatur. Opportunè D. Ambroſius lib. 1. Hexamer. c. 8. In illud

O Vati arcanos liceat recludere aquarum
Thesauros: liceat caussas penetrare repostas,
Naturamque sequi; medicas si multa per imbres
Fundit opes: ditata tuo si munere gaudet
Inarime: Aonio quæ nunc elata cothurno:
Ammerices longè tractus, & Eoa tenebit
Litora: &' ignotas celebrata appellet in oras.
Est in conspectu Cumei marginis, Arcton
Quà videt, & gelido tardum temone Booten,
Insula Tyrrheno in magno; quam Thuscus avitâ
Ex Arimis Arimen [a], patriâ quam deinde Pelasgi
Voce Pithecusas, [b] Habitantum crimine notas,
Jure vocant, secli si vera est Fama vetusti.
Cercopum [c] ulturus fictas nam Juppiter artes
In deforme [d] viros animal, vultusque ferarum
Induit: & meritam dedit hoc in carcere sedem.
Sic gentemque Locus, nomenque a gente recepit:
Illam etiam, Æneadûm statio quòd fida carinis
Excepit Trojâ profugos, Latiumque petentes,
Ænariam [e] dixere. Polo subjecta tepenti,

 Euboi-

illud Genes. 1. 2. *Spiritus Dei ferebatur super aquas*: legens cum Syro, *Spiritus Dei fovebat aquas*: sic habet: *Idest vivificabat, ut in novas cogeret creaturas, & fotu suo animaret ad vitam.*

(a) *Arimen &c.* Insulam hanc sic dictam volunt quamplures a Simiis, quibus referta erat; Simiæ enim priscâ Hetruscorum, sive, ut nonnulli, Atruscorum linguâ *Arimi* dicebantur. Alii ab *Arimis* Populis, qui illam incoluere. *Arime* ab Homero, Pindaro, & Hesiodo dicta. A Virgilio deinde, & post hunc ab Ovidio, Lucano, Silio. Cæterisque *Inarime*. Hanc e mari improvisò olim emersisse, narrat Plin. l.2. c.90.

(b) *Pithecusas &c.* Aliqui cum Plin. l.3.c.6. a Figlinis Doliariorum hoc nomine hanc Insulam dixere: cum in eâ affatim satis sit cretæ, ex quâ doliola figlina conficiuntur. Dolium quippe Græcis Πίθος dicitur. Alii tamen a Simiis, quas iidem Πίθηκας vocant. Consule Nicolai Erythræi Indicem in Virgilium, V. *Inarime.*

(c) *Cercopum &c.* Cercopes incolæ olim hujus Insulæ; sic dicti quia versuti, ac deceptores; Κέρκωψ enim versutum sonat.

(d) *In deforme &c.* Cercopes, cum fidem Jovi datam violassent, omnes in Simias mutatos, atque ab his Pithecusas appellatas, ex fabulosâ enarratione, præter Strabonem, Suidam, Aliosque, auctor est Ovidius, Xenagoram secutus Metam. l.14. Fab.3.

(e) *Ænariam &c.* Plin. loc. cit. ita sensit, & post ipsum Cæteri: ab Æneâ scilicet Ænariam appellaram.

(a) *Euboi-*

Euboico [a] alluitur fluctu : Libyamque remotam
Respicit, æstivo quà frons obvertitur Austro.
Parte aliâ, occiduum Titan quà vergit in axem,
Parthenopen ; [b] contra Capreas [c] prospectat ab ortu.
Illa per æquoreas [d] tersenis millibus undas
Flectitur in gyrum, atque excelso vertice supra est.
Hanc primùm Eubœos [e] tenuisse a Chalcide Cives;
Tectaque prima loco, & lætis fundamina fatis
Hìc posuisse ferunt. non dum Sirenis [f] ad Urbem
Appulerat Gens illa : novos auctura penates,
Et decus, & populos ingens in nomen ituros.
Mite Soli ingenium : miti gratissima Baccho
Culta madent vineta ; jugis matura supinis
Prominet, & tumidis exuberat uva racemis.
Cui minor Argitis, prono cui colle Phanæus,
Et victæ assurgant totâ Mareotide vites :
Et Methymneo concedat palmite Lesbos.
Hìc etenim, Ausoniis pretium factura lagenis,
Nobilis illa quidem Terræ temulentia, succo
Inclyta: se totum probat hìc clarata per orbem
Ebrietas, veteresque meri restaurat honores.
Hinc

(a) *Euboico &c.* Euboicum mare dicitur, quod Puteolanas, Bajanas, Cumeas, & Neapolitanas oras alluit : ab Euboicis advenis, qui ab Eubœâ Ægæi maris Insulâ, Ital. *Negroponte*, profecti, sedem in Campaniâ fixere.

(b) *Parthenopen.* Parthenope, Indigenis, *Ventotiene:* Aliis *Bentillen*, & *Santa Candida:* Insula in sinu Formiano, qui vulgò *Golfo di Gaeta* dicitur.

(c) *Capreas.* Capreæ, Ital. *Capri:* notissimæ, ac famosæ olim Insulæ, in sinu Puteolano ; & *Tiberii Principis Arce nobiles*, ait Plin. *l.3. c.6.*

(d) *Illa per æquoreas &c.* Ita Julius Cæsar Capacius *Histor. Neap. l.2.c.15.*, & Julius Jasolinus libro, cui Titulus -- *Rimedii Naturali, che sono in Ischia: l.1. c.3.*

(e) *Hanc primùm Eubœos &c.* Primos Insulæ incolas Chalcidenses re verâ fuisse, testatur Strabo l.5., Capac. loc. citat., & Jasolinus l.1. c.1. ; Illi enim Chalcide Eubœæ Urbe profecti cum huc appulissent, Oppidum primi omnium condidere.

(f) *Nostra non dum Sirenis &c.* Sirenis Urbs, Neapolis nempe, a Parthenope unâ e Sirenibus (ut Aliquorum fert opinio) quæ illam condidit, atque ibidem tumulata est. Quod ante Neapolim Chalcidenses Inarimen incoluerint, patet ex Jasolin. loc. cit., Livium l.8. Decad. 1. secuto.

(a) *Hinc*

Hinc festis adhibenda [a] petis tibi, Roma, diebus
Vina: tuas onerant atque hinc carchesia mensas.
Qualia Baccheos inter generosa liquores
Posthabitæ Aonidum præferret Horatius undæ.
Et modò seu libeat nomen sortita Latinum
Promere, seu, laudem quæ longâ ætate merentur,
Græca: redundanti semper Vindemia prælo
Fluctuat, & valido semper tibi spumat Jaccho.
Hoc hilarant epulas: relevant hoc ora Quirites
Arida, dum, tacitis æstivo tempore rostris,
Insanosque Fori strepitus, & jurgia vitant:
Mutuaque alternis implent convivia dictis.
At non pampineo [b] tantùm devota Lyæo
Inarimes facili prædivitis ubere glebæ
Arva favent. Pomona suos hìc æmula fœtus
Educat: hìc votis cupidi respondet avaris
Agricolæ, latis infert dum poma canistris.
Hæc parit, auratis Aries seu cornibus annum
Rettulerit: seu findat agros, & torreat æstu
Sirius: Erigones abigat seu Scorpius ignes,
Cunctantem increpitans hyemem, solesque morantes.
Hìc nunquam positura comas lita parturit auro
Mala Citrus; quæ blanda manu Galatea [c] procaci
Colligat, incautumque ictu petat improba Daphnin.
Ipsa laborifero Tellus proscissa juvenco
Luxuriat, frugesque sinu largitur opimas
Proventu fœcunda suo: nam Copia pleno

Fau-

(a) *Hinc festis adhibenda &c.* Vina Ænariæ, præsertim Græca, & Latina, Romam advecta maximopere commendat Capac. loc. cit. Accedit Andreas Baccius in suo *De Vinis* Opere lib. 5. Post hos Jasolinus lib. 1. cap. 3.

(b) *At non pampineo &c.* In omnigenæ fertilitatis argumentum, quanta pomorum in totâ passim Insulâ sit copia, consulendi Capac., & Jasol. loc. cit.

(c) *Galatea &c.* Festivè allusum ad illud Virg. Ecl. 3.

Malo me Galatea petit &c.

(a) *Hæ*

Fausta nitet cornu, segetumque exultat acervo.
Hæc eadem [a] Argenti rivis, Aurique redundat
Plurima: Chalcanthon [b] fovet hæc: Magneta,[c] Pyriten,[d]
Cadmiamque,[e] Ochramque [f] Cavis, & Sulfura [g] nutrit,
Et Glebam Armeniam: [h] Nitrum [i] per saxa, Salesque
Exhibet: & Cyprii [k] passim fluit ære metalli:
Et Ferri uberior venis, & Alumine [l] manat.
In medio elatis caput inter nubila condit
Rupibus, & valles latè prospectat Epopeus. [m]
Ille

(a) *Hæc eadem &c.* Patet ex Fontibus, qui ab Argento, Auro, & Ferro nomen habent: vulgò *Bagno Argenteo, Aurifero, e del Ferro*, qui in recremento (idque de cæteris Fossilibus, quorum in Insulâ magna vis, dictum etiam intellige) Auri, Argenti, Ferrique particulas ostendunt.

(b) *Chalcanthon*. Chalcanthos, Ital. *Vitriolo*: a similitudine æris, quod Χαλκὸν Græci appellant: hinc Χάλκανθον. Hoc, & aliaid genus Fossilia, quæ enumerantur, inesse in Aquis Ænariæ, habes passim ex Jasolino.

(c) *Magneta*. Magnes, Ital. *La Calamita*, notissimæ virtutis lapis. Lucret. l. 6. a Magnesiâ Macedoniæ Urbe dictum voluit:

Quem Magneta vocant patrio de nomine Graii,
Magnetum quia sit patriis in finibus ortus.

Plin. tamen l. 36. c. 16., Aliique aliter sensere. Heraclius lapis etiam ab Urbe Heracliâ dictus est: & Sideritem alii vocant, hoc est ferreum, nam in eâdem fodinâ cum ferro nascitur.

(d) *Pyriten*. Pyrites, Ital. *Marcassita*, a græco Πῦρ Ignis: quòd ignem in venis contineat. Lapis Metallicus ad æris similitudinem. Meminit Plin. l. 36. cap. 19., & alibi.

(e) *Cadmiamque &c.* Cadmia, Ital. etiam *Cadmia*: Corpus metallicum, seu lapis ærosus; ex quo fuso provenit æs. Consule Plin. lib. 3. c. 1., & 2.

(f) *Ochramque &c.* Ochra Cretæ species lutei coloris: de quâ idem Plin. l. 35. c. 6.

(g) *Sulfura*. Hujus quidem Fossilis maximè Insula ferax est: cum aquæ omnes Balneorum illud admisceant.

(h) *Et Glebam Armeniam &c.* Gleba, sive Bolus Armenia, Ital. *Bolarmeno*, Terra medicis usibus accómoda.

(i) *Nitrum*. Ital. *Salnitro*: a Nitriâ, ubi nasci solet: Salis genus. Vide Plin. l. 31. c. 10.

(k) *Cyprii &c.* Æs Cyprium, Ital. *Rame*. dicitur Cyprium, quòd Cyprus Insula hujus præcipuè metalli dives sit.

(l) *Alumine*. Alumen, Ital. etiam *Alume*. Salsugo terræ ad crystalli colorem accedens. Vide Plin. lib. 35. c. 15.

(m) *Epopeus*. Ital. *Monte Epomeo*, ex Jasolino: Indigenis *Monte di San Nicola*, a Templo D. Nicolao Myrensi in ejus jugo dicato. Mons præaltus, atque amœnus in medio Insulæ. Aliquando ignem vomuisse restatur Capac. l. 2. c. 55. ex Strabone l. 5., & Plin. lib. 2. cap. mihi 90. Ex quo Typhoëi sub Epopeo tumulati, & flammas ex ore vomentis fabula. Arboribus undique convestitus, & Fontibus irriguis scatens. Epopon Plin. loc. cit. appellat: Epopeum Auctor, Strabonem secutus. Epopeus quidem, sive Epopos ab Ἐποπτεύω, Specto, Video, ut Aliqui: veriùs ab Ἐποπτάω idem significans; cum ex Epopei jugo altissimo prospectus undique pateat. Addit Plin. loc. cit. Montem

Ille ter in Superos tentantem bella, trisulco
Fulmine dejectum, flammasque ex ore vomentem
Torquet adhuc vindex, subicitque Typhoëa [a] saxis,
Æternùmque premit. frustra indignantibus audet
Sæpe humeris molem, & durum cervice rebelli
Excussisse jugum. multo latus igne perustum
Et movet, & motis circùm tremit Insula sylvis.
Quid majora sequar? populo quid culta frequenti
Oppidaque, & multo gratissima rura Colono?
Tecta ego, ni celeres aliò convertere gressus
Cogerer, & choreis canerem celebrata, jocisque,
Nympharumque Lares. [b] meritis, Abucœte [c], sonarent
Carminibus te plectra; favis qui dulcior Hyblæ,
Guttura qui gelido sitientia prolues haustu
Icarios inter, dum messis inhorruit, æstus.
Namque procax tentat non hos irrumpere fines
Flamma; lacessitæ quamquam per viscera terræ
Insinuet sese, vicinaque bella minetur.
Ambustas inter cautes, mediosque per ignes
Algentes labuntur aquæ; tutòque vaganti

Mi-

rem hunc, *Cum repentè flamma ex eo emicuisset, campestri æquatum planitie*: quod veritati consonum sit nec ne, judicet Lector. Certè Jo. Harduinus Soc. Jesu, In notis ejusdem Plin. ad usum Seren. Delphini, hæc habet. *Strabo l.5. pag. 248. ex Timæo refert* τ̃ Ἐπωπέα λόφον *motu terræ concussum ignes evomuisse &c. Campestri æquatum Planitie non dicit*. hæc ille.

(a) *Typhoëa &c.* Typhoëus Gigas, Terræ, & Titani filius; quem Cælo bellum cum aliis Gigantibus inferentem a Jove fulminatum, & Epopeo monti in Ænariâ suppositum fabulantur Poëtæ: præ cæteris Virg. Æn. 9.

——— *durumque cubile*
Inarime Jovis imperiis imposta Typhoëo.

Placet autem Poëtis (ut ad rem Capac. loc. citat.) a verâ causâ ad fabulas descendere. Cum enim tota Insula ventis vaporiferis per subterranea loca meantibus fœta sit; Typhœus verò pariter ac Ventus Τυφῶν Græcis dicatur; hinc a ventis per cavernas Insulæ spirantibus Typhoëum ibi conditum commenti sunt.

(b) *Nympharumque Lares &c.* Locus in Insulâ apprimè amœnus: Indigenis *Il Ninfario*, seu *il Giardino delle Ninfe* à fictâ Nympharum frequentiâ. Jasolin. l.1. c.3.

(c) *Abucœte.* Abucœtus notissimus Ænariæ fons: Indigenis, *Fonte d'Abucceto*, seu *di Bucceto*, qui frigidis haustu aquis ab altissimo Epopei oritur jugo: ut laudati Capac. & Jasolin. locis cit.

(a) *Mi-*

Mitia contiguæ [a] parcunt incendia lymphæ.
Non vapor hanc nebulis, fucco non inquinat humor
Triſtis; at immuni per campos didita curſu
Nativum nullâ turpat contage nitorem.
Alpheum veluti poſitis Arethuſa ſagittis
Dum fugit, & medio ſe proripit æquore, dulces
Servat adhuc latices, nec amaro ſpargitur imbri.
Ipſa etiam virides contemptis ignibus audax
Explicat herba comas: vernant fumantia circùm
Paſcua: & alma Ceres Vulcano inſultat inerti.
Nunc adeò gratæ quoniam dulcedine ripæ
Captus, & aprici nimiùm ſequor otia ruris:
Ænariæque vagor per compita, perque remotos
Myrmecum [b] Scopulos, atque ardua Saxa Marontis; [c]
Aoniæ monuere Deæ, ne multa morantem
Detineat lento me dulcis inertia plectro;
Carmina dum Fontes, medicoque Laconica [d] fumo
Noſtra petunt, revocantque ſuo ſibi jure Camœnas.
Ergo, agite, hæc noſtri quoniam pars prima laboris,
Pergite, Pierides, mecumque inſiſtite cœptis.
Principiò Inarime non ubere dives ab uno
Fundit aquas, fluidiſque parat tibi pharmaca venis.
Attamen ut numero liceat comprendere Fontes:
Et noviſſe queas quot Fontibus Inſula Thermas,
(Sive Hypocauſta [e] voces) & quot ſuperaddat Arenas,
Accipe. Terdenis, [f] ni fallimur, addita manant
Ter-

(a) *Mitia contiguæ &c.* Fidem penè excedit, quod iiſdem in locis ſulfure, bitumine, &, quod caput eſt, igne fœtis, frigidi tamen fontes oriantur; herbæ, ſegeteſque pluſquam alibi luxurient.

(b) *Myrmecum &c.* Italicè. *Gli Scogli delle formichelle.* Indigen. *Delle Foranicole.* A græco Μύρμηξ Formica: In parte Inſulæ Auſtrum versùs.

(c) *Saxa Marontis.* vulgò, *Promontorio de' Maronti:* etiam ad Auſtrum.

(d) *Laconica.* Ital. *Stufe secche.* A Laconibus, qui vel primi omnium, vel præ cæteris uſi ſunt iis, ut dicemus lib.2.

(e) *Sive Hypocauſta &c.* Hypocauſta Ital. *Stufe secche.* Ab Ὑποκαίω, *Succendo.*

(f) *Terdenis &c.* Tria & triginta, juxta Jaſolin., numerantur Balnea in totâ Ænariâ. Horum verò aliqua

Terna vaporiferis Balinea [a] undantia lymphis.
Præbuit hæc olim (numero licet ipſa minori
Nunc eadem exhibeat) terſenas fervida Thermas [b]
Ora. Machaoniis itidem quinæ uſibus aptæ
Ænariæ propter litus torrentur Arenæ. [c]
Clara ſed in primis nulli non cognita genti
Grande cothurnati peterent ſibi carminis œſtrum
Balnea, & a Parvo dicti qui Gurgite Fontes; [d]
Mira quibus domitura luem vis indita cœlo eſt.
Externas quæ nota plagas pervaſit, & Orbem
Implevit longè famâ; glacialibus altè
Seu Boreas quà tardat aquis pigra flumina: ſeu quà
Niliaci Titan medio ſublimis Olympo
Fœcundat ſata culta ſoli: vel, utrumque recurrens
Oceanum, ignotas retegit quà lumine terras.
Cui non parta ſalus tanto de Fonte: mederi
Quo dubiis licuit, refugiſque illudere morbis?
Dicite vos (ſenſiſtis enim, & meminiſſe juvabit)
Qui reducem toties vel acerbo e funere vitam
Ducitis incolumes; queîs functa impune periclis
Laomedontiadæ felix jam carpitur ætas.
Ah quoties duro foderet dum pectora morſu
Peſtis acerba, gravi fluxit per membra veneno,

B In-

qua vix in uſu; atque aliquibus uti, loci ſitus, ac natura non patitur. Meminere illorum, præter Jaſolin., & Capac., Baccius, Jo: Elyſius, Lombardus, Solinander, aliique.

(a) *Balinea*; A græco Βαλανεῖον, *Balneum*. Sic dicta Παρὰ τὸ ἀβάλλειν ἀνίας: quòd pellant ex animo dolorem, ac triſtitiam. Quod etymon probat D. Auguſtinus l.9.Confeſſ.c.12. Vide Gerard. Voſſium in ſuo Etymolog. V. *Balneum*.

(b) *Terſenas fervida Thermas &c.* Duodeviginti olim Hypocauſta fuere; nunc verò eorum nonnulla vel deperdita penitùs, vel nullo in uſu ſunt. Aliqua tamen recèns inventa: ut in calce libri hujus.

(c) *Arena*. Arenæ verò, quibus corpus, vel pars corporis affecta obruitur, quamvis quinque numerentur à Jaſolino, harum tamen aliquæ in præſentia nullum uſum habent.

(d) *Et a Parvo dicti qui Gurgite &c.* Indig. *Bagno di Gurgitiello*, quaſi Parvus Gurges; famâ ſatis notus: De hoc præter Jaſolin., egit Andreas Baccius l.6.c.3.de Thermis, & poſt ipſum Innumeri.

(a) Oſ-

Infecitque artus, turgentiaque ulcera tabo!
Quin etiam, teneris dum perfurit illa medullis:
Offaque dum fœdis vitiata abfceffibus [a] horrent,
Egregium formæ periit decus: ipfe juventæ
Flos periit. macie indecorem cutis arida vultum
Vix obit: enervi torpent veftigia motu;
Triftiaque intentant celerem contagia mortem.
Tum medicas Chiron adhibere impenfiùs artes
Abnegat ignorans. venis fugientibus actam
Nulla luem folers arcere induftria curæ,
Aut Botanes [b] lectæ potuere e frugibus herbæ.
Non juga Paufilypi, [c] nec aprici prata Dicarchi [d]
Languentes relevant animos, virefque labantes.
Non patrium vertiffe folum; non ruris amœni
Tractus, & impulfæ Zephyris motantibus auræ.
Ipfe etiam eft Ægris aër non æquus, amico
Qui beat afflatu colles, Campanaque mulcet
Arva: Laborinis ubi regnum exercet in Agris
Imperitans Liber, Cereremque ad bella laceffit.
Nec dulces amor eft aliò petiiffe receffus,
Seu quos Leucopetre [e] cœlo mitiffima: feu quos
Re-

(a) *Offaque dum fœdis vitiata abfceffibus &c.* Abfcefsus Tumores funt præter naturam; quorum materia collecta ob caloris debilitatem in pus, faniemque degenerat.

(b) *Aut Botanes*. A græco Βοτάνη Herba: hic pro Deâ, quæ herbis, medicis præfertim, præeft, fumitur.

(c) *Non juga Paufilypi*. Celeberrimum Promontorium elegantiffimis villis, atque ædificiis ad mare confitum, Neapoli ad occidentem Solem fubjectum; vulgò *Pofilipo* feu *Paufilippo*: Α'πὸ τῆς παύσεως τῆς λύπης: quafi a laborum ceffatione, & requie. Confule, præter cæteros, Capac. l.2. c.2.

(d) *Nec aprici prata Dicarchi*. Dicarchum vulgò *Pozzuoli*, a Dicæo Neptuni, vel Herculis filio dictum putat Suidas. Alii a Prætorio, ubi jus dicebatur, quod Puteolis fuiffe fcribit Petronius; Δίκη enim Juftitia, & Α'ρχὴ Imperium, feu Principatus Græcis fonat. Puteolos deinde dictos vult Strabo fub Hannibale a Puteis ad hauriendam aquam effoffis: vel ab aquarum putore, quòd totus ille finus vaporibus fulfureis fœtus fit. Saluberrimi cœli locus.

(e) *Seu quos Leucopetre*. Vulgò *Pietra Bianca*: a græco Λευκὸς Albus, & Πέτρα Petra. Locus apprime amœnus, altero a Neapoli lapide.

(a) *Tem-*

Regifico tollunt Tempe tibi Pontia [a] luxu :
Seu Retina [b] jugo nimiùm vicina Vesevo. [c]
Verùm ubi spes vitæ, fato impendente, salusque
Conclamata jacet : taciti cessere Magistri :
Irritus & morbo cessit labor : omnia quando
Languor habet, rapidisque volat Mors invida pennis:
Sospes ab hoc uno (dictu mirabile !) luxit
Fonte dies oriens : uno hoc morientibus uti
Profuit, & Parvo mersare in Gurgite corpus.
Ilicet arcanos dum lubrica lympha meatus
Et subit, & facili serpit per viscera lapsu :
Tunc affecta vetus repetit præcordia robur ;
Æger & illapsam fibris, tractimque receptam
Sentit opem ; pulso sedenim discrimine tabes
Inclinata fugit, redeuntque in pristina vires.
Non secus ac Pæsti si quando in margine caltham,
Caltham, sive rosam succis vitalibus humor
Destituat ; jacet illa solo, sternitque suo se
Caudice ; sed pluvium cœli si senserit imbrem,
Infusamve cavis si forte canalibus undam,
Tunc rediviva comas, & odoro vertice frontem
Explicat, & fatis melioribus usa superbit.
At tibi nunc Stagno fuerit quibus insita quondam
Principiis virtus, sine me haud ingrata canentem,
Pieriis aperire modis, remque altiùs omnem

(a) *Tempe tibi Pontia.* Tempe Pontia hìc per catachresim Villa amœnissima, quarto circiter a Neapoli lapide, vulgò *Portici*. Pontiam quidem dictam refert Benedictus Falcus In Opusc. cui Titulus : *Descrizzione de'luoghi antichi di Napoli, e del suo Distretto*, ab ejus Conditore Q Pontio Aquilâ Cive Romano Plebis Tribuno, qui Cæsari infensus in ipsum conjuravit cum Bruto, & Cassio ; fuitque unus e numero Percussorum.

(b) *Seu Retina*. Nostrat. *Resina*, quinto circiter ab Urbe Neapoli lapide, ad Vesuvii radices : de quâ Plin. Jun. Epist. l. 6. Epist. 16. ad Cornel. Tacit., infelicem C. Plinii Secundi avunculi sui exitum ab incendio Vesuvii describens.

(c) *Vesevo.* Adject. a Vesevo, qui & Vesbius, & Vesuvius. Ital. *Vesuvio*, o *Monte di Somma*, Campaniæ Mons.

(a) *Sa-*

Pandere: cur tanto Fons primùm exarſerit æſtu:
Nominis unde notas, & aquarum traxerit ortus:
Unde tot irriguis veniant medicamina venis
Expediam, & veteris revocabo exordia facti.
Nunc, age, labenti quæ nunquam labilis ævo
Pervigili ſolers oblivia mente repellis,
Mnemoſyne, immemores letho quæ ſubtrahis annos;
Tu vatem, tu Diva, præi: primordia tanti
Fas mihi primævâ ceciniſſe ab origine Fontis:
Erutaque antiquis monumenta evolvere ſeclis.
Forte dies aderat, Sacris quâ læta juventus
Palladiis operata, [a] hilari Tritonidos almæ
Parthenopea choro feſtas tendebat ad arces.
Thuraque, ſolenneſque preces, atque annua Siren
Dona ferens, poſitæ Spectacla indixerat Urbi.
Ergo omnis latè feſtivo excita tumultu
Ora fremit, repetitque ſuos per compita ludos, [b]
Grajugenûm de more Deam venerata quotannis.
Nam Divûm auguriis Cumea ad litora poſtquam
Chalcidicam claſsis devexit Abantia [c] pubem:
Et Sacra Munychiæ, [d] cultuſque, & Numina gentis
Tranſtulit huc Italas devecta Eumelis [e] ad oras,
Idaliâ lætos [f] quæ condidit Alite muros,

Eu-

(a) *Sacris... Palladiis &c.* Sacra Palladia, ea ſcilicet, quæ Neapolitani Cives in honorem Palladis, quam ut principalem Deam colebant, olim quotannis celebrabant; ducto ab Atheniensibus more, a quibus originem ſuam repetebant: ut videre licet apud Franc. de Petris Hiſt. Neapol. l.s. c.6.

(b) *Per compita ludos.* Lampadicos præſertim; de quibus mox.

(c) *Abantia.* Chalcidenſium ſcilicet: Chalcis enim Abantis etiam dicta eſt a Statio Syl. l.4. Syl. 8.

(d) *Et Sacra Munychia &c.* Athenienſium quippe Euboea Inſula Colonia fuit, teſte Paterculo l.s. c.4., cæteriſque. Hinc ab Athenienſibus mores, ritus, ſacra, ac religionem Euboeæ Incolæ accepere; quæ omnia deinde ſecum advexere in locum, ubi nunc Neapolis; atque in hanc novam Urbem ab ipſis, Parthenope Duce, conditam intulere; ut citatus de Petris, aliique ad unum omnes, qui de Rebus Neapol. ſcripſere.

(e) *Eumelis.* Parthenope Eumeli Pheræ Theſſaliæ Regis Filia.

(f) *Idaliâ lætos quæ condidit &c.* Columbâ ſcilicet, cujus prævolitantis

Euboicosque lares; jam tum firmata secundo
Palladis auspicio stetit alta Neapolis: aras,
Et Pandioniæ jam tum delubra Minervæ
Struxerat, Actæâ renovans certamina pompâ.
Namque in honore Deæ solvit sua vota: Facesque
Corripit ardentes, & anhelo Lampada [a] cursu
Quassat agens, ritum Pubes imitata Pelasgum.
Jamque dies indicta Sacris affulserat; & jam
Venerat æquali Sirenum ad mœnia cœtu
Nympharum manus alma, quibus non tæda reluxit
Pronuba, non castos velarunt flammea vultus.
Venit Hamadryadum Fauno comitata bicorni
Turba frequens: venere alacres ad festa Napeæ.
Quæque sinus, Sebethe, [b] tuos: resecandaque falce
Sosiacâ [c] quæ rura colunt: quæ culmina Lubræ: [d]
Deliolosque Hortos, [e] & apricos Herculis amnes. [f]
Pri-

tis ductu Parthenopen huc appulisse, ubi nunc Neapolis, habes apud Patercul. loc. cit. Capac. l. 1. c. 6. cæterosque. Addunt Poëtæ, Columbam illam ab Apolline immissam; quod innuit Stat. Syl. l. 3. Syl. 5. In cujus rei memoriam Neapolitani Cives Statuam Apollini erexere, in cujus humeris Columbam insidentem adorabat Parthenope. Vide Stat. Syl. l. 4. Syl. 8.

(a) *Lampada &c.* Cum scilicet Homines per Urbem accensas lampades præferentes eâ lege currebant, ut in cursu accensæ servarentur; cujus enim fax extinguebatur, is victoriam successori cedebat. Et quamvis in Cereris honorem hi Ludi celebrarentur etiam Neapoli, ut ex Stat. loc. cit.; ac deinde ad Parthenopes sepulcrum; Minervæ tamen, cui etiam (ut Pindarus in Olympicis) sacri erant, instaurati ibidem sunt: ut loc. cit. de Petris.

(b) *Sebethe.* Sebethus, notus Neapolis fluvius, campos ab Oriente irrigans. Ital. *Il Sebeto.*

(c) *Sosiacâ &c.* Adjectivum deductum a Rure Collegii Neapolit. Soc. Jesu, cui a D. Sosio nomen, vulgò *San Sossio*: ad Vesuvii radices, quà Nolam spectat, situm. Locus annuis Autumnalibus vacationibus delectus.

(d) *Culmina Lubræ.* Ital. *Massa.* A Delubro Minervæ illic olim ab Ulysse condito, ait Capac. l. 2. c. 13. ex Strabone. Unde & Massa ad Delubrum, & Lubrensis dicta. In Promontorio Minervæ contra Capreas locata.

(e) *Deliolosque Hortos.* Horti Delioli, sive Deliolum, vel, ut alii, Doliolum, Fons prope Neapolim in viâ Acerranâ; quem Alfonsus Calabriæ Dux Regis Ferdinandi I. filius sumptuosissimis ædificiis exornavit: longumque inibi tractum, *Podium Regale* vulgò *Poggio Reale* appellari jussit. Pontanus tamen eleganter De Hort. Hesper. l. 1. *Deliolos Hortos*, nuncupavit.

(f) *Herculis amnes.* Juxta Neapolim Fontes sunt, ab Hercule, qui Neapoli colebatur, Herculani dicti, ut Pontan. de Bello Neap. l. 6.. Idem
Le-

Prima sed ante alias formâ præstantior ibat
Parthenope; Oebalio quam palla tegebat amictu
Mæoniis distincta modis; nodatur in aurum
Cæsaries; auroque sinus, gemmisque crepantes
Fibula subnectit mordens, argentea crurum
Tegmina Erythreis exornat gaza lapillis.
Hinc, atque hinc geminæ stipant Achelöides: olli
Et Proceres circùm, populorum & turba sequentum,
Dum præit, assurgunt; & herilia jussa morantur.
Ponè tuis, Helicon, quæ collibus æmula colles
Jactat, Olympiaci [a] speculatrix ardua ponti,
Festinatque gradum, sociisque supervenit Ægle. [b]
Nec trifolina, olim Baccho quæ nupserat, Hermis,[c]
Aut Venantum acres Conicle [d] experta labores
Defuit, aut Paphiæ cultrix industria myrti
Antiniana. [e] suum sequitur Platamonis [f] Halantum
In-

Lepidin. Pompâ. 3. *Fontes Herculis* dixit. de his etiam loquitur Summont. l.1. c.2. Hist. Neapol.

(a) *Jactat Olympiaci &c.* Ab Olympiâ. Vide Notas seqq. pag. 15. lit. e.

(b) *Ægle*. vulgò *Pizzo falcone*: ab Accipitribus ibi aliquando captis, inquit Capac. l.2. c.3. Sub Ægles deinde Nymphæ nomine locus hic celebratus a Bernardino Rota Viro Patricio, ac Poëtices laude florentissimo. Regio in altiori Neapolis fastigio, mari imminens, Lucullanum respiciens: elegantissimis ædificiis ornata, & hortorum amœnitate suavissima. Hinc meritò Heliconis æmulam dicit Auctor.

(c) *Hermis*. Hermis, sive Mons Hermus, vulgò *Monte Santeramo*. A Pontano *Mons Sancti Erasmi*, qui ibi in quâdam Ædiculâ colebatur. A copiâ trifolii Trifolinum alii dixere. De hoc vitibus olim consito locutum volunt Martial. l.13. Hermitis Nymphæ nomine appellat idem Pontan. Lepid. Pom.4. & alibi.

(d) *Conicle*. Nostrat. *La Conocchia*. Locus ad D. Januarii Ædem extra Urbis mœnia. Sub Nymphæ venatricis nomine hanc etiam celebrat Pontan. Lepid. Pom. 4.

(e) *Antiniana*. Ab Antiniano, Nostrat. *Antignano*. Rus ab Occidente Neapolim spectans, & in viâ Appiâ positum; cujus adhuc ibidem vestigia. De hoc Capac. lib. 2. cap. 5. *Antonianum* alii dixere; putantes, vel a M. Antonio, vel ab Antonino Imperatore conditum. Veriùs alii *Antinianum* quasi contra Lacum Anianum: Nostr. *Lago d' Agnano*. Alii ab ἀντὶ contra, & ἀνίαν mæstitiam, quasi contra mœrorem. Myrtetorum cultricem vocat Pontan. Lepid. Pomp. 6.

(f) *Platamonis*. Nostr. *Lo Fiatamone*. Via in Neapolis Suburbio ad maris litus, Occidentem versùs; Pontano etiam Nympha est, quam ipse Halanti Juvenis amore carpi fabulatus est Lepid. loc. cit.

(a) *Pa-*

Infelix, miseroque amens indulget amori.
Tu quoque, tu claris Vatum celebrata, Patulci,[a]
Carminibus, Magni servas quæ busta Maronis
Litore in hoc; lauroque [b] virens fœcunda comanti
Addis adhuc tanto decus immortale sepulcro:
Tu quoque Palladiæ cumulas solennia pompæ
Gaudia. diffusis tecum redimita corymbis
Carpit iter, nostros quæ ductilis ubere lymphæ
Spargit agros sinuosa, & Fontibus addit honorem
Culta Labulla. [c] suam non hìc oblita parentem
Deserit, irriguos Formellis [d] adulta per hortos.
Huc patrii Crateris honos, & sola Camœnis
Digna coli, celeres molitur Olympia [e] gressus,
Dulce melos iterans, & dulci carmina cantu.
Dumque manu plectrum, plectro dum fila loquaci
Tractat, ab Aoniis iterum Permessidas antris
Evo-

(a) *Patulci*. Patulcium in monte ad secundum ferè a Neapoli lapidem in viâ Puteolanâ Virgilii sepulcro clarum; quod de more Pontanus sub Patulcidis Nymphæ nomine celebravit; ut loc.cit.& Hesper.l.2.Capac. l.2. c.2. Patulcium nuncupari autumat locum hunc ex eo, quòd Ælius Abascantus Rufini pater ab hæredibus Patulci Diocletis agrum illum emerit; idque ex antiquo lapide constare affirmat.

(b) *Lauroque &c.* Ad Virgilii sepulcrum olim Laurum enatam asserunt. Consule Capac. loc. cit.

(c) *Culta Labulla*. Rivus est, imò fluentum per cuniculos Neapolim miro opere inductum. Et *Labulla* sive a labro, quo aqua excipitur; sive a bulliendo dicta. Nostrat. *Capo d'Acqua, che viene da Poggio Reale*. Locum hunc exornat toties laudatus Pontanus, in Elegiâ de Sebetho: & Labullam Nympham facit. Sic etiam Lepid. Pomp.4. Extant Donati Franchi Carmina in suâ Neapoli, in quâ Sebethi, & Labullæ amores prosequitur.

(d) *Formellis*. Sub Formellidis Nymphæ nomine exprimitur cum Pontano locus ille, quem ad Urbis mœnia Nostrates *Santa Catarina a Formiello* vocant. Cumque in hunc primò Labulla aquas suas, mox inter Urbis Hortos, & compita elegantissimis Fontibus dividendas, exoneret: hinc Lepid. loc. cit. Formellidem primam Labullæ filiam appellat. Viam hanc Capac. lib. 2. c.7. *Aquas Regias* nominat; a Fontibus in eâ ab Alfonso Pimentello Beneventi Comite Regni Vicario extructis. Ab hac igitur viâ per Aquæ-ductus, quos vulgò *Formelle* dicunt, ita affluenter aqua Neapolim perducitur, ut pensilis veluti Urbs super illam innare videatur.

(e) *Olympia*. Vulgò *Chiaja*: vox sermone Neapolitano corrupta ab Hetrusco *Piaggia*. Amœnissimum Suburbium in orâ maritimâ inter Lucullanum, & Pausilypum. Olympia, ut ait Falcus, ex eo quòd olim ibi Ludi in honorem Jovis Olympici habiti sint. Locus

Evocat; ut Pindi [a] potuit de vertice quondam
Ducere montivagas [b] hæc nostra ad litora Musas;
Extinctam resonare docet dum Phyllida [c] ripas:
Actiacumque [d] canit piscosa per æquora carmen.
Addunt se comites pelago circumflua Nesis, [e]
Inarimeque, & vicinis quæ læta racemis
Æquoreâ madidas aspergine proluit uvas
Mergellina: [f] vagisque favens Euplœa [g] carinis:
Et Megare [h] elato despectans cærula dorso.
At quo te tandem, pompæ pars maxima, plectro
Commemorem, Prochyte? [i] Dryadum pulcherrima quondam,

Nec

eus Neapolitanorum Poëtarum jure carminibus exculteus. Ex hoc P. Nicolaus Parthenius Giannettasius Soc. Jesu sibi *Vatis Olympici* nomen desumpsit; quòd Matre Olympicâ natus sit, ut ipse Nautic. 8. testatur.

(a) *Ut Pindi potuit &c.* Innuitur Jacobus Sannazarius Neapolitanus Eques, Friderici II. olim gratiâ florens, ac præsignis seculi sui Vates: qui Poëtarum omnium primus laudem, quam alii ovium Pastoribus canendi ad numerum impertiti sunt, Piscatoribus etiam communem reddidit.

(b) *Ducere montivagas &c.* Respexit Auctor ad illud Ludov. Ariost., qui Cant. 46. Stroph. 17. cecinit:

Giacobo Sannazar, che a le Camene
Lasciar fa i Monti, ed habitar l'arene.

(c) *Phyllida*. Alluditur hìc ad primam ejusdem Sannazarii Eclogam, cui Titulus, *Phyllis*.

(d) *Actiacumque &c.* A nomine Sannazarii, qui (ut Jovius in vitâ) repudiato gentilitio, *Actius Sincerus*, Pontano adhortante, dici voluit. Actius fortasse ab ipsâ maris *Actâ*, in quam primus omnium Musas adduxit: *Sincerus* ab auteâ morum sinceritate.

(e) *Nesis*. Ital. *Nisida*: Parva quædam (ut nomen Νῆσος sonat) Insula in sinu Puteolano. Poëtis satis hactenus celebrata. Pausilypo adjacentem olim, terræmotus vi divulsam, & aliò abreptam ferunt.

(f) *Mergellina*. Amœnissima Villa, in extremo oræ Olympicæ, atque ad mare in Pausilypi radicibus: vitibus undique convestita. Hanc Sannazarius Friderici Regis dono possedit. Carminibus olim, nunc verò tanti Vatis Tumulo insignis. Nostrat. *Mergoglino*.

(g) *Euplœa*. Ital. *La Gajola*. Quasi Caveolæ, inquit Falcus. Scopulus veriùs quàm Insula; Pausilypo objecta, in Occasum vergens. Græcis Εὔπλοια hoc est, Bona navigatio: Ab εὖ bellè, feliciter, & πλέω navigo. De hac Stat. Syl. l. 2. Syl. 2. & In Hercul. Surren. Syl. l. 3. Syl. 1. Ex eo dicta, quòd olim Alexandrinis navigantibus bonum omen præstiterit.

(h) *Et Megare*. Nostrat. *Castel dell'Ovo*: quæ & Castrum Lucullanum. Videatur Capac. l. 2. c. 3. Dicta multis Megare, quòd olim Græci Megarâ venientes ibi habitaverint. Aliis a Megarâ Herculis uxore: illam enim regionem hanc incoluisse dicunt. Stat. Syl. l. 2. Syl. 2. Megaliam appellat: quidquid in contrarium senserit Petrus Lasenna In Oper. *Dell'Antico Ginnasio Napoletano*, c. 7.

(i) *Prochyte*. Ital. *Procida*. Insula

Pu-

Nec patiens huc usque viri : tamen altera Nymphis
Addita dein pelagi, & Nereo dilecta marito.
O utinam, patrii quà se subducere colles
Incipiunt, & lene Caput submittere Clivi, [a]
Sylvicolas inter populos, cœtusque sororum,
Capripedesque Deos nunc usque ignota lateres!
Quàm felix! ævum quàm non ingloria sylvis
Exigeres! Phœbi nam te Soror alma sagittas,
Et tractare arcus, & arundine figere prædam
Dum docet, ah caræ quantùm blanditur alumnæ!
Te tenero fovet illa sinu : primamque laborum
Te comitem, & socias inter dedit esse puellas.
Posthabitis tamen illa Deæ sed amoribus, audet
Ire viam, quà cæca trahunt sua fata ruentem :
Et Tritoniaco fervent quà litora plausu.
At non & venisse volet, cum proxima letho
Irrita Latoam, Divosque in vota vocabit.
Nec mora, Mæandro chlamydem, signisque rigentem
Induit, artificis Phrygio quam dædala limbo
Pinxit acus, pictamque levi variavit acantho.
Gemmea virgineum non dum resoluta coërcet
Zona latus : rapidis Nymphe permiserat auris
Indociles sine lege comas diffundere : frontem
Casside, Spartano suras accincta cothurno.
Olli habiles de more sonant post terga pharetræ.
Arcum læva tenet, strictum tenet impigra telum
Dextera : Dianæ suppar habitumque, genasque,
Suggestumque comæ, & duros venatibus artus.
Harpalice haud aliter nudo jaculatur in hostes

C Te-

Puteolani sinus. *Procbyte* quidem a Προχέω, *Profundo*, quòd ab Ænariâ, cui olim conjuncta, motu terræ divulsa, ac *Profusa*, inquit Plin. l.3. c.6. & *aliò provolutis montibus Insula extiterit* : ut Id. lib. 2. c.90. Auctor tamen, ut metamorphosi, mox addendæ, det locum, Dryadem illam facit.

(a) *Caput submittere Clivi*. Caput Clivi, Locus prope Neapolim maximè fertilis : Nostr. *Capo di Chino* : ita ex Falco, & Capac. l.2. c.7.

(a) *Te-*

Tela ſinu: vel acerbà fremens, ubi Dardana venit
Litora, Amazonidum ducens in bella phalanges
Penthefilea, dolos, ſtrageſque ultura Pelaſgûm.
Demens! quæ caſus, & ineluctabile fatum
Urget, & immites inopina ad funera Parcas.
Conſeſſu tandem in medio, Circoque frequenti
Emicuit, Nymphis & conſpicienda reluxit.
Non ſecus ac verni media inter germina ruris
Et nitet, & primos Floræ roſa poſcit honores.
Semivirûm interea Satyrorum e gente profectus
Ipſe etiam patriis (dubiæ proh neſcia ſortis
Pectora!) Teleboas [a] Capreis adventat; Apollo
Cui medicas artes, penituſque indulſerat olim
Scire poteſtates herbarum, omniſque ſalubrem
Stirpis opem, lectaſque, fovent quæ vulnera, fruges.
At non Idaliæ medicari Cypridis ictum
Evaluit; non ille faces eluſit, & arcus.
Namque ubi veſtigans aciem per cunctâ ferebat,
Obvia luminibus tum clarâ in luce refulſit,
Qualis erat vultu Prochyte: tum fixus in uno
Reſtitit obtutu, viſuque immobilis hæſit.
Nec vidiſſe oculis ſatis eſt; it lapſa per imas
Flamma fibras, ſubitumq; bibit malecautus amorem.
Dumque bibit, tacitumq; premit ſub pectore vulnus,
Mente dolos agitat, votiſque indulget iniquis.
Quippe (nefas!) Prochyte inſidiis, & fraude potiri
Deſtinat, & furto vecors lætatur inani.
Ecce autem tardæ cum jam ſua lumina nocti
Credidit, & ſero ſucceſſit Veſper Olympo;
Tum

(a) *Teleboas.* Nomen deductum a Capreis, quæ Teleboæ dictæ ſunt a Telebois Acarnaniæ Populis illas olim incolentibus. Vel ab Inſulis Teleboidibus (quarum meminit Plin. lib. 4. c. 12.) a quibus Incolas in Capreas demigraſſe ferunt. Vel, ut alii, a Teleboo Prerelæ Regis filio, qui primus e Græciâ in hanc Inſulam navigavit.

(a) *Pha-*

Tum cursu lassata pedum certare Juventus
Desiit: extinctæ votivo Lampades igne.
Jamque renascentis per amica silentia Lunæ
Turba lares repetit; Nymphæ cessere theatro.
At non Teleboæ cessit furor; irruit ultro
In Prochyten, audetque manu prensare procaci.
Horruit, incauto ceu quæ pede presserit anguem,
Territa conspectu Virgo; sua verba dolori
Deficiunt: tremebunda pavet. sic Cerva Leonem,
Sic rabidum pavet Agna Lupum; rostroque sequacem
Sic timidæ Accipitrem seclusâ in valle Columbæ.
Mox ubi mens rediit, visusque hàc flexit, & illac;
Inarimen patriæ repetentem limina sedis
Ut videt: Inarimen votis, precibusque fatigat:
Inarimen resonis referebant compita tectis.
Affer opem Nymphæ; & casu me subtrahe, dixit.
Pallida tum trepidis properantem amplectitur ulnis.
Qualis, populeam rapuit cui Sirius umbram,
Serpit humi vitis: viduoque in cespite frondes
Vix alit: appositæ si forte propinquiùs ulmo
Hæserit irrumpens, trunco dat brachia circùm,
Vinculaque innectit propetis uxoria ramis;
Inarime at postquam teneris dedit oscula labris
Mille, manu Prochyten complexa, per æquora secum
Devehit; optatum fugiens tenet utraque litus,
Ocior Æolio spirant qui carcere ventis.
Insequitur pavidas, cursu nec segnior urget
Teleboas; volucrique premit tranquilla natatu
Cærula, & insultans Prochytæ superimminet. illa
Flet lacrymans, lacrymisq; oculos dum turpat obortis,
Dictynnam ingeminans sic ore precatur amantem.
O Dea, virginei custos innupta pudoris:
Si qua meis unquam cecidit tibi victima telis,
Suspendive tholo surgentem in cornua Cervum:

Sis præsens, tantoque volens succurre labori.
Da rabidi vitasse manum prædonis; & ipsum
Sterne solo exanimem, stratumque ad Tartara pelle.
Hæc ait: at voti tantùm succedere partem
Diva dedit: pelago partem ferus obruit Auster.
Namque pudicitiæ tunc & Latoa labanti
Consuluit vindex, & iniquis obstitit ausis
Teleboæ; at Prochyte fato haud subducta sinistro est.
Ilicet hærentem lateri dum sustinet hostem,
Extimuit pudibunda: stupent correpta recenti
Membra metu: riguere genæ, vox faucibus hæsit.
Pallor habet frontem, pallor suus occupat ora,
Ora, manusque ambas; Parioque simillima saxo
Constitit; arrectos nec ventilat aura capillos.
Sic lethalis hyems totum diffusa pererrat
Corpus, & amisso torpescunt sanguine venæ;
Et lapis est quæ Nympha fuit. sublimior olli
Arboribus sylvescit apex, quem crista tegebat;
In frondes abiere comæ; versisque sagittis
Jam nemus in Prochytæ pharetrâ, jam crescit in armis.
Utque peregrinis Colchorum e finibus olim
Huc primùm Argivo Minyarum remige vectas
Phasiacas [a] agitabat aves, telisque premebat
Impigra, Phasiaco Prochytæ sic alite lucos
Auxit, & immeritum solatur Cynthia fatum.
At non Teleboam potis est vis ulla levare:
Sed furit infrendens, Phœbumque incusat, & astra.
Tum Prochytæ, ut potuit, scopulis lacrymansque, gemensque
Procubuit super; atque hærens, crudelia dicit

Nu-

(a) *Phasiacas &c.* Aves Phasiacæ: Ital. *Faggiani* a Phasi Colchorum fluvio dictæ; atque ad nos vectæ ab Argonautis, cum e Colchis in Græciam, e Græciâ huc demum transportatæ; & his quidem nunc Prochyte præ cæteris locis referta est.

(a) *Al*

Numina: crudelem ſeſe, quòd luminis aurâ
Veſcitur, infernis nec dum miſer occubet umbris.
Non tulit hoc triſtis gemitu commotus Amici
Delius, antiquæ ſubeunt nam pectora flammæ.
Et bonus ut cauſſam lacrymarum avertat, ab imo
Perculit Inarimes nutantia culmina fundo.
Tum ſubitò excuſſis latè juga percita ſylvis
Intremuere: movent disjectæ vertice rupes:
Saxaque diſſiliunt: vaſto diſcedit hiatu
Pontus; ab Ænariâ [a] Prochytæ latus abſcidit; æquor
Per medium volat illa: ſuus timor urget euntem;
Eluſumque cavens vel ſic irridet Amantem.
Tum verò iratæ ſenſit fera ſigna Dianæ
Teleboas, læſâ meritus pro Virgine pœnas.
Ille quidem, curis impar exſolvere mentem,
Hæret iners animi: paulatim ſerpit in artus
Torpor, & immotis dureſcunt viſcera fibris.
Frigida quin etiam circùm præcordia ſanguis
Obſtitit; in ſilicem corpus jam vertitur; & jam
Ænariæ ſcopulis, ut ſignum exangue, reſedit.
Non aliter triſido quàm ſi percuſſus ab igni,
Miſſa procelloſo ſenſiſſet fulmina cœlo.
Flet tamen exanimis; lacrymiſque per ora volutis
Non ſua, fallaces Nymphæ deplorat amores.
Quin & inextinctis, caluit quibus ille, favillis
Ardet adhuc: ſpirant vel nunc incendia lymphæ,
Quas liquat, atque oculis Parvo ceu Gurgite fundit.
Hinc nomen, Fons alme, tuum; ſic indita virtus
Plurima; Teleboas nam quot medicamine ſuccos,
Quot potuit morbis adhibere ſalubriter herbas,
Tot medicis Phœbus vitalia munera lymphis
Contulit, & ſimili Fontem dignatus honore eſt.

In-

(a) *Ab Ænariâ &c.* Conſonat Hiſto-|riæ, ut in Notis pag. 16. lit. l.

(a) *Cli-*

Interea, tectis tibi dum rorantibus undas
Egerit hic, cœpto mecum ne parce labori
Quis quis es, Ænaridos tangit quem gloria famæ.
Non ego te primo defixum in Fonte morabor;
Nec fuerit nostris hæc meta novissima votis.
Est honor, est aliis quæ dives adorea surgit
Parta plagis, superas quâ se se clara per auras
Sustulit ingenti victura pereniùs ævo
Inarime, Solisque domos implevit utrasque.
Ergo iter aggressi rursum, subeamus aquosi
Clausa soli; paucis quà te, nec longa secutum
Orsa, novas doceam lympharum accedere fauces,
Nota Machaoniâ dum currimus æquora cymbâ.

Ecce autem ex imis Clivi radicibus, [a] Auster
Quà tenet, inde salit: Phœbi dein versus ad ortum
Labitur, & riguo fœcundat jugera lapsu
Furnelli [b] Fons dictus Avis; quòd profluat arctis
Faucibus, & primâ referat præfurnia fronte.
Sulfuris, & Ferri venis exceptus, utrumque
Et sapit, & nitro passim, mixtumque trichiti [c]
Sal habet; at mediis, quà languidus ignis inerrat,
Penè calet stagnis, & parciùs imperat undæ.
Cum tamen hæc succis aloës, & amarior atro
Felle fluat, naresque gravi pertentet odore:
Non illam, æstivo vel cum jacit undique flammas
Sole furens Procyon, sitientibus arida labris
Ora velint tetigisse: licet Riphæa pruinis
Algeat, & tristes nix circumfusa tepores
Pellat, & austeri vincat fastidia potus.

Hinc

(a) *Clivi radicibus &c.* Locus hic Indigen. *Monte de' Fossi.*

(b) *Furnelli &c.* Indigen. *Bagno di Fornello*, prope Vicum, vulgò *San Pietro a Pantanello.* Meminit hujus, præter Jasol. l. 2. c. 6., etiam Bacc. l. 4. c. 10.

(c) *Trichiti.* Trichitis ex Plinio l. 35. c. 15. Species aluminis in capillamenta quędam canescentia dehiscentis; a græco Τρὶξ Capillus.

(a) *Ut*

Hinc teli ad jactum subjectos cerne per agros
Ut Caurum, Boreamque inter [a] gratissima rorent
Balnea, Fontanis nomen quêis venit ab oris. [b]
Ipsa tibi biforo largè manantia ductu
Saxa liquant vicina; nec his certaverit ulla
Aut tantùm fluere, [c] aut puros mage vena liquores
Volvere, dum tecti contenta sub imbrice Naias
Par micat electro, stagnisque nitentibus instat.
Ipse quidem, nisi multa nitro styptiria, [d] & acri
Hanc apyron [e] limo inficeret, propiora saluti
Non alia optarem vires fractura Lyæi,
Quàm quæ fontales explent carchesia rivi.
Cum tamen ingratum sapiant, his utere tantùm
Cum dolor in cursu, vitæque incommoda cogunt.
Multum illis pretii quondam fecere repulsæ
Morborumque acies, atque agmina victa malorum.
His etenim, nequidquam alias tentata per artes,
Parta salus, [f] grandi cumulavit fœnore famam.
Nil ibi plebejum: non hic Ephyreïa præfert
Æra: sed argenti, magnetis & innatat humor
Particulis, nitidoque satur splendescit in auro.
Nec procul exurgens tractu desudat eodem
Castilion; [g] veteris nomen cui rudera Castri, [h]
Dirutaque antiqui dederunt vestigia pagi.
Proxima fluctivagi sonat ille ad cærula Nerei,

Cu-

(a) *Ut Caurum &c.* Vulgò, *Fra Maestro, e Tramontana.*

(b) *Balnea Fontanis &c.* Indigen. *Bagno di Fontana, ò della Fonte*; de quo Jasol. l.2. c.7. & Baccius l.4. c.10. & 13.

(c) *Aut tantùm fluere &c.* Ita ex laud. Jasol.

(d) *Styptiria.* Στυπτηρία, Alumen: quia nimirum ςύφει, hoc est adstringit. Utitur hac, cæterisque id genus vocibus Auctor pro ipso Alumine, ne repetita sæpius eadem vox *Alumen*, fastidium legentibus creet.

(e) *Hanc apyron.* Apyron ex Plin. l.35. c.15. genus Sulfuris vivi.

(f) *Parta salus &c.* Majorem fortasse præ cæteris, uno excepto Parvo Gurgite, sibi laudem vindicat Balneum Fontanum in præsentiâ.

(g) *Castilion.* Indigen. *Bagno di Castiglione.* De hoc Jasol. lib. cit. c.8. & Bacc. l.4. c.10. & 13.

(h) *Rudera Castri &c.* Indigen.

C4-

Cumeum contra litus, Boreamque nivalem.
At circùm apposito [a] collectis pariete postquam
Corpora fovit aquis, solioque [b] excepta rigavit,
Per scopulos præceps, & tesqua horrentia serpit.
Ille suas etiam terræ salsugine [c] partes
Imbuit: & rapidis fovet ille incendia flammis.
At subitò indicium peracuti sulfuris unus
Præstat odor; dumque ora nimis torquebit amaror,
Signa tibi salsi faciet manifesta saporis.
Lætus ager quà prata madent: lætissima florent
Jugera; sed fusâ totum ferrugine litus
Obruitur latè, furvâque nigrescit arenâ;
Cui sua magnetem laus est traxisse; [d] coactum
Jura pati, potuit quæ victo imponere victor;
Et ferri domitorem olim sibi subdere inermis.
Quid sit Amor qui nescit adhuc, hoc noscat ab uno,
Dum silices domuisse potis; tractosque tenaci
Compede, naturæ cogit dediscere leges:
Et nova mutato sortiri viscera sensu.
Ut tamen huc certo valeas appellere cursu,
Dum Prochyte adveniens remum lentabis in undâ,
Ænariamque voles celeri tetigisse phaselo,
Hoc meminisse velim; lævas tibi palmula cautes
Radat, inaccesso quà se de vertice tollit
Celsa silex, ingens, & multo subnigra fumo.

Mi-

Castellone. Urbem hic ab Hierone Syracusarum Tyranno conditam, cum Insulæ imperitaret, arbitratur Jasol. loc. cit.

(a) *At circùm apposito &c.* Balneo hoc, paucis ab hinc annis exructis ædibus ad loturam accommodis, utiliùs uti possumus.

(b) *Solioque &c.* Solium, Vas nempe, quo in balneis Veteres utebantur; in illo enim sedentes lavabantur. Ita Festus apud Samuel. Pitiscum in Lexic. Roman. Antiquit. T. 2. V. *Solium*. De hoc Celsus l. 1. c. 3. Plin. l. 33. c. 12.. Additque nobiles Fœminas Romanas soliis etiam argenteis ad delicias usas.

(c) *Terra Salsugine*. Alumine nimirum, ut Plin. l. 35. c. 15.

(d) *Cui sua magnetem &c.* Ita ex Jasol. l. 1. c. 3. Capac. l. 2. c. 15. cæterisque.

(a) Ar-

Mitis ubi e gravidis pendens vindemia ramis
Excoquitur: digesta suas & quadrat in unguem
Arbor opaca vias, fructuque, & flore coronat.
Hìc tibi Castilion; atque hac de rupe liquentes
Terra sinus aperit. nec Fons præsentior alter
Ancipiti implicitos morbo, lassâque gravatos
Temperie expediet: nocuis seu plurima plagis
Archigenes [a] fomenta [b] paret: seu corpora circùm
Fundere, [c] seu jubeat pateris haurire liquores. [d]
Sed me Pieriis tendentem carbasa ventis
Vicinæ invitant rupes, collesque propinqui:
Quæque sub Arctoo stillant Vada fervida cœlo.
Ergo, age, festivo sonet Acta celeumate: pronam
Solve ratem, Phrasidame: [e] vocant jam flamina puppes,
Aura vocat Libethris. amem læto omine Divûm
Cœpta sequi, &, clavum flexit quò Delius, oras.
Unde diu cultos liceat decerpere flores,
Quos mihi Pirenes aluere aspergine Nymphæ,
Ænarides Nymphæ: meritum queîs donet alumnum
Inarime, dum serta meis dat habere Camœnis.
Accelerat Fortuna vias: & plena secundis
Auspiciis jam vela præit. viden! æquore toto
Subsiliunt, geminantque choros, plaudantque vicissim
Nereïdes mixtæ Tritonibus! aspice pontum
Sparserit ut primis oriens Matuta favillis!
Aspice: sed dicto citiùs Neptunia vecti
Per freta, pacatum, Socii, confecimus æquor.

D Et

(a) *Archigenes*. Celeberrimus ætatis suæ Medicus Syrus, de quo Juvenal. Saty. 6.

(b) *Fomenta*. Unus e modis, quibus id genus aquis uti possumus, sunt *Fomenta*: cum nimirum aqua in aliquam tantùm affecti corporis partem clystere ingeritur: sive cum eidem parti vel spongiâ, vel aliquo alio instrumento applicatur.

(c) *Seu corpora circùm &c.* Alter modus, quo adhibetur aqua, corpus totum balneis abluendo.

(d) *Seu jubeat pateris &c.* Tertius nempe modus, aquam hauriendo.

(e) *Phrasidame*. Navicularii nomen, a Sannazario in Eclogis desumptum.

(a) *Spe-*

Et jam puppe super desertas quærere ripas
Cogimur, imbriferis horret quà cautibus, & quà,
Servat inaccessum Speluncæ [a] nomina litus.
Hìc salebras inter densas, mediique fragosis
Erumpunt saxis latices: & pura ministrant
Pocula: sed nullis gustanda hæc pocula labris.
Namque superfusis Nereus hinc fluctibus Ægros
Accessu prohibet, pelagoque excludit iniquo;
Optatamque vetat morbis afferre salutem.
Præcipuè scopulis cum nubifer incidit Eurus
Ænariæ, spumantque altis maria acta procellis;
Litora tunc adoperta vadis, circùmque supraque
Accipiunt inimicum imbrem: confusaque fluctu
Nequidquam obducti parent vestigia fontis.
Heu malè tum, repetens Campano cærula lembo,
Grata salutiferæ quæres ibi munera lymphæ.

Nec minùs interea Parvi prope Gurgitis ædes
Tingentem videas declivi pascua lapsu,
Stringentemque herbas, & mollia prata rigantem
Fonticulum: [b] parco sed quem calor imbuit æstu.
Mitior hic, stomacho quòd amicos præbeat haustus,[c]
Humoresque graves, choleramque expellat acutam,
A stomacho sibi jure trahit nomenque, decusque.
Quod si non alio pervelleret ora sapore,
Gurgitis hic Parvi nihilum distaret ab undis.
At gremio quamquam veniat telluris eodem,
Non tamen inde fluens fuerit potantibus idem.
Namque, subit cæcæ dum curva foramina terræ:
Per-

(a) *Spelunca nomina &c.* Indigen. *Il Bagno della Spelonca*, seu *Della Scrofa*; de quo, præter Jasol. l. 2. c. 11., Bacc. l. 4. c. 7. & 10.

(b) *Fonticulum*. Italic. *Bagno dello Stomaco*: quem nunc etiam Indigen. *Il Bagno del Cappone* dicunt: saporem enim talem refert, qualem jus Capi elixi habet. De hoc Jasol. l. 2. c. 16., & Bacc. l. 4. c. 10.

(c) *Mitior hic stomacho &c.* Fontis hujus aquas potui magis, quàm loturæ accommodas asserit Jasolin. loc. cit.

(a) *Epo-*

Perque ſinus varios, imperfoſſoſque meatus
Paulatim molitur iter; ſub hiatibus imis
Sulfureas ſenſim partes, tetrumque bitumen
Tergit; & illimes hinc purior exhibet imbres:
Miraturque novos latices, & non ſua ſtagna.
Per medias veluti ſinuoſa volumina verſat
Qui ſilices, ſquamaſque fricans exoſus avitas
Innovat, & rimis ſaxi eluctatus, in auras
Ora vibrat coluber, primoſque recolligit annos.
  Nec te, dum paribus metimur ſingula votis,
Hàc pigeat conferre gradum, pretioſior Hermo
Fœta metalliferis quà panditur Inſula venis.
Eoum ad Solem nam quà præfulget Epopeo [a]
Phoſphorus, extremâ montis de parte calentes
Hìc geminis lymphæ ſcatebris: Hydrea [b] repoſto
Bina lacu hìc fervent; ferro quorum altera ſchiſton [c]
Immiſcent, & ſulfur olent; & largiùs hauſta
Tentantum arguto ſapiunt ſubdulcè palato.
Auriferis ſed ponè fluunt quæ ditia guttis
Altera, Gingivis, & Dentibus apta medentur.
Et quamquam appoſito careant hi nomine Fontes, [d]
Non virtute tamen, nec laudis honore carebunt.
  Non ego vos morbis toties clarata domandis
Tranſierim Cytharæ: [e] vel quæ conterminus olim

(a) *Epopeo*. Vide Notas pag. 6. lit. m.

(b) *Hydrea*. A græco Υ'δρεῖον: ita appellat Plin. l. 6. c. 23. Loca aquationis, ſeu Manſiones aquationum diſpoſitas; ut explicant Jo: Gerard. Voſſius in Etymolog. V. *Hydreuma*: & Jo: Harduinus Soc. Jeſu in Notis citati libri, & capitis Plin. ad uſum Sereniſſimi Delphini.

(c) *Schiſton*. Aluminis capillati genus, ut Plin. l. 35. c. 15. quaſi ſciſſile, a Σχίζω, Scindo.

(d) *Et quamquam appoſito careant &c.* A propriâ dumtaxat virtute nomenclaturam ſortiuntur. Alterum enim *Delle Gingive*: *De' Denti* alterum dixere; dentium quippe, & gingivarum morbis medentur.

(e) *Cythara &c.* Indigen. *Bagno di Citàra*, quâ parte Inſula ad Occidentem verſa eſt: in loco, quem Incolæ *Pietra roſſa* appellant. Agit de hoc Jaſol. l. 2. c. 36., Solinander l. 1. c. 6. De Cauſſis Calor. Font. medicat. & Bacci l. 4. c. 10.

(a) *Agnon*.

Balnea litoreis monſtrabat rupibus Agnon. [a]
Quæ, modò vix ſummo dum curſim attingimus ore,
Profuerit meminiſſe olim, naſcentia mecum
Dum petet, & primo Pæon luſtrabit ab ortu;
Nam, Latiis iterum Saturnia ſecula terris
Quæ revehunt, me Stagna vocant; [b] quibus inclyta præſtat
Inarime: tantùmque alias ſupereminet oras,
Illyricas quantùm navis roſtrata liburnas.
Nec modò Pactolus rutilis coleretur arenis,
Aut limo ſplendente Tagus; non Gange tumeret
Indus, ubi Ænariæ contingeret advena fines;
Hìc tandem, quæ dona aliis vix credita regnis
Audierat, congeſta loco viſurus in uno.
Non humili fluit unda ſatu; puduitque videri
Foſſilium vulgare genus, prognata ſed auro [c]
Dicitur. hinc auri fulvum ſubtegmine velum
Labra tegit: ripæque auro, campique renident.
Præſertim innubi ſi quando clarus ab alto
Purpureas tulit axe faces, & lumine Titan
Verberat auriferas ſolito fulgentior undas.
Ilicet attacti radiis, & luce refulgent
Tunc latices, geminantque diem: tunc litora latè
Emicuere: novis ardet fulgoribus æther.
Ipſa etiam, dum ſerpit agris, atque ubere cenſu
Arva rigat, ſegeteſque beat, ſtupet unda: ſuaſque
Divitias mirata tumet: nec ſe capit alveo
Exun-

(a) *Agnon.* Indigen. *Bagno di Agnone*, quod prope Balneum Cytharæ ponit Jaſol. l.2. c. 37.. nunc tamen vetuſtatis ſitu ſqualet.

(b) *Me Stagna vocant &c.* Duo nimirum Balnea, quorum alterum *Bagno Aurifero*, ſeu *Dell'Oro*: Alterum *Argentro* nuncupatur; Sita ambo in Valle Umbraſci Epopeum versùs, parùmque inter ſe diſtantia.

(c) *Prognata ſed auro &c.* Teſte Jaſol. l.2. c.21., & Bacc. l.6. c.9. aureâ telâ, & velo argenteo teguntur hi duo fontes; ut nunc ipſum ad ſenſum patet.

(a) *Sed*

Exundans, lentoque fovet sua gaudia gressu.
Hoc mallet se Fonte satam Cytherea: marisque
Despiceret fluctus audentior. ipsa lavari
Hoc deprensa olim vellet Dictynna; tibique
Parceret, Actæon, meritasque remitteret iras.
Huc avidas, huc verte acies: licet ecce tueri
Naturæ gaudentis opes, quæ prodiga rupes
Eliquat in pretium: & niveo fœcunda metallo
Non aliis aperit se se formosior arvis.
Ut salit albescens! argento ut clara superbit
Illa suo! tensi summum velaminis instar
Sternit ut unda solum, decoratque argentea ripas!
Sed non ante frui [a] (rerum damnosa ruentum
Conditio!) gemini grato tibi gurgitis haustu
Posse datum, valido quàm jacta bipalia nisu
Impiger expediat fossor, terramque subactam
Egerat, & cursum lymphis det habere priorem.
Dumque vetus ferro rursum patefiet aquarum
Limes, arenoso tum labra tenacia cœno
Construet, & conchæ densata repagula circùm
In morem apponat: spatio ne gurges aperto
Prosiliat fugiens, laxisque feratur habenis.
Ceu quondam, excultos errent ne forte per agros,
Infrænes cohibentur equi: cum victa lupatis
Ora Pelethronii Lapithæ moderantur: & arctis
Carceribusve premunt, tenuive in pulvere versant.
Sic sensim inclusos gyro breviore coërcent,
Libera ne nocuo campum terat ungula pulsu.
At mihi si laticum quærenda exordia: primæ
Si vetus amborum repetatur originis Auctor,

Ab

(a) *Sed non ante &c.* Cum hæc duo Balnea temporum injuriâ penè obruta sint, ut illis utare, necesse est, ut solo subacto, fossam, injectâ circùm humo, in conchæ speciem effingas, ad excipiendas aquas. Quod etiam in nonnullis aliis balneis prope deperditis præstandum, ut suo loco.

(a) *Hnc*

Ab Jove principium: magno Jovis omine jactant
Aurea Stagna suum, celebrantque Argentea nomen.
Fama tenet, geminas geminâ de matre sorores
Huc olim Herculeis venisse e Cautibus:[a] atque hìc
Inarimes fidâ perhibent latuisse sub umbrâ.
Numine clara quidem se se genitore ferebat
Stirpis Apollineæ soboles, dilectaque Phœbo
Progenies, & digna Deo: quarum altera Clïo,
Altera Liriope natali laude tumebant.
Has ubi sidereo speculatus ab æthere, fertur
Incaluisse iterum vesano captus amore
Juppiter. at vigili Nympharum examine septas
Nequidquam aggreditur: nequidquam percitus igni
Carpitur. antiquæ solito molimine fraudes
Restabant. veteris sedenim non immemor artis,
Quâ quondam eluso Danaën custode fefellit
Acrisio; pluvium rursus se vertit in aurum:
Addit & argenti tacitos, nova crimina, rores.
Tum sensim arcanæ se se per viscera terræ,
Tecta ubi per cæcas patuere sororia rimas,
Insinuat. tum multa licèt custodia circùm
Excubet, & clausas valido tegat aggere tellus,
Fit via vi: majorque alio vis redditur astu.
Quippe per occultos ruit imber, & imber hiatus;
Et premit adnixas imbrem repulisse puellas.
Dumque superfusi nequeunt vim ferre liquoris;
Nullus & inde fugæ patet exitus, unde procaces
Elusisse queant nimbos; contempta pudoris
Jura sui doluere: gemunt: miserandaque pallent
Ora;

(a) *Huc olim Herculeis &c.* Cautes Herculeæ, Massa ad Delubrum: Ital. *Massa*: ita Parthenius Giannattasius Halieutic. 1.. Quamvis ab Hercule denominari possit perpetuus ille Tractus Massæ contiguus, utpote ab Hercule olim celebratus, postquam, Geryone occiso, ex Hispaniâ ad hæc litora appulit.

(a) *Massa*,

Ora; nec attonitis vitæ pars ulla, nec ullus
Sensus inest membris. objectâ Gorgone qualis
Constitit exanimis, riguitque immobilis Atlas.
Hæc tamen in patriis procedere furta latebris
Non tulit Ops mater; temerati claustra revellit
Illa soli; patuit lato tunc obvia ductu
Semita, quà Nymphe, Zephyri velut utraque pennis,
Corripuitque fugam, superasque evasit ad oras.
Juppiter ut contrà fraudes, atque irrita fraudum
Vota videt cecidisse; Eheu! sic ludimur? inquit;
Sic blandos sine more dolos, dulcesque repellat
Insidias: mecumque audax contendat inermi
Fœmineum de stirpe genus? nec tela trisulco
Stringimus igne? scelus meritâ nec morte piamus?
Vos ego. sed justo non hic laxanda furori
Fræna; pudet trifidi consumere fulminis ictu
Imbelles animas, natamque ad mollia pubem.
Mitior hæc tantùm maneat vos pœna: liquentes
Ibitis in latices, in dites utraque fontes.
Aureus hinc alter, fluet inde Argenteus alter.
Corpora dispereant: tenues vanescat in auras
Spiritus. admissi solùm sibi testis, & ultor
Imber eat: nostrasque diu sic exprimat iras
Supplicium, ut spretos itidem testetur amores.
Protinus in riguos membris exilibus amnes
Defluxere. pari tandem sic utraque fato
Cessit io; insidiis cessit sed neutra: superstes
Utraque vivit adhuc in Fontibus: utraque famam
Virginitatis habet, nomenque illustre tuetur.
At loca dum canimus vigili servanda Draconis
Lumine, ne lævâ renuat de parte recessus
Musa, nec Umbrasci [a] mecum declivia vallis
Pæ-

(a) *Musa nec Umbrasci &c.* Indi-|gen. *La Valle d'Umbrasco*.

(a) *Et*

Pæniteat ſubiiſſe: jugo quà lapſus ab alto,
Et Cyprio Fons ære ſcatet qui plurimus: [a] & qui
Indidit aut nomen Valli, aut a Valle recepit.
Par fluet hic, labris totum ſeu tergere corpus,
Mollia ſeu tepidis fomenta canalibus optes.
Ante Dicarcheas mihi deferet Heſperus arces,
Quàm referam, quot aquoſa ſinu riget Inſula campos:
Roſcida quot patriis immulgeat ubera terris.
Quæ te, quod primo redoles aphronitron [b] ab ortu,
Balneolum, [c] ſonet alma chelys? quod Arionis unquam
Certet ebur ceciniſſe Lacus, quibus inſita laudem
Vis tribuit: proprioque notat quos Fama triumpho?
Sæpe etenim, Ambuſtis paſſim comperta medendo,
Certior his Cocti [d] meruit cognomina virtus.
Non ſecus ac Libycas inter victoria lauros
Scipiadæ domitâ peperit Carthagine nomen.
Hos tamen haud aliter curvum quàm paſſa ligonem
Præbet humus, facili quamvis verſanda labore.
Quis tacitum Retis Fontem, [e] vicinaque Reti
A Medio quis dicta Viæ [f] loca culta relinquat?
Turbidus hàc latè, pelagoque immittitur humor,
Diruta quà Stagni vix nunc monumenta reviſat
Navita, vix oculo luſtret rimatus inani,

Dum

(a) *Et Cyprio Fons ære &c.* Indigen. *Bagno, ò ſia Doccia nella Valle d'Umbraſco*: ad Epopei radices: nullo tamen in uſu eſt in præſentia. Jaſol. l.2. c.23.

(b) *Aphronitron*. Nitri ſpuma: Ἀφρὸς enim Græcis, Latinis *Spuma*.

(c) *Balneolum*. Indigen. *Bagnitello*: ſitum quidem inter Vicum, vulgò *Caſa Nizzola*, ò *Caſa Micciola*, & Vicum, cui nomen, *Lo Lacco*. Jaſol. l.2. c.28.

(d) *Certior his Cocti &c.* Indigen. *Bagno del Cotto*, ſeu *Delle Cajonche*: quod nunc etiam *Bagno degli Occhi* appellant, quòd oculis proſit. Prope Balneum Parvi Gurgitis labitur: eandemque cum illo habere originem aſſerit Jaſol. l. 2. c.19.. Meminit Bacc. l. 4. c.7. 10. & 12.. *Del Cotto*, a ſuâ nempe virtute, quòd Ambuſtis medeatur.

(e) *Quis tacitum Retis Fontem &c.* Ital. *Fonte di Rete*. Indigen. *La Rita*: prope Balneolum, inter Vicos *Caſa Micciola*, & *Lo Lacco*. Jaſol. l.2. c.29.

(f) *A Medio quis dicta Via &c.* Indigen. *Bagno di Mezza via*. in plagâ, quam *Le Legna* dicunt. Jaſolin. l. 2. c. 30.

(a) *Aggre-*

Dum tumido Ænariæ propior subit ostia velo.
Luteus ille fluit: violento impulsus anhelat
Igne calor: vires augent, animosque calori
Sulfura: sed salsi, gustem si forte, sapores.
Quò fessum rapitis, Parnassia Numina, lento
Languida per campum dum volvitur orbita gyro?
Nosco equidem: Deus ecce animis majoribus implet,
Atque aliò Thymbræus agit: stimulisque morantem
Increpitat. nova jussa sequor: dextroque superbus
Omine, Phœbeis nunc primùm ascribere fastis
Aggrediar Latices, [a] tutelâ, & nomine claros
Virginis, huc avibus quæ quondam vecta secundis,
Inarimæ laceram sine clavo, & remige pinum
Appulit impellens; fuso dum sanguine palmam
Irrigat, & cœli victrix contendit ad arces.
Nec sileam Vici [b] diffusa crepidine collis,
Montanoque [c] sacra Indigeti balinea, Triones
Unde soluturis promunt sua signa carinis.
Quàm bene, quàm faciles salient ad vota liquores
Hi tua! sed rutro solers tamen ante memento
Eruere effossas, quibus obsitus imber, arenas:
Ne lateat, stagnetque luto demersus inerti.
Ipsa etiam nostri in partem se carminis addat,
Detque frui Sinagalla [d] suis, curasque resolvat
Deliciis, foveatque novo mea gaudia cultu.
Quid priùs hìc tanto Phœbus miretur in alveo
Hæret adhuc: aciem quamvis hàc flectat, & illac.
Par lacti color hinc: nares odor allicit inde

E Gra-

(a) *Aggrediar Latices . . . Virginis.* Ital. *Bagno di S. Restituta*: in orâ maris: ab ejusdem Divæ, nunc Ænariæ Pattronæ, nomine. Jasol. l.2.c.3. Qui autem huc illa delata sit, habes in Lect. SS. Neapol. 17. Maii.

(b) *Nec sileam Vici &c.* Ad radices Montis, qui vulgò *Di Vico* dicitur.

(c) *Montanoque &c.* Indigen. *Bagno di San Montano.* Jasol. l.2. c.35.

(d) *Detque frui Sinagalla.* Ital. *Bagno di Sinagalla.* Indigen. *Di Saragalla*: non procul a Balneo, quod Iidem *Della Colata* appellant. Jasolin. l.2.c.26.

(a) *Lym-*

Gratior: & tactu non vena immitis, & haustu.
Hanc gypso albentem, liquido vel alumine fœtam
Crediderim, & tenui argillam confundere nitro;
Quam versâ postquam tellure recluseris, ægris
Tunc adhibe membris quo res non una reposcet
Sæpe modo; fomenta petas seu grata: per artus
Lympha tubo seu missa cadat: [a] seu proluat ora.
Tu tamen hac plenis consultiùs utere labris:
Sparsaque nudatum largè tibi corpus oberret.
Sunt etiam, quibus una dedit sua nomina Fontes
Curaque, fœmineusque labor: quòd terserit illis
Sedula ceu fuso mappas, & carbasa lotrix
Lixivio, & madidis mantilia sordida villis:
Lixivj [b] idcirco Fontem dixere: manetque
Nomen adhuc, quod sola hominum solertia fecit.
Proh quales, quantosque sinu fovet ille calores!
Namque Pithecusas non hoc intensiùs afflat
Alter: & undanti non hoc mage fervet ab igni.
Quod mirere tamen, tantos licèt aggeret æstus,
Non alio utiliùs medicatas tempore merces
Expedit: & miseris numquam feliciùs aptam
Præstat opem, rabido quàm cum Canis oblatrat astro,
Et moribunda Ceres pallenti languet aristâ.
Attamen hos tantùm fodiens tibi sarculus amnes
Restituet; nec, avara sinu quos ebibit, unquam
Sponte dabit tellus: duro frangenda bidenti
Terga soli, & tractis veniet sua copia rivis.
Quid tibi nunc Ferri [c] gravidis deducta fodinis
Sta-

(a) *Lympha tubo seu missa &c.* Quartus modus utendi aquis: Ital. *In Doccia*: præter tres alios, de quibus in Notis pag. 25. lit. b. c. d.

(b) *Lixivj idcirco Fontem &c.* Indigen. *Bagno della Colata*. Ital. *Bucato*: inter Balneum Sinagallæ, & Auriferum, Epopeum versùs. Jasol. l. 2. c. 25.

(c) *Quid tibi nunc Ferri &c.* Ital. *Il Bagno del Ferro*, prope Balneum Parvi Gurgitis, & Vicum vulgò *Casa Micciola*; Ferri dicunt, a Ferri fodinâ, e quâ manat. Jasol. l. 2. c. 20.

(a) *Sa-*

Stagna canam ? ſitiens tamen hæc quoque Terra
Subreptas donec ferratæ cuſpidis ictu (negabit,
Sciſſa recludat opes, furtivaque dona remittat.

Quid referam pluvio quâ parte obvertitur Auſtro
Litus, & aſperſo pingueſcunt avia circùm
Saxa nitro, [a] parvâ titulum ſortitus ab Ulmo [b]
Ut ſonet, & molles ut Fons mihi proluat herbas ?
Cæruleus quondam Protei de ſanguine Paſtor
Hic erat; at pelagi quòd tempeſtatibus actum
Per fata, vitiferis Bacchi malecautus ab arvis
Non pecus abſtinuit, Baccho tum vindice, in Ulmum
Vertitur. at Nereï demum per vota, liquenti
Fronde fit inde latex, & ſumit ab arbore nomen.
Hos ego vere novo, niveis ubi cornibus axem
Taurus adit: vel Libra ſuos ubi protulit ortus,
Præcipiam ſubiiſſe lacus, cum dura coëgit
Conditio, & triſti pellenda e corpore labes.

Sors eadem te læta manet: Divûmque frueris
Munere, ſi dulcem vel Subcellaria [c] potum
Sufficiant: totis vel currant deflua membris.
Si ſapis, hæc iiſdem manant quæ finibus, iiſdem
I, pete temporibus; validâ ſic victor aquæ vi
Lethiferam poteris Lacheſim fregiſſe: tibique
Non humilem noſtræ repetent pæana [d] Camœnæ.

(a) *Saxa nitro &c.* Rupes quippe hic nitro aſperſæ albeſcunt: ut Capac. l.2. c.15.

(b) *Titulum ſortitus ab Ulmo &c.* Indigen. *Bagno dell'Ulmitello*, ſeu *Di Dolano*. *Delle Principeſſe* etiam Jaſolin. lib.2. cap. 45. dixit. Fluit inter Promontorium Marontis, & S. Angeli, ad mare meridianum. Meminit Bacc. l.6. c.9.

(c) *Subcellaria*. Indigen. *Bagni di Succellaro*: ibidem pariter ad meridiem, inter promontoria S. Pancratii, & *Capo di Cavallo*; eandem habent originem cum Balneo *Dell'Ulmitello*. De his Jaſolin. l.2. c.49. & Bacc. l. 5. c.6. & 10.

(d) *Paana*. Pæan, Hymnus, qui, quamvis in victoriis decantetur, propriè tamen hic apponitur verbum hujuſmodi: cum Pæan in malorum averſione olim caneretur in laudem Apollinis: qui occiſo Pythone laudatus primò fuit hoc genere carminis; quod Pæana dixere, a Παίω, quod & ſano, & ferio ſignificat.

Ut caput Æſculeis, feſta inter Pythia; ramis
Vincta, triumphali repetebat Græcia Phœbo.
O utinam lymphis, quæ jam periere, vetuſtus
Per me ſtaret honos! iterumque in luminis auras
Eductæ effluerent! per me rediviva rediret
Gloria, & e cæcis emergeret aucta tenebris!
Tunc & ab interitu Capitelli [a] balnea chartis
Penè meis revocata: & faucibus eruta Ditis
Penè, vel adverſæ poſſent ignoſcere ſorti.
Tunc tandem Inarimes felix Aſſertor aquarum
Dicerer: æternum lucratus carmine nomen.
Non ego, barbaricam quamvis reſonantia vocem,
Perdita neglecti tacuiſſem Stagna Gradonis. [b]
Non Fontes, Solicete, [c] tuos, qui Saxa Pedoræ
Propter, & Auſtrinum labuntur in æquora litus.
Quos ferrugineis rubrica, & ſulfura venis,
Et ſalibus ſpargit, nitroque interlita ſandyx.
Nec ſteriles meritâ fraudati laude jacerent,
(Fama licèt multis jam nunc obſcurior annis
Deliteat) dio quos numine ſoſpitat imbres
Aliger, [d] æthereo qui quondam victor ab axe
Cœlo inſultantes, & Divis bella moventes
Diſpulit Aligerûm turmas: gentemque rebellem

Fu-

(a) *Capitelli balnea.* Indigen. *Bagno del Capitello*, prope Balneum, vulgò *Della Scrofa*: in litore maris, non procul a Scopulo, quem *Della Treglia* vocant, Jaſolin. l. 2. c. 31.. Sed Balneum hoc maris æſtu omnino obrutum.

(b) *Stagna Gradonis.* Indigen. *Bagni di Gradone*: ad meridiem, in eodem tractu, prope promontorium S. Angeli: Jaſol. l. 2. c. 40.: horum tamen vix nunc nomen remanet.

(c) *Non Fontes, Solicete &c.* Indigen. *Bagno di Soliceto*. De Balneo hoc penè deperdito, Jaſol. l. 2. c. 39., & Bacc. l. 4. c. 10.. Situm quidem eſt inter Vicum vulgò *Panſa*, & Promontorium, Indig. *La Falconara*.

(d) *Quos numine ſoſpitat imbres Aliger*. Indigen. *Bagno di S. Angelo*: Jaſol. l. 2. c. 44.. Nullo nunc in honore: non quidem quòd illi (& hoc de cæteris etiam, quæ penè obſoleverunt, dictum hìc generatim volumus) antiqua, & toties experta virtus non inſit; ſed ex eo, quòd nimia Balneorum frequentia, quæ Ænariæ habetur, vilia propemodum reddiderit ea, quæ ſi aliò transferri poſſent, maximo eſſent in pretio.

(a) *Lati-*

Fudit agens trifido subjecta ad Tartara telo.
Sed jam contractis lustrata per æquora velis
Ænariæ tandem fessi remeamus ad Urbem.
Hìc matutino, quà primùm sidere fulget
Alma Venus, lætum Domini cognomine limen
Profuerit, Nymphisque sacras invisere ripas:
Et Latices, Joviane, [a] tuos, atque hospita Musis
Otia; Castaliæ quò concessere Sorores
Auspice te; puero dextrùm cui risit Apollo:
Exortemque chelyn tenero submisit in ævo
Blandus: & Aoniâ stravit cunabula lauro.
Te præeunte suis Elementa [b] impervia caussis
Nota satis patuere; & te cultore beatas
Hesperidum sylvas, [c] Cœlique volubilis orbes [d]
Novimus. Euboicæ per te vixere Camœnæ
Semineces; nostrisque datum consistere terris.
Ipsi te colles, ipsa hæc te saxa loquuntur:
Æternùmque sacrant memori tua nomina cultu:
Nomina, quæ Fontes, riguis quæ Balnea tectis,
Et virides resonant Horti, Thermæque, Lacusque.
O Phœbo par una domus! victuraque Pindi
Invidiam! Ascræis olim geminare canorum
Docta melos numeris, Andino & consona plectro
Carmina: felices iterum salvete Penates,

Pieri-

(a) *Latices, Joviane, &c.* Indigen. *Il Pontano:* de quo, præter Jasolin. l.2. c.53., egit Bacc.l.4. c.10.. Nomen ab Hero lucratum est hoc Balneum, scilicet a Jo: Joviano Pontano, celebri seculi sui Poëtâ: per quem præcipuè humaniores disciplinæ revixere. Cæreti hic in Umbriâ natus, Neapolim deinde veniens, gratiosus Regibus Ferdinando II. præsertim, ac Friderico etiam II. a consiliis, atque a secretis fuit. Obiit ann.1512. ætatis suæ 77. Joviani cognomen Amicorum hortatu desumpsit, ut Jovius in ejus vitâ. Hujus Villa, (quæ nunc etiam *Il Pontano*) Hortique deliciis affluentes in Ænariâ, ac literarum studiis amœnioribus exculti olim fuere.

(b) *Elementa.* Meteororum Joviani Librum metro alligatum innuit hic Auctor.

(c) *Hesperidum sylvas.* Inter ejusdem opera poëtica recensentur *Horti Hesperidum*, sive *De Cultu Citriorum*.

(d) *Cœlique volubilis orbes.* Aliud ejus opus poëticum, cui Titulus: *Uranie*, sive *De Stellis*.

(a) *Can-*

Pieridumque Lares. fausto, precor, omine vatem
Excipite: & celebres non uno nomine Fontes
Pandite, dum tactis ignaro pollice chordis
Ingredimur, sacros ausi contingere postes.
Et, Duce me, vestras quicumque accesserit ædes,
Cautus Apollineis [a] ediscat Fontibus uti;
Seu solio [b] insideat medius: seu pocula labris
Admoveat: guttisve [c] riget stillantibus artus.
Hìc mediis quondam [d] saxis, ubi rima patebat
Arctior, egelidis spirabat flatibus aër,
Æmoniis qui forte gelu certare pruinis
Posset, & Alpinos Boreæ vicisse rigores.
Namque, ubi vel Bacchi cyathos, vel Naiada plenis
Appositam contra diventilat aura diotis;
Tum cyathi riguere: & flamine stricta perenni
Lympha, Cleoneos jam despicit algida Soles.
Sicut odoratos glacies ubi frigore succos
Durat, & ambrosii concrescunt dona liquoris:
Quæ cedrus, aut multo perfusum nectare condit
Cinnamon, aut liquidâ lactis dulcedine sacchar.
Sed repetamus aquas. Vitæ, mihi crede, labanti,
Aut procul arcendis non tutior ulla periclis
Præsto aderit: fati non ulla morabitur alas,
Romanæ quàm lympha Plagæ; [e] quæ sola marinos
Spernit adhuc fremitus, Nereoque invicta resistit.
Cætera nam Saxi, [f] Nitrosaque Balnea, [f] jam nunc
Per-

(a) *Cautus Apollineis &c.* Medicis nempe, ab Apolline Medicinæ Numine, & Inventore.

(b) *Seu folio &c.* Vide Notas pag. 24. lit. b.

(c) *Guttisve riget &c.* Italic. *Bagno in Doccia*, Aquis per membra fluentibus.

(d) *Hìc mediis quondam &c.* Ita ex Jasolin. l. 1. c. 3. Indig. *La Ventarola*, olim: nunc ne vestigium quidem apparet.

(e) *Romanæ quàm lympha Plagæ &c.* Ital. *Bagno di Piaggia Romana*: *Del Ferro* etiam aliqui dixere: Indigen. *Di Carta Romana.* Meminit hujus Jasol. l. 2. c. 50., & Bacc. l. 5. c. 6. & 10. & lib. 6. c. 3.

(f) *Cætera nam Saxi, Nitrosaque Balnea &c.* Indigen. *Bagno del Sasso*,
de

Perdidit ira maris, salsoque absorbuit æstu.
Nec tu Pæoniis indicte silebere plectris,
Nitroli: [a] te, nostros inter pulcherrime fontes,
Musa, vicesque tuas, & tristia fata sequetur;
Et canet, ut, patrii Nymphe priùs incola Gauri, [b]
Mutatos referas aliâ sub imagine vultus.
Nam Cœli, ut perhibent, vitio cum fusa per oras
Serperet Euboicas, vicinaque litora; & urbes
Corriperet grassata Lues; celerique peremptas
Tabe, catervatim gentes daret horrida letho:
Turba frequens, populique sacris altaria donis,
Supplicibusque onerant votis; Cumea requirunt
Templaque, divinosque Lacus, & Apollinis Arces.
Jam tandem afflictis quæsitum oracula rebus
Devenere; rogant lacrymis, precibusque fatigant
Numina: consultæ repetunt responsa Sybillæ.
Tum resonâ inclamans Phœbi, Triviæque Sacerdos
Voce tonat, cœlumque ferit. *Quam quæritis*, inquit,
E Nymphâ speranda salus. nec plura: recessit
Virgo furens: sonuere fores, & limina Templi.
Incertis quid Fata velint: quæ ferre levamen
Nympha queat: fraudi non defuit apta parandæ
Tunc Hyale: [c] genitam Ænariâ quam fama ferebat
Al-

de quo Bacc.l.4. c.10.. Et *Del Nitroso*, de quo Jasol. l. 2.c.51. & 52., & Baccius loc. cit. & lib. 5. c.6.: aitque videri sibi de hoc locutum Strabonem l.5., & Plin.l.31.c.2.. Ambo hæc prope Urbem ad Occidentem sita, ac locu penè contigua.

(a) *Nitroli*. Nitrolis: Ital. *Fonte di Nitroli*: Indigen. *Neutruoli*. Fontem hunc Incolæ adhibent ad potum; utilemque multis corporum morbis experiuntur: est in Vico, cui nomen vulgò *Barano*. Jasol. l.2. c.46.

(b) *Gauri*. Gaurus Mons Campaniæ. Nostrat. *Monte Gerro*, & *Monte Barbaro*: Vinis olim celebratus. Quâ parte Orientem respicit, Massicus: Indigen. *Monte Marso*, & *Rocca di Mondragone* dicitur. Quâ Septemtriones, Falernus: Indigen. *Monte di Sessa*: per cujus juga Q. Fabius M. Hannibalem cunctando fracturus, exercitum duxit. Quâ vergit ad Occidentem, Gaurum appellant.

(c) *Tunc Hyale*. Ab Ὕαλος, Latinis *Vitrum*: nomen fraudi, de qua agitur, nectendæ accommodatum; ad surripiendos nempe medicos liquores ab Ænariâ; de quâ locutum Sybillæ oraculum Hyale præ cæteris novisse poterat: quippe quæ est in Insulâ nata, atque ibidem degens, ex Sannazar. Ecl. 3.

(a) *Quas*

Alcithoë, Gauroque: Hyales qui captus amore,
Excepitque ſinu, primiſque eduxit ab annis;
Et ſocios dedit ire choros, & Oreadas inter:
Ibat ut Eurotæ media inter Delia Nymphas.
Ergo inſtructa dolis ſe ſe tulit obvia; & ultro
Mentito trepidas firmat ſic omine mentes.
Numina me Phœbi, dixit, me carmina poſcunt,
O Cives: animo dubias deponite curas..
Hanc habeat cortina fidem. Quam quæritis, unâ
Ex Hyale ſperanda ſalus; ſic vertitur ordo.
Sed non illa meo vobis de munere detur
Parta priùs, poſitis quàm gens mihi ſupplicet aris:
Et nova votivis fument altaria flammis:
Plurimaque e veſtris ferro cadat hoſtia ſeptis.
Aſſenſere omnes: fidei data pignora: certam
Spondet opem Virgo: tantiſque accingitur auſis.
Tum ſubitò Inarimes (quam ſolam oracula Vatis
Noverat optatam medicati gurgitis hauſtu
Allaturam olim genti monuiſſe ſalutem.)
Regna petit; biiugoſque regens Delphinas, anhelum
Urget iter, celeratque. ſinus ſubit illa repoſtos,
Fumificoſque lacus, latebroſæque antra cavernæ.
Inde manu nitrum legit impigra, vivaque ſulfura:
Et medicis admiſcet aquis, quibus apta miniſtret
Auxilia, & miſeris incognita pharmaca terris.
Jamque lares, tacito ſignans veſtigia greſſu,
Et cæcas terræ latebras evaſerat; & jam
Veſtibulum Nymphe, furto lætata, premebat.
Cum procul incautam ſpeculâ proſpexit ab altâ
Inarime; ſubitas furibunda exarſit in iras;
(Haud etenim latuere doli) volat incita; euntem
Præ furor it, rapidiſque addit calcaria plantis.
Ut propior, primo frendens ut limine tecti
Subſtitit, his Hyalen dictis inceſſit amaris.
Quis

Quis te, quis, Dryadum confidentissima, nostras
Impulit in sedes: quidve hinc petis improba? dixit.
Dein ubi tentavit Nymphæ gremiumque, sinusque,
Tum patuit fraus. dum furto deprenditur, hæret
Pallida, vix animis Hyale, vix mente superstes.
Frigida tum saxo concresunt pectora. qualis
Exanimes inter Niobe prolemque, virumque
Duruit, & Sipyli defixa in colle resedit.
Utque olim, Indigetum demens dum poscit honores,
Fossilium refluis manantia dona sub antris
Miscuerat: meritæ ceu pars hæc debita pœnæ,
Fundit adhuc raptos, furtum testata, liquores;
Et celebri tandem factus de Virgine Fons est.
At quoniam, Inarimes Hyale quod subripit oris,
Nitrum oluit, Fonti Nitrolis quoque nomen adhæsit.
Tot tibi, tot laudum præbet monumenta suarum
Insula; tot valido expertas medicaminis usu
Promit aquas. quibus æqua tamen non omnibus (una est:
Nec fortuna pari largitur munera censu.
Partim etenim septæ muris, tectoque fruuntur:
Ne varii officiat rabies, cœlique ruina.
Et partim incultos abeunt sine lege per agros:
Nec propriis gaudent laribus: sed tesqua pererrant,
Incertæ quo calle fluant: quo limite sistant.
Nam densas inter silices, bibulasque lacunas
Exleges ea Clausa tenent, quæ paupere cultu
Seu faber appositi struxit munimine saxi:
Sive rudi fabricata manu, limoque tenaci
Condita; dum, glebam ferro molitus adacto,
Rusticus informi circumdedit aggere fossam.
Sic latè infrænes dumeta per avia terræ,
Horrentesque rubos, nullo prohibente, vagantur.
Tractim amnes: hyemisque ferunt pluviasque,
minasque.

Talia ſervatis arcent incommoda labris
Quàm bene,quæ ſtructam curvantur in abſida,nimbos
Et quæ Stagna cavent. hìc tempeſtatibus atris
Immunes adhibebis aquas, tutoque receptas,
Quas Furnellis [a] amat plaga fundere:quasque recludit
Caſtilion [b], Cytharæque Laçus [c], Fontanaque præbet
Ora [d]; vel in mediâ quas Diva Ponizaris [e] Actâ
Elicit; & Parvo ſalientes Gurgite rivos.
Verùm alii, ducto quos nulla repagula claudunt
Pariete, non humili ſubſtructa mapalia cannâ:
Hi ſaxeta petunt: & per ſalebroſa viarum,
Sub dio excepti, ſerpunt: pelagoque feruntur.
Nec mihi profuerint, totis niſi viribus Ægon [f]
Effractæ in foveam vergat telluris: & hauſtos
Inferat inde cadis; largè quibus eluat Æger
Corpora; & inſano fiat medicina dolori.
Quod ſupereſt, Thermis etiam quæ nomina; quales
Inſula mirificas in litore ſervet Arenas
Diſcere ſi cupias, certo ſic ordine diſces;
Stringere dum preſſis conor tibi ſingula metis.
Prima ſalutiferos mittunt Hypocauſta calores,
Quæ tibi præruptis aperit fumantia ſaxis
Caſtilion [g], rupem triplex ubi findit hiatus.
Ponè alia, elato quà mons petit aëra clivo, [h]
Cumanæque Domus [i] inter Myrteta, [k] ſalubres
Exha-

(a) *Quas Furnellis &c.* Ital. *Bagno di Fornello.*

(b) *Caſtilion.* Ital. *Bagno di Caſtiglione.*

(c) *Cytharaque Lacus.* Ital. *Bagno di Citàra.*

(d) *Fontanaque &c.* Ital. *Bagno di Fontana.*

(e) *Quas Diva Ponizaris &c.* Ital. *Bagno di Santa Reſtituta.* Ponizaris quidem, quia Ponizarii in Africâ nata.

(f) *Ægon.* Fictum Bajuli nomene ut Sannazarius Ecl. 3.

(g) *Caſtilion &c.* Indigen. *Stufe di Caſtiglione.* Jaſol. l. 2. c. 10. Hypocauſta hæc præ cæteris nunc vigent.

(h) *Mons petit aëra &c.* Indigen. *Monte Cumano.*

(i) *Cumanæque Domus &c.* Indigen. *Stufe a Caſa Cumana*: ſeu *Del Cacciotto*: & *Del Fornello.* Jaſol. l. 2. c. 12.

(k) *Inter Myrteta &c.* Ital. *Al Mir-*

Exhalant nebulas, mulcentque vaporibus æthram.
Juverit hinc geminis Eubœâ in valle [a] latebris
Chalcantho afflatas, tetroque bitumine Thermas
Visere: quà trifido liquuntur gurgite Fontes,
Tympana [b] terribili simulantes pulsa fragore.
Sed cum nulla habiles curvato hìc fornice fumos
Tecta modò excipiant: latum per inane vagantes
Indeprensi abeunt, camposque, & saxa vaporant.
Hoc eadem Thermis Frassi [c] cognomine dictis
Invidit Fortuna decus; namque horrida nullis
Sylva nitet laribus; sylvæ sed inhospita propter
Irritus in vanas dispergitur halitus auras.
Adde, (vapor quamvis expiret inutilis) adde,
Queîs favet ætherei, tribuitque vocabula Ductor [d]
Ille chori, qui bella suo pro Numine gessit.
Et Cocti [e] superadde alias, aliasque, Barani [f]
Quas tibi rura dabunt; & quas spiramine multo
Incensas inter cautes, & ab igne nigrantes
Testa; [g] vaporifero vel quas tibi Vicus, & alto
Colle fovet: signatque suo Solinander [h] honore.
Non ego te proavis didicisse Laconica [i] tantùm

Mirteto: Indigen. *A Mortito*. De Sudatoriis hisce Bacc. l.4. c.5.

(a) *Eubœâ in Valle &c.* Indigen. *Valle di Negroponte*. Nomen a primis Insulæ conditoribus. Jasol. l. 2. c.24.. Vide Notas pag.4. lit.e.

(b) *Tympana &c.* Ita Jasolin. loc. cit.

(c) *Frassi cognomine &c.* Indigen. *Stufe del Frasso*: inutiles prorsus. Jasol. l.2. c.27.

(d) *Queîs favet ætherei &c.* Indigen. *Stufe di S. Angelo*: in loco, qui *Alla Fiebera* dicitur. Jasolin. l.2. c.42. nunc tamen penitùs jacent.

(e) *Et Cocti &c.* Indigen. *Stufe del Cotto*: Montis Vici jugum versùs. Jasol. l.2. c.34.. Dum hæc scribimus Sudatorium hoc restauratur: cum novos, utilesque vapores emittat.

(f) *Aliasque Barani &c.* Indigen. *Stufe di Barano*, seu *Del Testaccio*; De quibus Solinander l.s.c.8. De Caussis Calor. Font. medicat., & Bacc. l.4. c.10.. Quinque olim hic Hypocausta habebantur.

(g) *Testa*. Indigen. *Stufe della Testa*. Jasol. l. 2. c.54.

(h) *Signatque suo Solinander honore*. Cum de Thermis hisce scripserit Raynerius Solinander lib.cit., meritò has in Monte Vici locatas Jasolin, *Solinandri Sudatoria* appellavit, lib. 2. cap.48.

(i) *Laconica*. Vide Notas pag. 8. lit.d.

Nota velim: priscâ quæ tempestate medendi
Ars tulit. inventis & nostra attollitur ætas;
Namque sub Indigetis Laurentj [a] nomine claras
Major ab antiquis fecérnit gloria Thermas.
Post ego non alias cupiam te quærere; quando
Tesqua inter reliquas, & nullis usibus aptas
Aspera inaccessæ servant tibi saxa Crematæ. [b]
Forsan Arenarum quæ sint cognomina; ripis
Et quibus hæ caleant, & quæ prope cærula quæras.
Ipsa suas primùm Virgo [c] commendat Arenas,
Ænariæ quæ Diva oras tutatur, & Arces.
Non tamen his famâ, aut medicâ vos laude minores
Crediderim, Nereï quæ propter litus ad Austrum
Vergitis; & grandi queîs præsidet omine Princeps,
Qui regit æthereas, [d] adigitque ad signa phalanges.
Inde Giganteas [e] sinuoso e margine rupes,
Et Borean aliæ spectant; [f] pretioque carentes
Ad Cytharæ [g] cernes alias, ad Stagna Gradonis. [h]
Hæc

(a) *Laurentj nomine &c.* Indigen. *Stufe di S. Lorenzo*: prope Balneum S.Montani. Hypocausta hæc Antiquis ignota, & paucis ab hinc annis adinventa, non sine magnâ Ægrorum utilitate.

(b) *Saxa Cremata.* Duo hîc Sudatoria, vulgò *Alle Cremate*, a nullis freqnentata; cum in situ inaccesso posita sint. Locus hic, teste Pontano lib. 6. de Bello Neapol., sic dictus ab incendio; Anno enim 1301. sub Carolo II. Andegavensi e terræ sinu ignis sulfureus erupit adeò horribilis, ut duos solidos duraverit menses: quo tempore duo ille milliaria in longum, in latum verò unum se extendit: consumpsitque Vicos complures, animalia, sylvas, ac præcipuam Insulæ partem. Incendii vestigia ad id usque temporis terrorem incutiunt.

(c) *Ipsa suas primùm Virgo &c.* Vulgò *L'Arene di Santa Restituta*; omnium celeberrimæ, in maris litore. De his Jasol. l.2. c.33.

(d) *Qui regit æthereas &c.* Vulgò *L'Arena di S. Angelo*. Jasolin. lib. 2. cap.43.

(e) *Giganteas... rupes &c.* Indig. *Lo Scoglio del Gigante*. Scopulus hic ab Inarime parùm distans, hanc a meridie respicit.

(f) *Et Borean aliæ spectant &c.* Vulgò *L'Arene alle pietre bruciate a San Pietro a Pantanello*: nullius tamen momenti, quia valde debiles.

(g) *Ad Cytharæ.* Vulgò *L'Arena di Citàra, e d'Agnone*. Jasolin. l.2. c.38.

(h) *Stagna Gradonis.* Vulgò *L'Arena sotto il Bagno di Gradone*: quæ quidem nullo nunc in pretio. Arenas omnes Ænariæ commendat Bacc. l.4. c.10., & Jasol. l.2. c.41.

(a) Mar-

Hæc ego, certa licèt dubiæ tutamina vitæ,
Incolumem te noſſe velim; nunquam invida rerum
Fata; nec adverſæ ferat inclementia ſortis
Triſtior, ut duris morbi languoribus actus
Experiare: meis qui, REGUM MAXIME, Muſis
In Solem e tacitâ, lenti quâ preſſimus, umbrâ
Das poſito prodire metu; cœloque potitas
Liberiore frui: tutoque incedere greſſu.
At fortaſſe auſtera nimis, nimis horrida viſa eſt
Hactenus, ingratos inter quærenda liquores
Inarime, effuſo tergit dum corpora nimbo;
Et jubet æſtiferas renuentem accedere Thermas.
Forſan & immitem culpabis; & incita forſan
Jam volat, & rapidis aliò ſe cymbula remis
Proripuit fugiens; alios petit illa receſſus;
Ænariæque cavet, Maleæ ceu litora, portus.
Parce ſed immeritam Charitum proſcindere ſedem,
Qui prima hæc dubiis hæſiſti ad limina plantis.
Ulteriùs ne tende odiis; mentemque ſiniſtram
Exue: Naïadum veritus confundere cœtus,
Nereïdumque choros, & amantes otia Divas.
Quò fugis? illecebras inter terræque, mariſque
Ipſa, viden, te culta vocat: tibi gaudia ſervat
Nympha Loci cuſtos, verno placidiſſima luxu.
Salmacis hìc molles fugiens ubi callida fontes,
Ipſa manu tenerâ ſcripſit ſibi tecta Voluptas.
Sed Paphiis non illa dolis inſtructa: procaces
Neſcia inexpertæ laqueos innectere pubi.
Qualis io, circùm viridanti ripa theatro
Panditur! ut riguis ſonat undique rupibus! utque
Pendula vicinæ texunt umbracula ſylvæ!
Non hìc arguti, curarum oblivia, cantus
Defuerint; placidum concentibus æthera mulcet
Alituum ſi turba frequens; cultiſſima triſtem

Si Prognen arbusta sonant, & Acanthida vepres.
Hìc mihi Quintiles Zephyri modò temperet æstus
Blandior aura: fluat cursu modò Pimpla secundo;
Non ego piniferis frondentia Mænala lucis
Invideam: non Taygeti mihi saltibus optem
Otia: vel gelidis invisere Pana Lycæis.
O ego Mæonias imitatus carmine voces,
Tot species retulisse queam, cultusque locorum,
Et nemora, & viridem blandæ telluris honorem!
Mitior hos æther fines beat: ætheris arva
Temperiem, & placidos imitantur cœrula mores.
Hìc hyemis nunquam, Boreæque exterritus irâ
Continuum ver annus agit. non gratior usquam
Deliciis Natura suis indulsit; amœni
Nusquam alias major cœli indulgentia terras
Excipit, & fatis præbet genialibus uti.
Plurima quippe solo vis indita: plurima campis
Gratia. nec pretio nitet hìc quæsita, manuque
Flora: suus Floræ decor est, sua gloria fundis,
Nulli hominum curæ, culturæ obnoxia nulli.
Ingenio fœcunda novo pubescit: & ultro
Gaudet humus, cœlo tantùm contenta colono,
Fundere perpetuos ullo sine semine flores;
Implicitura comas olim, vincturaque frontem
Nereïdum: Martis libeat si fortè Kalendis [a]
Fœmineo de more leves iterasse choreas.
Tum violas, calthasque manu, cyanosque, rosasque,
Liliaque innectunt, & odori munera nardi.
Ipse etiam in primis rabidi sub sidere Cancri
Arva per, & colles, & depressas convalles
Cariophyllus opes, variæque insignia formæ,

Pur-

(a) *Martis ... Kalendis.* Kalendæ Martiæ festæ Fœminis, ut Decembres Hominibus, cum Saturnalia celebrabantur.

(a) *Qua-*

Purpureasque comas Sarrano ostentat in ostro.
Quàque viret, sylvæ in speciem frondescit; [a] & agros
Sponte suâ passim, nullo cogente, colorat.
Quid memorem Idaliæ ut Veneri gratissima Myrtus,
Servet ut æternas Lentiscus in arbore frondes?
An, ne lacus, ripasque canam venatibus aptas:
An referam externo gaudentes Alite [b] saltus?
At scena ut versis campo discedet eodem
Frontibus: & quali dabit hæc spectacula pompâ,
Cum summo Halcyone [c] pendentibus æquore nidis
Incubat: & tranquilla suis non Solibus æstas
Rettulit innubes alieno mense tepores!
Tunc patrios, mora nulla, lares, atque otia tecti
Desidis, imbellesque fugit somnosque, jocosque
Venator. lucos inter, vel sedulus errat
Propter aquas: avibusque dolos, & retia tendit.
Tunc, ubi diffuso circùm piscosa quiescunt
Stagna lacu, grato juvat indulgere labori:
Oblatæque animum solari in imagine prædæ.
Hàc tibi, dum celerem remo impellente phaselum
Flexeris, hàc liquidos, obducto & litore campos
Cernere erit spissâ Fulicum sub nube latentes;
Quas, instructa armis, cymbisque invecta juventus,
Insequitur pernix, & spe jam præcipit; & jam
Fortunam sortita oculis, rimataque fixo
Luminis obtutu longè vestigat: & ictum
Dirigit. exploso tunc & glans ænea fertur
Missa tubo, pyrii quà pulveris impetus urget.
Extemplo avulsæ labuntur ab æthere plumæ:
Exanimes labuntur aves. jam litus, & undæ,
Jam-

(a) *Quàque viret &c.* Consularur Jasolinus, & Capac. l. 2. c. 15.
(b) *Externo . . . Alite.* Ales externus. Ital. *La Starna.*
(c) *Cum summo Halcyone &c.* Ital. *La State di S. Martino*: circa idus Novembres.

(a) *Li-*

Jamque avibus ſteterunt campi. tot fluctibus unquam
Non patet Ægæo pinus jactata profundo.
Nec fera tot pluviis horreſcunt nubila nimbis,
Auſter ubi Æolias effracto carcere rupes
Decutit, Hadriaco moturus prælia ponto.
Ergo ubi ſub noctem, ſtrato ceu victor ab hoſte;
Jam redit; &, feſto comitum plaudente tumultu,
Ipſe ſibi ingentem captat per ovantia plauſum.
Compita venator; gaudet conviva ſodales
Excipere: & cyathis infundere purâ Lyæi
Munera, queîs nullâ vim Naïas intulit urnâ.
Jam ſe ſe accingunt epulis: jam plumea nudant
Viſcera: jam verubus torrentur fixa columis:
Gutturaque, & fauces nidor ſolatur hiantes.
Tunc menſis adhibent ſocios: vinaria ſiccant
Grandia: poſt dulci componunt lumina ſomno.
At non una acres Venantum induſtria vires
Exacuit; campos poterunt luſtrare propinquos,
Et nemora, & colles, & collibus obvia læto
Prata ſinu, viridique nitent qui vertice lucos.
Namque ubi ſylvarum placidis jucundior umbris
Clauditur, & ſaltu præcincta Ligoris [a] aprico
Vallis amœna ſubeſt; blando quæ florida luxu,
Chlori, tuas oſtentat opes; hìc fauſta labores
Et manet, & votis hìc ſors majora rependet
Præmia; ſeu Daſypus [b] igniti grandine plumbi
Occiderit; Lepori ſeu fata extrema minetur
Vertagus; [c] & fulvâ laniatum extendat arenâ.
Hìc ego te reducem: venatica plectra repoſcam
Hìc tua, Cecropium [d] qui nomen ab Hellade jactas.

Bret-

(a) *Ligoris*. Vallis peramœna. Indigen. *Valle, à Piano di Liguori*.
(b) *Daſypus*. Ital. *Coniglio*.
(c) *Vertagus*. Ital. *Cane Levriere*.
(d) *Cecropium qui nomen &c.* Innuitur hic P. Beniamin Græcus Soc. Jeſu,

Brettia [a] jam senos tibi sat coluisse per annos
Litora: ubi occultas lymphæ absorbentis hiatu
Nunc quoque divitias Alarici [b] abscondit avarâ
Crathis [c] aquâ: & vacuus perdit sua vota viator.
Veloces animosa canes huc Sparta; Molossos
Huc Epirus amet vigiles, & morsibus acres
Mittere. flammifero cadet hìc tibi multus ab ictu
Ales; & ancipitum captivi errore plagarum
Pinguia conditis ornabunt fercula mensis
Turdique, Merulæque, & quos tua pellicit astu
Pieris, aligeram didicit quæ fallere gentem.
Nam, duce te, casses, [d] nodosaque lina per agros
Expedit illa; avibusque eadem prædonibus usa
Alituumque acies latè populatur, & auras.
Illa etiam arguto seu sibilet ore: canoram
Inflati cieat calami seu murmure vocem,
Decipit incautas, sonitum mentita, volucres.
Novit ut e caveis auceps modulata repostis
Insidias pennata struat; tractasque canendo
Plumipedes trudat non visa in vincula turmas.
Nunc pedicas parat illa manu: nunc arboris olli
Noctua confidens trunco dat habere frequentem
Sponte suâ prædam: visco quam virga tenaci
Implicat ignaram, nec adhuc sua fata timentem.

su, qui aliqua de Venatione metro alligata meditatur.

(a) *Brettia &c.* Consentia nimirum, Ital. *Cosenza*, Calabriæ citerioris Metropolis; Brettia a Brettio Herculis, & Baletiæ filio Consentiæ conditore.

(b) *Nunc quoque divitias Alarici &c.* Alaricus Gothorum Rex cum Romam primùm, ac Neapolim: deinde Brutios centum millibus militum occupasset, Consentiæ moritur ann. Domini 410.: sepultusque a suis cum ingenti facti, infectique auri vi, gemmisque in loco, ubi Casuentum Flumen (Ital. *Bassento*) in Crathim influit.

(c) *Crathis*. Alter Consentiæ Fluvius, Ital. *Crati*, qui Urbem intersecat. De hoc Plin. l.3. c.5. & 11. & Ovid. Metam. 15.

(d) *Nam, duce te, casses &c.* Variæ hìc, per transennam veluti, delibantur Venationum, & Aucupii species: quas fusiùs reperies apud Bargæum, Natalem Comitem, Jacobum Pontanum Soc. Jesu Progym. Tom.3. Progym. 44., cæterosque non paucos.

Est etiam, innexâ speculi quod fraude vagantes
Fallat aves; clausoque ferens Vulcania vitro
Dona, soporatâ sibi quærat ab alite prædam.
Huc quoque dum Pindo properat, Cirrhâque relictis
Musa, jubet canibus jam te circumdare saltus.
Et docet ut certo venabula dirigat ictu
Dextera, dum jaculo petitur fera cominus; utque
Ærea flammatum displosa infligat arundo
Vulnus: & accenso feriat lethale metallo.
Quot sibi, ceu docto Chiron Philyreus in antro,
Præceptis exculta tuis formabit alumnos!
Jam novus in sylvis pharetrâ munitus, & arcu
Et Tigridum exuvias, & viscera poscit Achilles.
Jamque alios juvenile decus sylvestria rursum
Hippolytos ad bella vocat. jam buccina cornu
Insonuit. posito redivivum Actæona rictu
Jam Dominum novere Canes; facinusque latratu
Supplice confessi, temeraria vulnera damnant
Pamphagus, Ichnobates, Lachneque, & Oribasus Arcas.
Copula jam Phylaci Dictæâ e matre Laconi
Detrahitur: laxisque celer jam fertur habenis
Asbolus, & Leucon, & Hylactore junctus Aëllo.
Sic impune iterum per lucos ire licebit:
Teque alacres iterum catulos præeunte sequemur.
Si qua tamen capiant ruris me tædia: sylvas
Nec libeat, vallesque inter, nemorumque latebras
Ferre pedem: piscosa vehar per litora cymbâ;
Litora amem, ripasque libentiùs. O ubi Rupes, (a)
Auspiciis quæ clara tuis, & nomine gaudet,
Aliger ætherei Dux agminis! o ubi stratum
In mare prorumpit molli Peninsula clivo
Ad medium conversa diem: pelagique procellas
Despi-

(a) *O ubi Rupes &c.* Indigen. *Pro- montorio di Sant' Angelo.*

(a) *Ar-*

Despicit: Inarimæque brevi committitur Isthmo!
O quis io, hìc multo curarum pondere pressum
Sistat, & apricas piscatum ducat in oras?
Hìc scopulo acclivis, quà saxea procubat umbra,
Blandaque muscosæ contexunt frigora ripæ,
Hìc optem tractare hamos, & arundine pisces
Fallere. ab æquoreis fuerit mihi lauta Locustis
Mensa, per herbosas repetunt dum pabula cautes.
Cedet & in spolii partem, pretiumque laboris
Nequidquam irrumpens mordaci noxius ore
Scorpius, effuso vitat dum retia cursu.
Ipsa etiam in casses, nusquam secura, dolosque
Irruet Umbra meos; dum grato errore colorum
Irim picta refert, squamisque effulget, & auro.
Plena itidem e duris vellam conchylia saxis,
Ostreaque, & sapidam succo qui condiat escam
Spondylon, &, multo qui vepre armantur, Echinos.
Ubere nec deerunt fœcunda corallia trunco;
Quæ nec Erythra sinu, nec hianti obversa Charybdi
Scylla, pharetratæ neque Persidis ora recondit.
Hinc gestanda Nurus legisse monilia curent
Chalcidicæ, largoque comas innectere luxu.
Me quoque, felici dum verrimus alite fluctus,
Ire fretum raptaret amor, quà ditia florent
Virgulta, & lectis intendere tempora ramis.
His liceat, nautæ ceu tempestatibus acto,
Litoribusque frui, & reduci dare serta carinæ.
Sed non dum lasso nostræ sibi remige puppes,
Nec satis emenso meruerunt æquore portum.
At quibus exornem plectris, quo carmine tandem
Fulgentem, Bellona, tuis insignibus Arcem [a]

(a) *Arcem &c.* Celeberrimam Inarimes Arcem ab Alfonso Rege conditam (ut Pontanus, Capacius &c.) laudibus prosequitur Auctor; sed iis dumtaxat, quæ ad Havalam familiam pertinent.

(a) *Gal-*

Profequar, innumeris decorat quam Fama triumphis?
Perpetuo quæ ponte fuæ commiffa fuperbit
Ænariæ: vitreoque madet circùm undique ponto.
Hæc illa, Euboicis vel nunc celeberrima faftis,
Quæ nunquam hoftiles fati fubitura procellas
Perftat adhuc victrix. hæc, Marte exterrita nullo,
Gallorumque minis, [a] tumidifque infultibus olim
Invia, tot meruit palmas; & nefcia vinci
Tot potuit fregiffe Duces; Senonumque furores
Ludere; Aragonidûm [b] nunquam non fulgida fignis:
Vindice te, prifcas inter memoranda Camillas,
Peltiferæ victura decus, Conftantia, [c] gentis.
Quàm bene Majorum cumulas, laurofque Nepotum,
Havalidûm foboles, & magno nupta marito
Bauciadæ, [d] excelfo fubftructa Altilia [e] muro
Peucetiæ latis olim cui paruit arvis.
Ilicet ipfa tuo Cuftos fidiffima Regi
Francigenûm [f] contra turmas, claffemque, minafque
Inarimen, Arcemque, hofti fatis una terendo,
Afferis invictam, commiffaque figna tueris.
Et quamquam irrumpens toto victricia regno
Arma ferat Ligeris; [g] bacchantiaque agmina latè
Per-

(a) *Gallorumque minis &c.* Gallis enim totum penè Regnum fub Carolo VIII. eorum Rege obtinentibus, nunquam hæc Arx fe dedidit. Ita Summon. Tom. 3. Hift. Neap. l. 6. c. 2.

(b) *Aragonidûm.* Ferdinando præcipuè, ac Friderico Aragonum Regibus.

(c) *Conftantia &c.* Innici Havali, Hiftonii (Ital. *Vafto*) Marchionis filia, fidem Friderico Regi datam, Arcemque Ænariæ fibi commiffam fervavit. Vide Capac. lib. 2. c. 55. & Summon. Tom. 3. l. 6. c. 4.

(d) *Bauciadæ.* Friderico nempe de Baucio, Altiliæ Principi, cui nupferat Conftantia. Summ. loc. cit.

(e) *Altilia.* Noftrat. *Altamura*, Apuliæ Peucetiæ Oppidum.

(f) *Francigenûm &c.* Pulfis enim, ut laudati Auctores, Navarri operâ, Gallis e Neapolitanis Arcibus, cum ferò eorum claffis ad opem fuis ferendam adveniffet, infectâ re Ænariam aggreffa eft: fed operam perdidit, unâ illi validiffimè obfiftente Conftantiâ Havalâ.

(g) *Arma ferat Ligeris &c.* Cum fcilicet Galli a Ludovico XII. eorum Rege, Duce Domino Obignio in Italiam immiffi, eâ Neapolitani Regni parte potiti, quam invaferant; Ænariæ tamen Arcem, ut ut adorti, nunquam tenuere; ut Summont. loc. cit.

(a) *Fri-*

Pervolitent: Arx una tuis defensa maniplis,
Regia tum sospes Friderici [a] insignia servat.
Hos tibi, belligeri suppar Genitoris imago,
Indiscreta aliis, gratusque tuentibus error,
Hos animos quondam Pater addidit Innicus; ex quo
Te trabeas, palmasque inter, Proavûmque curules
Edidit egregiis æquantem nomina factis.
Felix prole suâ: qualem sibi somnia vatum
Græca Jovem finxere; sacro qui Pallada fœtu,
Pallada, (seu castris malit Bellona vocari)
Mente ferax, parit, & partu lætatur opimo.
Hic tibi vel primis Genitor prælusit ab annis:
Et servare fidem docuit; fortissimus unus
Qui Carolum [b] Alpinis venientem e rupibus hostem,
Gallicaque edomitis spargentem lilia terris
Reppulit insultans, inimicaque tela repressit.
Ille, novam pugnæ seriem commentus, & artem,
Ænariam belli dubiis sine cæde periclis
Explicuit vindex; Dominoque [c] hinc tradit habendam
Hesperio; Consalve [d] Ducum clarissime, signis
Cessit io dum jure tuis; & honoribus auctus
Æternum generi peperit nomenque, decusque.
Ex illo (illustrem nam patria fata sequuntur
Pro-

(a) *Friderici &c.* Fridericus hic Scylacæi (Ital. *Squillaci*) Princeps, Alfonsi II. Regis frater, a Nepote Ferdinando II. jam jam morituro, in Regnum supremis tabulis, atque adeò jure sanguinis vocatus; brevi tamen tempore Gallis hinc, Hispanis inde validissimis copiis prementibus regno cedere, & penè ab omnibus desertus in Gallias exulatum abire coactus est. Ab Ænariâ tamen solvens Innico Havalo Histonii Marchioni probatæ fidei Duci, ac fortissimo Arcem Insulæ servandam commisit: quam ipse Filiæ tutelæ commendavit. Ita ex Guicciardino Summont. loc. cit.

(b) *Qui Carolum &c.* Carolus VIII. Galliarum Rex, qui nullo penè obsistente totum ferè Neapolitanum Regnum occupaverat; Arcem tamen Ænariæ Innico Havalo commissam nunquam expugnavit. Vide Summont. Tom. & l. cit. c. 2. Hinc perbellè Ludovicus Ariostus Cant. 33.

Vedete Carlo Ottavo che discende &c.

(c) *Dominoque &c.* Ferdinando nimirum Catholico Hispaniarum Regi.

(d) *Consalve &c.* Consalvus Ferdinandus de Cordubâ, cognomento *Il Gran Capitano*, qui Supremus Hispani

Progeniem, quæ clara ſuos exurgit in ortus.)
Ex illo Inarimes, validis quam ſoſpitat armis,
Havalidûm affertâ Soboles dominatur in Arce.
Spectatæ virtutis honor, qui Troica vincat
Secula: Cumei ſuperet qui pulveris annos.
  Hæc modò, dum tenui rerum faſtigia cantu
Summa ſequor; nec vela mari dat Muſa patenti.
Interea poſitâque chely, fidibuſque remotis,
Phœbe, ſile; preſſoque vacat dum barbitos œſtro,
Hæc mihi Sinceri [a] ſacro ſuſpenſa ſepulcro,
Actiacos decoret cineres, Maneſque coronet.
Mox tamen & primâ repetens ab origine cauſſas
Ordiar: & ſolidas accingar dicere vires,
Quas Thermis, quas noſtra Undis, quas præbet Arenis
Inarime: tanti quæ pars erit altera cœpti.

---

ni exercitus Imperator, Gallis omnino fugatis, Neapolitanum Regnum Regi ſuo Ferdinando aſſeruit. Huic, jam omnium Ordinum conſenſu in Regni poſſeſſionem admiſſo, Innicus Havalus Ænariæ Arcem ſponte ceſſit, anno 1503. Atque id cauſſæ eſt cur ad id uſque temporis, perpetuâ hæredum ſerie, Familia Havala Arci Ænariæ præeſt. Ita citati Auctores.

(a) *Hæc mihi Sinceri &c.* Vide Notas pag. 16. lit. a., & d.



INA-




Ant. Baldi Inv. et deli. F. IV. *And. Maillar Sculp. Neapoli 1723.*



INARIMES

LIBER II.



Actenus Ænariæ fines, & amœna fecundùm
Litora, libatis primo vix fontibus hauftu,
Grata falutiferis confumpfimus otia ripis.
At nunc aufpiciis iterum melioribus altum
Carpit iter Thymbræus; amat primordia rerum
Tangere, dum patrio feriem veftigat ab ortu.
Scilicet in noftros olim converterit ufus,
Atque habiles doceat membris infpergere rores
Quis prior; & medicæ balinea reclufcrit arti.
Quis tantæ monftrator opis mortalia primùm
Pectora, morborum pulsâ contage, falutem
Jufferit e riguis haurire induftrius undis.
Ergo, age, Cœlicolûm cumulas quæ gaudia vultu,
Partheni Diva: poli fupplex cui Regia fervit,
Ali-

Aligerûmque cohors; duodeno ſidere flavas
Sparſa comas; totoque ſinus circumdata Phœbo.
Cui, niveis prono famulantibus æthere bigis,
Lambit adoratas fulgens Latonia plantas.
Te mea, Jeſſeas lauro dum ſternimus aras,
Vota, preceſque petunt; cultu te ſupplice poſcunt
Invalidi, quæ rebus opem mortalibus olim,
Fœta Deo, caſus hominum miſerata, tuliſti.
Auſpice te quando veteris diſcrimina culpæ
Irrita depulsâ ſolvunt caligine terras:
O ades, &, ſenſus hebetat quæ plurima, noctem
Diſcute; diſcuſſis metam, quò ducimur, umbris
Da tenuiſſe: tuo facilem namque omine curſum
Tendimus, atque aliis jamdudum accingimur orſis.
At priùs artifices Muſis accedere Thermas
Quàm liceat: mentiſque alto molimine ſtructas
Aggrediar ceciniſſe; juvet prædiſcere aquoſi
Dona ſoli, quæ ſponte ſuâ, tumidoque profudit
Alma parens Natura ſinu: quo tempore primùm
Ultier: & lymphas quo præceptore ſalubres
Gens didicit plenis in balnea vertere labris.
Dum tamen [a] externos viſam novus advena fines;
Ænariæque procul ripis humentia quæram
Litora: non equidem perſtricta attingere paucis
Cuncta velim: greſſus tua per veſtigia tantùm
Flectentem te, Phœbe, ſequar, quà tramite certo
Pandis iter, reſeraſque alio mihi lumine Fontes.
Quot mihi per Latium [b] ſaliunt, reſonantque frequenti
Murmure! quot medicâ celebres virtute renident!
Cui

(a) *Dum tamen externos &c.* Præſtat in aliorum Balneorum deſcriptione tantiſper immorari: ut a Balneis Ænariæ digreſſi, rem totam ſuâ veluti ab origine exordiamur; ut ſub initium operis propoſuimus.

(b) *Quot mihi per Latium &c.* Qui Balnea Latii ſcire velit, conſulat.

Cui tamen, orſa loqui, moveat ſua plectra: canendo
Quem priùs exornet: quem mox ad carmina poſcat,
Tot Latices diſtracta inter dum mente vagatur,
Calliope ignorat: curiſque ſilentibus hæret.
Qualis ad oſtriferi fauces piſcator Abydi,
Dives ubi arriſit votis Fortuna: latentes
Rimatus namque ille ſinus, ut gemmea ponti
Dona videt, prædâ felix lætatur: & anceps
Pendet adhuc animi, quæ nam ſibi munera primùm
Seligat:atque oculos, dextramque huc verſat,& illuc.
Aſpice Flaminiam [a] propter viridantia latè
Prata viam, celſis quà nubibus Apenninus
Imminet, & ſegetes errans allambit Iſaurus.
Perge per Æmiliam: [b] Mutinæ pete rura: feraces
Et pete dejectu radit quos Blandula [c] campos.
Seu quà Cenomanûm [d] tincti maduere ligones
Tranſcherium juxta. quali ſe ſe ubere virtus
Oſtentat nativa ſoli! quo fertilis alveo
Fluctuat! & vitæ in pretium quot inhoſpita ſaxis
Teſqua per humentes jubet illa liqueſcere dumos!
Quid memorem Alpheis [e] quas nunc Etruria Piſis,

H Quaſ-

lat Bacc. de Thermis l.4.c.11., & 12., & l.6. c.20.: Editionis tamen Venetæ ann. 1588. apud Felicem Valgriſium, quam ſemper in Notis allego.

(a) *Aſpice Flaminiam &c.* Via nimirum, quæ Româ per Portam Flaminiam Ariminum uſque ducit: a Flaminio Conſ., qui eam ſtravit. Balnea hujus viæ habes apud citat. Bacc. l. 5. c.6., & apud Jo: Baptiſtam Clementem Fanenſem.

(b) *Perge per Æmiliam &c.* Æmilia via, ab Arimino Bononiam uſq;ducens, ut Strabo l.5.; a M. Æmilio Conſ. dicta. Aquas hujus regionis (vulgò *La Romagna*) expreſſit Bacc.l.4.c.11.,& l.5.c.6.

(c) *Blandula*, Fons medicatæ aquæ in Agro Carpenſi: vulgò *Brandola*. Origo hujus traditur a Bacc. l.5. c.9.. De hoc noviſſimè Antonius Valliſnerius *In ſuo Itinere Phyſico-Medico*.

(d) *Seu quà Cenomanûm &c.* In Cenomanis (Ital. etiam *Cenomani*, qui ea olim loca incoluere, ubi nunc *Le Campagne di Breſcia*, a Brixiâ eorum Metropoli) Aquæ Tranſcherianæ ſub Bergomo: ut Bacc. l.5. c.4.

(e) *Quid memorem Alpheis &c.* Piſæ, Etruriæ Oppidum ad Arnum. De harum Balneis Idem l.4. c.13., 14., & 15., l.5.c.9., & l.6. c.3.. Et in ſuâ Epitome Joſeph Zambeccarius Anatomes Profeſſor in Academiâ Piſanâ.

(a) Se-

Quasque suburbanis Senarum [a] præbet in arvis:
Seu Volaterrano [b] lymphas in litore: seu quas
Sæpe per æstatem Lucensibus [c] advena pratis
Et petit indulgens genio, repetitque quotannis?
Adde etiam Cajas; [d] potantibus adde secundas
Anticoli; [e] fastisque super præsigne Latinis
Quas tibi Nomentum, [f] quas elicit Ardea [g] Turni:
Et Sinvessa [h] tepens, & fluctu Passeris Anxur. [i]
Te Stabiæ [k] invitant; Lucanam Melphis [l] ad oram
Te vocat. Undanti, viden, ut ferrugine potus
Sufficit, & certam Megare [m] dat habere salutem
Par-

(a) *Senarum præbet in arvis.* Vulgò *Campagne di Siena*. Senarum Balnea fusis laudibus prosequitur Bacc. l.4.c.11.,12.,& 13.,l.5.c.6.,& l.6.c.3.

(b) *Seu Volaterrano &c.* A Volaterrâ, Ital. *Volterra*, Etruriæ Urbe. Balnea Volaterrana enumerat id. Auctor l.4. c.8.,& l.5. c.6.,& 12. De his etiam locutus creditur Lucr. lib.6.

(c) *Lucensibus advena pratis &c.* Balnea Lucæ, Ital. *Bagni di Lucca*, recenset Bacc.l.5.c.9.,& l.6.c.3.,& laud. Zambecc.

(d) *Adde etiam Cajas*. Celebres Viterbii Aquæ Cajæ: non Calidæ, ut Ferrarius *In Lexic. Georg. V. Aqua Calida*: quas, Cajas ab Antiquis dictas, *Bagni di Bollicame* italicè vertit Leander Albertus In *Hetruriâ Meridionali Faliscorum sua Italia pag. mihi 77. a tergo*; Leandrum in hoc sequitur Ferrar.loc. cit.: contra Bacc., qui lib.4.c.9., & 10. diversas putat esse Aquas Cajas ab iis, quas *di Bollitano* dicimus. De his Strabo l.5., & Jo. Annius Viterbiensis, *In Antiquitatum Commentariis.*

(e) *Anticoli*. Ital. etiam *Anticoli*, Vicus in Latio. Laudat has Aquas Baccius l.6. c.20.

(f) *Quas tibi Nomentum*. Vulgò *Lamentana*, Oppidem Sabinorum, ut Leand. *In Umbriâ Sabin. pag. 105.* Aquas Nomentanas commendat Bacc. *l.5.c.9.*, & *Labanas* appellat.

(g) *Ardea Turni*. Ardea Urbs olim Latii, Turni Rutulorum Regis sedes. Aquarum Ardeæ vix nomen remanet apud Vitruv. l.8. c.3.

(h) *Et Sinvessa.* Sinvessa, Urbs olim Campaniæ inter Lirim, & Vulturnum, ubi nunc *La Rocca di Mondragone*. A balneis tepentibus *tepentem* Silius dixit l.8.. Vide Strab.l.5., & Plin.l.31. c.2.. Balnea hæc olim valetudinis ergò Claudium Cæs. adiisse, legimus apud Tacit. *Annal. lib.12.*. *Aqua Sinvessana* etiam dictæ: nunc *Torre de' Bagni*.

(i) *Fluctu Passeris Anxur*. Anxur Ital. *Terracina*, in Campaniâ. Aquas hasce Martial. l.6. Ep.42. *Fluctus Passeris* vocat.

(k) *Te Stabiæ &c.* Stabiæ, Ital. *Castell'a mare*: Campaniæ Oppidum. Stabiarum Fontes celebrat Columell. l.10.de Hortor.cultu; & Plin.l.31.c.2..

(l) *Lucanam Melphis &c.* Melphis, Ital. etiam *Melfi*, Urbs Lucaniæ, vulgò *Basilicata*, in Apuliæ confinio. In eâ aquæ salubres.

(m) *Megare &c.* Recole Notas l.1. pag.16. lit.h. In Luculliano igitur Aquæ, vulgò ferratæ, saluberrimæ. Probantur a Bacc. l.6. c.3., sed magis ab experientiâ, quam Neapoli capiunt Ægri illas hauriendo.

(a) Te

Parthenope in magnâ. te Nar, [a] te proxima Cære [b]
Aureliæ balinea viæ, balinea per Umbros, [c]
Picenasque plagas, [d] Tiburtinasque [e] requirunt.
Nec magnus subiisse labor juga Rhætica [f] Stagnis
Fœta suis; auro vel quæ nitidissima multo
Rhenus alit, Fabarisque [g] vocant cognomine gentes.
Par mihi ad Alpini studium properasse Timavi
Ostia; & e summo flexis Helicone quadrigis
In Carnis [h] Hydrea sequi, vagus Hadria jactis
Extremam Hesperiæ quà fluctibus urget arenam.

(a) *Te Nar.* Nar. Ital. *La Nera*, Fluvius Sabinorum, quos ab Umbris dividit. Salutares aquas ad ripas hujus fluminis describit Bacc. l. *6.* c. 3.

(b) *Te proxima Care &c.* Balnea nimirum, quæ vicina Cære, (Ital. *Cervete*) Urbi in orâ Tyrrheni maris, Cæretana vocat Albertus *In suâ Hetrur. Meridion. Falifcor. pag. 79.*. Duo Baccio illa sunt: altera l. 4. c. 11. Srygiana, vulgò *Bagni di Stigliano*, a proximo Pago, qui Srygianus dicitur: quæ Buno in Notis Cluver. l. 3. c. 26. Cæretanas, & Stilianas aquas nominat. altera l. eod. c. 12., quæ Sabatina, & Sabatia a lacu Sabatis, Alber. loc. cir.: vulgò *Bagni di Vicarello*, a Vico Aurelio cognomine. Quæ quidem Aquæ majorem quàm antea in præsentiâ sibi laudem vindicant; cum INNOCENTIUS XIII. P. M. sanitati restitutus ope Balneorum nostræ Ænariæ, ut mox dicemus: morbo tamen iterum aliquantulum tentatus, in Aureliis aquis convaluit omnino. Ut ex literis ad me datis quarto Idus Julii ann. 1722. ab ejusdem S. Pontificis Medico Domino meo Nicolao Michaelangelo; cujus consilio, contradicentibus cæteris, ut anno 1717. Ænariæ balnea, ita Aquas Aurelias petiit sub initium anni 1720. Hæc duo Balnea in Aureliâ viâ locantur *In Itinerar. Antonin. Cas.*

(c) *Per Umbros.* Notissimæ Aquæ Nuceriæ in Umbris, vulgò *L'Acque di Nocera*; quas commemorat Bacc. l. *6.* c. 14.

(d) *Picenasque plagas.* Picenum, vulgò *Marca d'Ancona*. Multitudinem Balneorum Piceni videre poterit Lector penes Bacc. lib. 4. cap. 13., lib. 5. c. 4., *6.* *9.*, & 16., & l. *6.*, c. 3.. De Balneo tamen vulgò *Fonte buono* in Oppido S. Anatoliæ scripsit Petrus Boscherinus anno 1673.

(e) *Tiburtinasque.* De Aquis, vulgò ferratis, Tiburtinis præter Bacc. l. 5. c. 10., enucleatè, ac politè disserit in suâ *Synopticâ Enarratione de Aniene* (Ital. *Il Teverone*) paucis ab hinc annis in lucem editâ, Eruditissimus Vir Petrus Antonius Abbas Corsignanus Nobilis Citerninus: satis hactenus suo *De Marsorum origine*, aliisque operibus typis datis, notus.

(f) *Juga Rhætica Stagnis &c.* Rhæti, Ital. *Grigioni*. Horum Balnea illustravit Paulus Paravicinus Medicus Novocomensis.

(g) *Fabarisque &c.* Balnea *De Fabaris* dicta in Rhætiâ auri particulis nitentia, secundo ab Urbe Curiâ (vulgò *Chur*, Ital. *Coira*) lapide, reperies penes Bacc. l. *6.* c. *9.*

(h) *In Carnis &c.* Carni, Ital. *Popoli del Friuli*. De horum Fontibus in agro Montis Falconis locutus est Plin. l. 2. c. 106.; & Harduin. in Notis ejusd. cap. *Bagni di Monte Falcone* vocat. Plin. ibid. inter aquarũ miracula recenset hic parvam in mari Insulam contra

Et tibi, quem Legio sequitur Thebea, [a] Ducemque
Vindicat, Aoniæ nectunt sua serta Camœnæ:
Dum Latices [b] revocare tuos ad plectra laborant.
At fœcunda licèt, scatebrisque insignis abundet
Clara tot Heroum Tellus Saturnia nutrix;
Extera mirificas poterunt quoque litora venas
Promere; namque suos pelagi feret Insula Melos [c]
Carpathii: Phrygiæque Urbes Hierapolis [d] inter
Nota: ferent pariles Pelopeïa [e] regna liquores.
Et modico a terris Euripo avulsa propinquis
Hellopias [f] reserabit aquas Eubœa: [g] suasque
Marmaridæ: [h] & priscis Persarum Susa [i] Tyrannis
Inclyta: Cappadoces [k] nec non, & Pontus, [l] & Arcas, [m]
Astyraque, [n] & Regum ditissima Pergamus [o] auro.
Quin,

---

tra Timavum *Fontibus calidis, qui pariter cum æstu maris crescunt, minuunturque.* De hac eâdem Plin. Jun. l.4. Epist. ult.. Nunc tamen continenti conjuncta est. Horum Fontium salubritatem eruta, dum restaurarentur, rudera testantur: reperta enim est lamina plumbea antiquo charactere inscripta his verbis: *Aqua Dei & Vita*: Ita ex Gregorio Amaseno Leander *In Carnis sua Italia.*

(a) *Et tibi, quem Legio sequitur Thebea &c.* S. Mauritius nempe Martyr, & Thebeæ Legionis Dux inclytus.

(b) *Dum Latices &c.* Ital. *Bagni di San Maurizio*: celeberrima Balnea isthæc, dicta a Vico cognomine, a quo mille passus distant; sub Helveticâ ditione, in finibus Italiæ, & Germaniæ.

(c) *Melos*. Insula una e Cycladibus. Hujus Balnea apud Plin. l.31.c.6.

(d) *Hierapolis*. Ital. etiam *Gerapoli*, Phrygiæ Urbs, vulgò *Chetina*, ut Harduin. in c.12. l.4. Plin.. De hujus aquis Vitruvius l.8. c.3.

(e) *Pelopeia regna &c.* Peloponnesus scilicet, Ital. *La Morea*. Pelopeïa a Pelope Rege Tantali filio: Ita Cluver. *Introd. Geogr. lib.4.c.7.*. De Balneis Peloponnesi Bacc. l.4.c.12.

(f) *Hellopias &c.* Hoc nomine appellat Aquas Eubœæ Plin. l. 31. c.6.. Imò Eubœam ipsam Hellopiam dixit Strabo l.7. pag. 317., ex Philochoro, & Hesiodo.

(g) *Eubœa*. Ital. *Negroponte.* Ægæi maris Insula, adeò Bœotiæ vicina, ut ponte jungatur: *Et dubitandum sit,* inquit Solin. c.11., *an numerari inter Insulas debeat.*

(h) *Marmarida*. Balneas in Marmaricâ (quam Buno in Cluver. l.4.c.1. *Barcha* ital.) refert Bacc. l.4. c. 12.

(i) *Susa*. Persarum olim Regia. Pro fontibus horum recole Eund. ibid.

(k) *Cappadoces*. De Balneis Cappadociæ. Id. ibid.

(l) *Pontus*. Ponti Phazemonitarum Fontes penes Eund. ibid.

(m) *Arcas*. Id. ibid. ex Pausaniâ de Aquis Arcadiæ apud Populos Cyreneenses.

(n) *Astyraque*. Astyra dicitur a Melâ lib. 1. cap. 18.: Urbs Mysiæ, quæ Plin. l. 5. c. 30. Astyre, & Strab. lib.13. τὰ Ἄστυρα. De Aquis hujus Bacc. loc. cit.

(o) *Pergamus*. Balnea Pergami, minoris Asiæ Urbis, Attalorum Regum
the-

Quin, & Apollineos celebrabit Jonia: [a] & iras
Passa Quirinales Byrsæ [b] dabit Africa Fontes.
Nec jucunda minùs patrio caput exerit alveo
Inter Idumeas commendatissima Nymphas
Calliroë: [c] decus alma suum quæ nomine [d] præfert.
Hinc & Sardiniæ, [e] Syllanaque [f] Balnea Cyrni,
Et Lipares alii recolent; [g] quæque Addula monstrat: [h]
Pannonicum vel litus amant, [i] vel Bilbilis [k] agros,
Quæ-

thesauris notæ, penes Galen. *l. 6. De Sanit. tuendâ*; & *in Allianis* ponit.

(a) *Jonia &c.* Minoris Asiæ Regio. Balnea hic juxta Templum Apollinis, ut Bacc. l.4. c.12.

(b) *Byrsa &c.* De Aquis prope Carthaginem. Id. ibid.

(c) *Calliroë.* Fons calidus in Palæstinâ, *Medicæ salubritatis*, ait Plin. l.5. c.16.. In quo frustra lavisse se Herodem Regem, asserunt nonnulli, ex Joseph. *Antiq. Judaic.* l.17. c.9.: morbo quippe divinitus immisso laborabat. De Fonte hoc Ptolem. l.5. c.16., & Fracast. Syphil. l.2. pluries, & eleganter. Carpit Claud. Salmasius Tom. I. *Plinian. Exercit.* pag.409. C. Jul. Solinum, c.35. asserentem Calliroën proximam Hierosolymis: cum a Plin. loc. cit. prope Asphaltitem Lacum, longè proinde ab eâ Urbe, ponatur.

(d) *Decus alma suum &c.* Allusum ad illud Plin. loc. cit., ubi, *Fons*, inquit, *Calliroë, aquarum gloriam ipso nomine præferens*: Καλὴ quippe pulchrum, & Ῥοὴ fluentum sonat.

(e) *Hinc & Sardinia &c.* Ital. *Di Sardegna*. De hujus Insulæ Balneis jam dirutis multa leges penes Solin. c.4.. Reprehenditur tamen iterum a Salmas. pag.73., quòd perperam asserat in Sardiniâ Aquas salubres: cum nullæ ibi sint; easque in Siciliâ esse dicit, quas Solin. in hac Insulâ. Quidquid id sit, ratio, quam Salmas. adducit, a Cœli gravitate petita, hoc non videtur evincere. Certè Bacc. l.4. c.13. affirmat in Oristanensi Sardiniæ Diœcesi extare adhuc antiquarum Balnearum vestigia, & Scatebras Calidarum.

(f) *Syllanaque Balnea Cyrni.* Balnea Cyrni (Ital. *Di Corsica*, Ligustici maris Insulæ) ad delicias instituisse L. Syllam Dictatorem, eruit Bacc. l.4. c.11. ex ædificiorum ruderibus.

(g) *Et Lipares.* De Balneis Liparæ, Insulæ ad latus Septemtrionale Siciliæ, Diodor. Sicul. Bibliot. Histor. l.5.

(h) *Quæque Addula monstrat.* Nempe Aquæ Bormiæ, a Bormio Castello cognomine: vulgò *Vuormus*, Ital. *Bormio*, ut Ferrar. in Lexic. Et ad radices Montis Addulæ (ut Bacc. l.4. c.10., vel ut Strabo l.5. pag. 205. Adulæ, vulgò *Vogel*, seu *Gotbard*) promanant.

(i) *Pannonicum &c.* Ital. *D' Ungheria*. Plurima in hac regione Balnea, de quibus egit Georgius Vernherus, & Manardus relati a Bacc. l.4. c.9., & c.14.. Inter alia ea sunt, quæ a D. Ladislao Rege nomen habent; vel quia ipsi sacra: vel quia in ipsis ille lotus. Sic etiam alia, quæ sub Budâ a Diocletiano Imperatore constructa dicuntur.

(k) *Vel Bilbilis &c.* Bilbilis (ex Radero *In Epig. ipsi* 50. *l.1. Martial.*, Varrerium *In suo Itinerar.* allegante) Urbs olim Hispaniæ Tarraconen., ejusdem Poëtæ Patria; de quâ ipse pluries; In monte, qui nunc *Bambola*, vel *Bambola*, ut Surit., & Salone fluvio cingitur. Multa ibi in ruinis antiquitatis, & Urbis monumenta; Non longè ab eâ, quam Ferrar. *Novam Bilbilim* dici posse putat, vulgò *Calatajud*, in loco campestri. Hìc ex eod. Ferrar. Bilbilinatorum Aquæ, vulgò *Bannos de Albama*.

(a) *Quæ-*

Quæque, Tolosanis [a] nimiùm damnosa Pyrene
Vallibus, æquorei diffundit ad ora Garumnæ.
Huc ponè accedant & quas Podamicus [b] undas
Dat Lacus, & Trevir, [c] ferrique aspergine Tungri; [d]
Helvetjque [e] adhibent, Leucensis [f] & accola morbis
Seu Plumbetinæ, [g] queîs nunc Lotharingia gaudet.
Quæque olim loto primùm sibi Cæsare [h] plaudunt
Ad Ligeris ripas, Latio dum Marte subactos
Arvernos premeret victor, Celtasque comatos.
Carcere sed missis ceu nunc patet area nostris
Major equis: celebres ubi tandem prosequar Urbes,
Queîs olim indigenæ titulum meruere liquores.
Nec tantùm Augustas [i] referat mihi Fama, Leasque, [k]
Aut Lupias [l] attollat Aquas; sed carmine Duras, [m]
Carmine Taurinas: [n] & lenem propter Aturrum
Tar-

(a) *Quæque Tolosanis &c.* In Aquitaniæ finibus, ut apud Bacc. l.4. c.10. juxta Tolosam, & Garumnæ (Ital. *Garonna*) fontes, balnea etiam videre licet.

(b) *Et quas Podamicus &c.* Lacus Podamicus, Ital. *Lago di Costanza*, a Constantiâ Sueviæ Urbe. Aquas medicas, quæ ibi sunt, *De Embs* vocat Bacc. l.5, c.9.

(c) *Et Trevir.* Ital. etiam *Treveri:* Populi Galliæ Belgicæ ad Mosellam. vide Bacc. loc.cit., ubi de Aquis Trevirorum.

(d) *Ferrique aspergine Tungri.* Aquarum virtutem in Tungris, vulgò *Tungres* in Belgis, Plin. l. 31. c. 2.; & Bacc. lib.6. cap.3., & 9. fusiùs prosequitur.

(e) *Helvetjque &c.* Helvetii, Ital. *Svizzeri*: Horum Aquas medicatas plurimas leges apud Bacc. l.4. c.12. 14. & lib.6. c.5.

(f) *Leucensis &c.* In Valesiis Balnea, vulgò *De Louc.* Vide Bacc.loc.cit.

(g) *Seu Plumbetinæ &c.* Vulgò *Acque di Plombieres*, in Lotharingiâ, Ital. *Lorena*: de quibus Bacc. l.6.c.7. Dictæ a Plumbo, quod habent in venis. Eruditè de his D. Fontanelle Reg. Acad. Exsecretarius, in Historiâ ejusdem Academiæ an.1700.

(h) *Quæque olim loto &c.* Aquæ in Galliâ ad Suburbia Burbonii Ancetici. Bartholomæus Cassanæus *In Catalogo Gloriæ Mundi Par.12. Consid. 77.* asserit Julium Cæsarem, in iis lotum omnium primum, cum ibidem degeret, easdem in Balneorum usum vertisse.

(i) *Nec tantùm Augustas &c.* Aquæ Augustæ, Urbs Aquitaniæ in Galliâ: alii Tarbellicas etiam dicunt: Ital. *Bajonna*: Vinetus *Aes*, seu *Dax:* Scaliger *Acqs*. Vide Notas seqq.pag.63.lit.a. De his Bacc. loc. cit.

(k) *Leasque.* Aquæ Leæ, ad fluvium Astorgam, quæ a multis confunduntur cum Aquis Flaviis. Vide Notas seqq. pag.63. lit.g.

(l) *Aut Lupias &c.* Aquæ Lupiæ, vulgò *Guadalupe*, Hispaniæ Vicus in Extremadurâ.

(m) *Sed carmine Duras, &c.* Aquæ Duræ, vulgò *Zurzach*, Oppidum Helvetiorum apud Rhenum, & Forum Tiberii, vulgò *Keiserstul*.

(n) *Carmine Taurinas &c.* Aquæ Taurinæ: aliis *Aquula*: Ital. *Acqua Pendente*

Tarbellas: [a] eadem Persas, [b] eademque Balissas, [c]
Mattiacasque [d] canet Germana per Oppida: quasque
Helvetûm [e] indictis celebrat Conventibus Ordo.
Dicet & Albenses, [f] vel quas Gens Flavia, [g] vel quas
Convenæ Aquitani, [h] Regumve [i] agnomen honestat:
Et Divûm auspicio sacras colet [k] illa Gradatas;
Quasque Cosas [l] inter medias, Romamque fluentes
Etrusci primùm dixere ab Apolline Cives. (bis
Laus quoque Romuleo [m] quàm multa a Principe vo-
Parta, repertoris quæ nunc insignia Grani
Fertis, Aquæ: factis Ingens quas Carolus auxit
Cæsar; & augusti decoravit mole sepulcri.
Et vos vester honos sequitur, vos gloria, Solis
Sta-

dente: Urbs Etruriæ, Pontificiæ ditionis, ad Peliam fluvium.

(a) *Tarbellas*. Aquæ Tarbellæ, sive Tarbella, *Tarbe*: Gallis *Acs*, Vasconiæ Urbs: juxta Aturrum fluvium, nūc *L'Adour*, ex Pyrenæo fluentem, ut Scalig. in Tibul. l. 1. El. 8.. Harduin. in Plin. l. 31. c. 2. putat hanc eandem esse cum Aquis Augustis: & extare adhuc ibidem asserit in soliis marmoreis Balneorum Romanæ magnificentiæ vestigia. Meminit Plin. loc. cit. & Oihenat. in *Notitia Vasconum* pag. 467.

(b) *Persas*. Aquæ Persæ, Gallis *Aigue Perse*: Delphinatus Caput.

(c) *Balissas*. Aquæ Balissæ, vulgò *Selle*: Vicus Hungariæ inferioris.

(d) *Mattiacasque*. Aquas, seu Fontes, quos *Mattiacos* Plin. l. 31. c. 2., Ferrar. vulgò *Visbaden* vocat: Urbs Germaniæ prope Moguntiā. Vid. Ammian. l. 29.

(e) *Helvetûm &c.* Aquæ Helvetiorum, seu *Therma Superiores*, ad Limagum fluvium; dictę a balneis (de quibus Tacit. Hist. l. 1.) editis primò, ac celebratis ab Impp. Octaviano, Vespasiano, ac Decio, ut Baco. l. 4. c. 10., e ruderibus ibid. repertis. Cluver. l. 2. c. 27. *Retchbaden*: Aliis *Baden*, & *Oberbaden*: ubi torius Helvetiæ fiunt Comitia.

(f) *Albenses*. Aquæ Albenses, Urbs Mauritaniæ Sitifensis.

(g) *Vel quas Gens Flavia*. Aquæ Flaviæ, Urbs Lusitaniæ, vulgò *Chiaves*; a Tito, & Vespasiano Impp. è Stirpe Flaviā nomen habent, ut Ferrar. in Lexic. V. *Aqua Flavia*: ad Tamacam fluvium sitæ. a multis *Aquæ Leæ* dicuntur, & Populi Aqui-Flavienses.

(h) *Convenæ &c.* Aquę Convenarū, vulgò *Cominge*, Ferrar. *Bagneres*: Aquitaniæ Oppidum, ad radices Pyrenæi.

(i) *Regumque &c.* Aquę Regię, Urbs Africæ, olim sub Archiepisc. Carthaginiensi: nunc Pagus, vulgò *Casal-Romol.*

(k) *Colet illa Gradatas &c.* Aquæ Gradatæ, Oppidum Carnorum, vulgò *San Canciano*, prope Aquilejam: S. Chrysogoni martyrio celebre.

(l) *Quasque Cosas inter &c.* Cosa nunc *Ansidonia*: ut Cluver. l. 3. c. 26.: inter has, & Romam Aquæ Apollinares, Urbs Etruriæ.

(m) *Laus quoque Romuleo &c.* Aquisgranum scilicet, Germaniæ Urbs, inter Rhenum, & Mosam. Nomen habuit a Grano Neronis Imperatoris fratre, qui primus ibi Aquas calidas adinvenit, & Balnea construxit. Cumque ibidem Arcem ædificasset, Aquis-granum dici voluit. Legatur Franciscus Fabricius Ruremundanus
Me-

Stagna, [a] Caledonios inter memoranda Britannos.
Multiplices alii Calidas, [b] aliique Voconis, [c]
Et Statellates, [d] Ligurum quæ finibus errant,
Minciadæ certant ad sidera tollere cantu.
Ipse sitim Rhodano [e] potor qui temperat, ipse
Et Numidûm claros palmis, Cimbrisque triumphis
Exhibeat priscâ latices qui laude feruntur,
Auctoremque colunt Marium: funestaque Mortis
Signa gerunt; Victorque suo quos nomine donat
Quinctius; [f] & belli Salyis qui turbine pressis
Condidit arma gerens florentem Sestius [g] Urbem.

Nec

Medicus, qui de his Balneis agit: & Bacc.l.2.c.12. Auxit deinde eadē Balnea Carolus M.Imper., teste Eginardo ejus Scribâ. Ibidem etiam Cæsar tumulari voluit. Balneorum nomina, & virtutes habes apud citatos Auctores: ut etiam apud Franciscum Blondelium Medicum Aquensem In suâ Descriptione typis editâ anno 1685.

(a) *Solis Stagna*. Aquæ Solis, quæ & *Aquæ calidæ*, seu *Bathoniâ*, Gallis *Bathe*, vulgò *Caer Baden*, in Angliâ, in Comitatu Somersetiensi. Celebrantur a Bacc. l.4. c.13.

(b) *Multiplices alii Calidas &c.* Multæ sunt Urbes, quæ *Aquæ Calidæ* vocantur. Præsertim *Aquæ Calidæ* in Britanniâ: aliis, *Vicus Aquarius*: vulgò *Vich*. Aliæ etiam ibidem, Indigenis *Bathe* dictæ, Latinis *Bathonia*: & cum *Aquis Solis* confunduntur. Aliæ in Hispaniâ Tarraconensi; vulgò *Bagnoles*. Aliæ in Galiæciâ, quæ etiam Cilinæ, & Cilinorum, & *Civitas Orensis* dicuntur: de quibus Bacc. l. 4. c. 13.; quæ quidem a multis vulgò *Bajona* appellantur, ad ostia Minii. Aliæ demum in Lusitaniâ, Indigenis *Caldas*, prope Obidos: sic dictæ ab Aquis ebullientibus. De his Plinium l. 3. c. 3. locutum puto, cum de Populis Aquicaldensibus mentionem fecit. Balnea ibidem celebesrima, teste P. Antonio Vasconcello Soc. Jesu in *Portugallia Descriptione n.8.*, ubi Eleonora Jo:II. Regis Uxor perillustre condidit xenodochium, amplisque redditibus locupletavit: unde omnibus, qui illuc ventitant, sanitatis quærendæ gratiâ, sex statis mensibus, gratis omnia ad curationem necessaria impenduntur.

(c) *Aliique Voconis &c. Aquæ Voconis*, seu *Voconia*, vulgò *Balneole*, seu *Bagnoles*: Urbs Hispaniæ Tarracon. ubi nunc *Ausa*, vulgò *Vich*.

(d) *Et Statellates &c.* De Aquis Statyellorum (quas Statellates Livius appellat l. 42.) ab Urbe Statyellorum in Liguriâ, vulgò *Acqui*, agit Strabo l.5., & Plin. l.31. c.2.: & fusiùs Antonius Guainerius in hatum Histor.

(e) *Ipse sitim Rhodano &c. Aquæ Mortuæ* describuntur: Oppidum Galliæ Narbonensis: quò, C. Marii operâ, centum passibus ab ostiis Rhodani aquæ deductæ, Plinio teste l.3. c.4. *Marii opere*, inquit, *& nomine insigne Stagnum*: Indigenis nunc *Aigues mortes*: quæ etiam *Fossa Mariana* nominantur.

(f) *Victorque suo &c. Aquæ Quinctia*, sive *Quinctiana* hic innuuntur: Urbs Hispan. in Callaicis, *Acque calde* Moletio dictæ. Aliis Oppidum Gallæciæ, vulgò *Sarria*. Meminit Baec. l.4. c. 11.

(g) *Condidit arma gerens &c.* Aquæ

Se-

Nec vos immemori Vates, Bada utraque, [a] plectro
Transierint tacitas, patriâ quæ voce sonantes
Balnea, Pierium saliendo impellitis œstrum.
Neve Dioneis adolentem thurea templis
Munera, seposito sileant Amathunta [b] cothurno;
Aut, quibus innumeri posuerunt nomina Fontes,
Oppida prætereant, quorum meminere, Latinum
Sive ebur Aonides tractent, seu fortè Pelasgum.
At quò Parthenopes me longiùs axe jubetis
Ire Deæ? imparibus nequidquam nomina quæ sint
Viribus, aut species complecti nitar aquarum.
Hæc aliis majora alii se cursibus addant
In spatia; hoc velis tranent majoribus æquor
Hi, quibus auspicio, vultuque arrisit Apollo:
Sacraque Phœbeis albescunt tempora vittis.
Sat mihi, dum tenui meditabor carmina versu,
Ire vias, ac ponè sequi quà docta Priorum [c]
Inarimen facili divertitur orbita gyro.
Hìc erit ægra satis tersisse potentibus undis
Corpora, & amissum tergendo arcessere robur.
Sat pelagi ad ripas Languentum occurrere turmis,

Sestiæ in Galliâ Narbonensi, vulgò *Aix di Francia*, ad amnem *Arc*, quas Sestius Romanorum Dux Salyis devictis condidit, ut Strabo l.4., aliique testantur. De aquis hujus Urbis Plin. lib.31. cap. 2.

(a) *Bada utraque &c.* Præter *Aquas Helvetiorum*, de quibus pag.63. v.3., & in Notis pag. eâd. lit. e., Geminæ in Germaniâ Badæ, vulgò *Baden*: ab aquis medicatis dictæ. Altera in Austriâ, inter Viennam, & Urbem novam: Oppidulum, & Cluver. *Aqua Pannonia* dictum, ut Ferrar. V. *Aquæ.* In Ducatu Sueviæ altera, quæ & *Thermæ Inferiores* appellatæ, ut distinguantur a *Superioribus*, de quibus in pag., & Notis cit.; parva Urbs, Badensis Marchionatus Caput, inter Friburgum, & Spiram.

(b) *Amathunta.* Amathus ab aquis calidis nomen habet: Syro enim sermone Aquarum vapor Amathus dicitur. Cypri Urbs, quæ nunc Ital. apud Bunonem in notis Cluver. l. 5. c.26. *Limisso. Thermæ* etiam apud Græcos nuncupata: quòd fontes calidos habeat intra muros: ut Egesippus de *Excid. Hierof. l.4. c.16.*

(c) *Priorum &c.* Julium Jasolinum intellige, Baccium, Lombardum, Jo: Elisium, Solinandrum, cæterosque medicæ artis peritos, qui de Balneis Ænariæ agunt.

Ænariam dum rite petunt. venientibus ultro
Obvia tum nostræ nullâ mercede Camœnæ
Invalidis præcepta dabunt. præsagia vitæ
Tum canere, & dubios liceat præscíscere casus,
Et leges docuisse: suo quas ordine servet
Qui memor, aspersi pretium feret ille liquoris.
At solio [a] exceptos in morem induxerit artus
Abluere, & meritum sibi jure reposcat honorem
Quis prior, incertum est. [b] quæ prima ostenderit Orbi
Caussa latet. verax Inventi gloria tanti
Auctorem non jactat adhuc; antiquior ævo
Multa quidem evictis produxit secula fatis.
Alcidæ [c] quondam, duros post mille labores
Rege sub Eurystheo, fama est Tritonida primam
Tot domitis lassata Feris fovisse tepenti
Membra lacu: læsi visa hæc medicina vigoris.
Possem hìc Tarpejæ [d] cecinisse madentia Rupis
Limina, dum Tatio nunquam cessura furenti
Naïades sparsere vadis; quæ frigida quamvis
Jacta, repentinum perhibent traxisse calorem;
Ignea nam gelidas miscent ubi sulfura Nymphæ
Inter

(a) *At Solio &c.* Quid Solium, vide lib.1. in Notis pag. 24. lit.b.

(b) *Quis prior &c.* Quo tempore, quo Auctore, quâve in regione, ac de caussâ Balnea primùm inventa, latet. Varii varia; ut in re, quæ Scriptorum testimonio ætatem omnem, ac recordationem excedit. Certè Balnea extitisse ante Romanorum, Græcorumque Imperium probat Bacc.l.7.c.1.

(c) *Alcidæ quondam &c.* Fabulantur Poëtæ, ut Diodor.Sicul. *Bibliot.*l.5., Nymphas omnium primas in gratiam Palladis Herculi, post tot exantlatos labores, calidam paravisse, ut fessum reficerent. Addit id. ib. hoc in Siciliâ ad Himeræ ripas contigisse; ubi Minervæ jussu calidi fontes idcirco erupere.

(d) *Possem hic Tarpejæ &c.* Patent hæc omnia ex Ovid. lib.1. Fastor., & clarius Metam. l. 14. Fab.18.; ubi Vates fusè narrat Capitolium defensum ope Najadum Ausoniarum, quas Venus auxilium rogaverat. Cum enim Sabini, Duce Tatio eorum Rege, Sabinarum raptum ulturi Capitolium obsedissent: & Tarpeja Virgo Vestalis pacta armillas, quas Sabini in sinistris habebant, Janualem portam hostibus aperuisset: Venere rogante, Nymphæ portæ aditum, aquis bitumine, & sulfure e frigidis in calidas versis, præclusere.

(a) *Ipsa*

Inter aquas, aditum Regi clausere Sabino:
Ne ferus Ausoniam Capitolj ascenderet Arcem,
Ulturus raptam non uno a conjuge pubem.
Hâc mihi Peligno Vates Sulmone creatus
Balneaque, & ductos monstravit origine Fontes.
Ipsa suis pariter tantum Magnesia [a] lymphis
Crediderit meruisse decus: Bithynaque [b] credunt
Stagna: & Pergameis quondam memorata Licetis: [c]
Et quæ Lesbois [d] Mitylene præstitit arvis.
Sunt etiam [e] hæc alii tibi nunc accepta canentes
Munera qui referant, Tirynthie; viribus audax
Quippe tuis, dextrâque potens, clavâque trinodi
Percussisse solum quondam, terramque trementem
Diceris; & Cyminum [f] juxta, camposque Faliscos [g]
Tot fudisse imbres, [h] valido perfossa lacerto
Fœta vaporiferi quot nunc dant jugera tractûs.
Inde sibi Herculeum [i] retulere calentia nomen
Balnea, adoptivum tituli sortita nitorem.

 Ta-

(a) *Ipsa suis tantum pariter Magnesia &c.* Balnea Magnesiæ Macedoniæ regionis, antiquissima; quorum mentio apud Aristot. *Probl. sect. 24. q. 17.*

(b) *Bithynaque &c.* Balnea in Prusâ, sive Prusâ Bithyniæ Urbe, recensentur a Galen. lib. *6. de Sanit. tuendâ.*

(c) *Memorata Licetis.* Idem ibid. commemorat Fontes in Licetis, prope Pergamum.

(d) *Et quæ Lesbois Mitylene &c.* De Balneis Mitylenes (vulgò *Di Metellino*) in Insulâ Lesbo, Id. ibid.

(e) *Sunt etiam &c.* Narrat Servius in *7.* Æneid., Herculem, cum ab Evandro ad Lucumones, veteres nempe Etruscorum Reges, transisset, in virium suarum ostentationem ingenti Clavæ, seu, ut alii malunt, vectis ictu solum percussisse; atque ita calidarum aquarum fontes in Cyminis, atque adeò ipsum Lacum Cyminum elicuisse. Refert hoc idem Albert. *In Etrur. Merid. Falisc. pag. 81.*

(f) *Cyminum &c.* Montem nempe juxta Viterbium, vulgò *Bosco*, ò *Monte di Viterbo*, a quo Lacus ibidem *Ciminus*, vulgò *Lago di Vico*: de quo Virg. *7.* Æneid.

(g) *Camposque Faliscos.* Ital. *Campagne di Monte Fiascone*: ut Leand. *In Faliscis sua Italia pag. 71.* contra Ferrar.

(h) *Tot fudisse imbres &c.* Balnea prope Viterbium quamplurima: ut Bacc. l.4. c.9., 10., & 11., & l.5. c.6., & lib.6. c.3., & 5.

(i) *Inde sibi Herculeum &c.* Balnea calida vulgò Herculana dici putant, vel quòd illis primò usus est Hercules, ut ex dictis pag. *66.*; vel quia primus adinvenit; vel quia demum Herculis robore opus sit ad illa ferenda.

Con-

Talia Thermopylis , [a] ubi lymphas igneus afflat
Halitus , antiquo Divorum Græcia cultu
Amphitryoniadæ magno devota sacravit .
Non ego Trinacriis [b] ipsa hæc præconia terris
Invideam ; nec serta tuæ decerpere fronti ,
Sicelis Ora , velim , decus aut infringere quæram.
Si Veterum vulgata fidem monimenta merentur ,
E patriis tibi plaude vadis ; te gloria tanti
Inventricem operis parcâ non laude sequatur.
Teque Syracosii redivivo carmine Vatis
Fistula Bucolicas inter decantet avenas .
Hoc Drepani (antiquæ sive hæc Nymphæa Segestæ [c]
Dixeris , excelso assurgens quà vertice Cœlum
Pulsat Eryx) testantur Aquæ ; celebrataque Stagnis
Insula Plemmyrium contra : quam deinde vocarit
Gens licèt Ortygiam , [d] calidis tamen imbribus uber
Id-

Contra tamen Athenæus l.2. pag.512. ob mollitiem , cui deditum omnino Herculem asserit , non ob vigorem aquas calidas illi sacras affirmat : unde Erasmi Proverbium , *Herculana Balnea* , *Herculani Lecti* .

(a) *Talia Thermopylis &c.* Ut etymon ipsum docet , in Thermopylis (quas Ital. *Bocca di Lupo* dixit Ferrar. in Lexic. : angustias nimirum Montis Oetæ in Thessaliâ Græciam mediam dirimentes) *Aqua calida magno in honore* , ait Strabo l.9. pag. 412., *uti Herculi consecrata* : Ε'ςι γαρ̀ καὶ Θερμὰ πλησίω ὕδατα τιμώμενα ὡς Η'ρακλέως ἱερά .

(b) *Non ego Trinacriis &c.* Primam Balneorum institutionem apud Siculos extitisse putant nonnulli , non solùm ex eo , quod diximus in Notis pag. 66. lit.c., sed ex multis etiam , ac vetustissimis Thermarum , Balnearumque vestigiis , ut ex dicendis.

(c) *Nymphæa Segesta &c.* Nymphæa ex Plin. l. 35. c. 12. , aliisque Lavacra sunt , seu Balnea . Segestæ, seu Segestana Balnea , a Segestâ , ut Cic. & Plin., sive Ægestâ, ut Halicarn. & Strabo: sive Egestâ, ut Stephan., vel denique Acestâ, ut Virgil., vetere urbe, ubi nunc , teste Fazello , *Barbara*, ad radices Erycis , vulgò *Monte di S. Giuliano* , prope Drepanum , Ital. *Trapani* . Illam Æneas condidisse dicitur a Sex. Pomp. Fest. lib. 17. , & clariùs a Virg. Æn.5. . Acestam aliqui putant ab Aceste Rege dictam. Fest. loc. cit. ab Egesto ibi ab Æneâ præposito Egestam dixit . Balnea hæc memorat Plin. l.31.c.6. , & Strabo l.6.. Thomas Fazell. Dec. 1. l. 7. c. 4. *Histor. Sicil.* addit locum hunc vocari ab Indigenis *Calamet* , a diruto pago , quem *Jammet* Saraceni dicebant ; quæ vox idem sonat ac apud Latinos *Balneum*. Multa apud Solin. c.5. leges de mirabilibus aquarum hujus Insulæ .

(d) *Ortygiam &c.* Syracusas nempe, ita dictas ab Ortygiâ Insulâ Syracusarum parte , reliquæ Urbi ponte conjunctâ , contra Plemmyrium , quod vulgò *Isoletta di S. Marziano* , & *Massa* Oli-

Idcirco Indigenis Homothermon [a] nomine dicta est.
Fontibus hoc,pelago quà mergitur Himera:[b]Thermæ [c]
Hoc geminæ ostendunt: hoc fumo Hypocausta salubri,
Vasta Selinuntis [d] quà rudera versat arator,
Dædaleâ fabricata manu; devectaque Romam
Thermiten [e] hoc Signa docent referentia Phœbum.
Quidquid id est, magnis certè lis concita turbis
Pendet adhuc. tenuisse tamen se Judice caussam
Quisque putat; dubiique petit suffragia vulgi.
Una hæc admotis urget calcaribus: acres
Una faces subdit: rapit una hæc gloria gentes.

Non

Oliviera dicit Fazell. *Histor. Sicul. Decad.* 1. *l.* 4. *c.* 1.

(a) *Homothermon.* Id. Auctor ibid. ex Nicandro tradit Syracusas antea sic vocatas: quasi aliquid simile Thermis: ὁμὸς enim idem est ac *Simile* Latinis: deinde Ortygiam appellatam.

(b) *Himera*. Siciliæ flumen ex Nebrode monte exoriens, quod in duas partes divisum, in alterâ dulcem, salsum in alterâ saporem retinet. quâ parte ad Austrum tendit *Gelas* Plin., aliisque dicitur, vulgò *Salso*; quâ verò ad occasum apud Urbem Thermas, *Fiume grande* nuncupatur. Vide Plin. l. 3. c. 8.

(c) *Thermæ &c.* Geminæ Urbes Siciliæ, quarum altera *Termine* (quæ etiam *Himera* dicitur Ferrario) ad occidentem inter Panormum, & Cephalœdim, ad ostia Himeræ. Altera vulgò *Xacca*, inter Agrigentum ad ortum, & Lilybæum ad occasum: ubi nunc Balnea, vulgò *Di Xacca*, seu *Di S. Calocero*: ita Fazell. Decad. 1. l. 6. c. 3., & Leander *In suâ Siciliâ pag. mihi* 53.. Et *Aqua Laroda* appellantur *In suo Itinerar.* ab Antonin.

(d) *Vasta Selinuntis &c.* Selinus, quam *palmosam* vocat Virg. 3. Æneid., Urbs olim, ut Bacc. l. 4. c. 7., ubi nunc *Xacca*, seu *Sacca*. Alber. *In suâ Sicil. pag.* 52. Ital. *Salemi* nominat; & Cluver. lib. 3. c. 40. *Terre*, ò *Terra de' Pulci*. Hic primò Thermas a Dædalo structas in gratiam Cocali Regis, narrat Diodor. Sicul. l. 4., non 5., ut mendosè Typograhus in Fazell.; qui Decad. 1. l. 6. c. 3. asserit plura nunc ipsum in his Thermis apparere Sedilia incognitis, & ex parte abrasis characteribus incisa; qui quidem Phœnicii ne, a primis Insulæ Incolis, an Damasceni, an alterius nationis, dignosci non potest. Putat tamen iis aut virtutem Thermarum indicari potuisse: ut legimus factum præ fronte Balneorum Puteolanorum; aut votivas veluti Tabellas fuisse Ægrorum pro restitutâ valetudine: ut in aliis Italiæ Balneis usurpatum animadvertit Bacc. l. 4. c. 7.

(e) *Thermiten &c.* Scio Sueton. *in Tiber. c.* 74. locutum de hoc Apollinis simulacro, *amplitudinis, & artis eximiæ*, ut ipse ait: quod Syracusis Romam Tiberius advexit, *ut in Bibliothecâ novi Templi poneretur*; non Thermiten vocasse, sed *Temenitem*: a *Temeno*, Loco prope Syracusas: ut ex Stephano Hadrian. Turneb. Advers. l. 8. c. 12.. Insuper Tullium in Verr. 4. *Thesmotem* (ut legit Turneb. loc. cit.) seu *Themiten* dixisse, ut Fazell. Dec. 1. l. 4. c. 1.; *Thermiten* tamen, quasi Thermarum Numen, ex Bacc. l. 6. c. 28. appello, Poëseos gratiâ: quæcumque sit Baccii opinio.

(a) *Quo-*

Non aliter celeres ac qui per Olympia cursus
Instituunt: quos meta juvat vitata quadrigis;
Sola fatigatos impellit adorea, solus
Urget honor, primæque decus memorabile palmæ.
Nec desunt (famâ tanti est prævertere) Fontes,
Qui modò de primo certantes jure, coronam
Ut rapiant, superas, vel Cœlo vindice, sedes,
Appellentque Deos, quorum plerumque tumentes [a]
Præsidio, qualis tenuit fiducia! quales
Patria rorifero fluxere per arva meatu!
Nec factura fidem populis miracula [b] rerum
Defuerint: structæque aræ, [c] seu thura Sabæo
Munere fontanas propter redolentia ripas,
Antiqui indicium generis, laudisque vetustæ.
Sic tibi, quos olim Commotia Diva colebat,
Cutiliæ, [d] Saturne, Lacus gens illa sacravit,
Pinguia quæ rastris subigit modò rura Sabinis.
Sic Cybelæ sacra Stagna Deæ Verona [e] recenset.
Et

(a) *Quorum plerumque tumentes &c.* Fontes sua apud Antiquos habuisse Numina, vel tanquam Numina cultos fuisse, neminem latet. Imò Plin. l. 31. c. 2. de aquis locutus, *Augent*, inquit, *Deorum numerum nominibus variis*. Vide Lil. Greg. Giral. *Hist. Deor. Syntag.* 5.

(b) *Miracula &c.* Aquarum prodigia multa enumerat Plin. l. 2. c. 106., aitque, *Aquarum naturam non cessare a miraculis*.

(c) *Structæque aræ &c.* Deos in Balneis, votis, sacrificiis, ac libaminibus ab antiquis cultos, habes apud Strab. l. 15. pag. 697., & Bacc. l. 6. c. 28.

(d) *Cutilia &c.* Aquæ Cutiliæ a Lacu cognomine in Agro Reatino in Sabinis, Ital. *Lago di Contigliano*. De his Strabo l. 5. pag. 219., & Plin. l. 31. c. 2., & 6.. Cotylas etiam Græci dixere a Cotylâ, seu Cutiliâ amplissimâ illic olim Urbe, ut ex ruderibus, prope Oppidum ubi nunc *Civita Ducale*, ut Cluver. l. 3. c. 27.. Subcutilas Plin., & Celsus. In lacu hoc, teste Plin. l. 2. c. 97., & l. 3. c. 12. Insula innabat; hanc *Commotiæ Nymphæ* sacram fuisse, quòd in aquis commoveretur, refert Giannat. l. 4. c. 8. Geograph.. Nunc autem nulla illic Insula: casu fortasse obruta, vel de industriâ, ad tollendas superstitiones, quibus ansam dederat Lacus hic Saturno, Templo illic erecto, sacratus ab Aboriginibus, ut Bacc. l. 5. c. 6.. Aquas multis morbis opportunas laudat Cels. l. 4. c. 5.. Incolæ nunc *Puteum Ratinianum* vocant. Jacet ad radices montis non procul a Castro, cui nomen Ital. *Paterno*.

(e) *Verona &c.* Balnea Veronæ, Urbis clarissimæ Venetorum ditionis, enumerat Bacc. l. 6. c. 3.; & sacra Deæ Cybelæ fuisse eruit ex veteri Epigraphe, in quâ, *Magna Deorum Matri Sacrum*, habebatur. Collapsa
olim

Et sua Clusinas [a] tutantur Numina ripas,
Quas fovet auspiciis Epidaurius: & sua Nymphis [b]
Quas dicat Avenio. præbet Juturna [c] secundum
Daunias omen aquis: veteri quibus oblita ritu
Victima Romanas [d] lustrata cadebat ad aras.
Incertis huc usque tamen Victoria pennis
Pervolitat, nullique favet; dubiusque petitæ
Restat honor laudis; totis licèt hactenus undis
Certatum: & liquidos, fuso ceu sanguine, rivos
Venarum eliciant Fontes; licèt æmula latè
Bella per undantes plusquam fontalia Thermas
Naïadum armisono turbarint otia fluctu; (ciscl.
Stat nova signa sequi, atque animam pro laude pa-
Namque iterum ad pugnam Pindi auxiliaria cogunt
Agmina, paciferasque vocant in Castra Camœnas.
Nec citharis opus est: resonæ, ceu buccina, lymphæ
Increpitantque moras, acuuntque ad prælia Vates,
Deferat ut Victor primas, & debita Fonti
Quisque suo veteris tribuat præconia stirpis.
Vindicibus toto [e] ceu cum furit æthere nimbis
Juppiter, & scelerum tellus dedit obruta pœnas;
Flumina tum, nullo disjectis objice sylvis,
Convenere: fluunt Nereo impellente, ruuntque
Per

olim, nunc a Senatu Veronensi restituta; ut id. ibid.

(a) *Et sua Clusinas &c.* Ital. *Bagni di Chiusi* a Clusio, Etruriæ Oppido, Porsenæ Regis sepulcro celebri. Æsculapio olim sacra hæc balnea dicit idem l.6. c.28.

(b) *Et sua Nymphis &c.* Senatum Balneum, vulgò *Bagno di Vignone*: Nymphis olim dicatum ex Bacc.l.6. cap. 3., & 28.. De hoc novissimè suas typis edidit Observationes anno 1705. Theophilus Grisonius Patricius Senensis.

(c) *Præbet Juturna &c.* Juturna Dauni Rutulorum Regis filia, Turni Soror, a Jove immortalitate donata; & pluribus Latii fontibus præsidere credita est: illi præsertim, quem *Juturna* appellant, corporibus saluberrimum; in quem tandem conversa, nomen vetus retinuit.

(d) *Victima Romanas &c.* Servius in 12. Æneid. refert Aquam Fontis Juturnæ solenne fuisse Romam afferri, ut eâ in sacrificiis uterentur. Vide Claudium Beraldum in Notis Statii ad usum Serenissimi Delphini lib.4. Syl.5.

(e) *Vindicibus toto &c.* Consule lib.1. Metamor. Fab.7.

(a) *Pri-*

Per fata, & alterno miſcent certamina jactu.
His Natura modis primò præluſit; & amnes
Sic docuit facili vertiſſe in balnea ductu.
Sunt alii humanæ quos dein ſolertia mentis
Repperit, & felix tractim quos extudit uſus.
Hos noviſſe tamen qui cogitet, altius olli
Surget opus; rerum namque huic inſiſtere cœptis
Expediet, ſuetoſque olim prædiſcere mores;
Et quo quæque modo gentes Hydrea pararint:
Et varias itidem legeſque, habituſque locorum.
Extera quid tulerit regio: quid noſtra ſubinde
Addiderit: ſtudiiſque viget dum nobilis otj,
Auxerit illuſtres Urbs ut Mavortia Thermas.
Prima quidem [a] Inachias plauſu dignata per oras
Fertur Amyclæo poſuiſſe calentia Civi
Balnea, deliciis vires fractura Lacænas,
Sparta, opibus, luxuque potens. hinc illa perenni
Fama canens lituo nunc uſque Laconica dicit.
Sed non ulla magis laudem, primaſque merentur
Davididæ [b] quàm Stagna; ſuis quæ lata nitebant
Porticibus; quino ſubſtructas ordine circùm
Quas labor ediderat, ſacræ prope Templa Sionis. [c]
Huc Superûm, ut fama eſt, demiſſus ab arce quotannis
Ali-

(a) *Prima quidem &c.* Sparta Peloponneſi Urbs, ſive Lacedæmonii ejus Cives primi fuiſſe traduntur Balneorum, Thermarumque inventores, ex Dione l. 53., pag. 515., quem ſequuntur Gerar. Voſs. *In Etymol. Ling. Lat.*, Samuel Pitiſc. *Lex. Antiquitat. Roman. Tom. 2.*, aliique. Eruere etiam credunt ex Plutar. *In Vitâ Alcibiad. pag. mihi* 203., & Thucyd. *De Bello Peloponn. l. 1. pag. mihi* 8.. Hinc Hypocauſta *Laconica* dicta volunt. Et Mart. l. 6. Ep. 42. *Ritus Laconum* dixit, ſudare ſiccâ Cellâ, & frigidâ deinde lavari. Alii tamen aliter ſenſere.

(b) *Davididæ quàm Stagna &c.* Vulgò *La Probatica Piſcina*, ſatis nota in ſacris literis; quæ quidem *Davididæ*, hoc eſt Salomonis Davidis Filii, Stagna dicimus: Joſephum Hæbr. ſecuti, qui l. 6. c. 8. Belli Judaic. *Stagnum Salomonis* appellavit; namque a Salomone extructum dicitur pro Templi miniſterio; in eo quippe Nathinæi lavabant victimas, quas deinde Sacerdotibus offerendas tradebant: ita Corn. a Lapide in c. 5. Jo:

(c) *Prope Templa Sionis.* Piſcina iſthæc prope Templum Salomonis erat, ut Cornel. loc. cit.

(a) *Sub-*

Aliger attactu lymphas agitabat: amicam
Virtutem tacitè infundens, occurrere quæ tunc
Invalidûm satis una malis; nam plena vomebat
Porticus Ægrorum totis hìc ædibus undam.
Quàm multæ nemorum brumali turbine frondes,
Quàm multæ in campis Arabum glomerantur arenæ,
Sævus ubi Æoliis immittitur Eurus ab antris.
Hìc sursum arrectis votisque, oculisque frequentes
Intenti expectant signum, quo morbida venis
Depellenda lues: & quo ferat ille medelam,
Huc sanctâ qui lege prior descenderet Æger.
Tempore quamquam alio sublimibus edita tectis
Balneaque, & Thermas substruxit Achaica [a] tellus;
Quæ modò Dulichios inter casusque, dolosque
Mæoniâ insignes citharâ, fidibusque canoris
Perpetuum jactant Smyrnæo carmine nomen.
Vivit adhuc [b] post fata, fero licèt obruta casu
Corruerit, lateatque suis Atlantia venis
Insula, trans Abylæ fluctus, Calpenque sonantem
Oceano in magno; Thermarum prodiga luxu
Ars ubi Naturæ certaverat æmula donis.
Immodico donec terræ concussa tremore,
Æquoreis jactata vadis, atque hausta profundo
Delituit; nec signa suæ dat mersa ruinæ.
Usque adeò instabili, quondam felicia, fato

(a) *Substruxit Achaica tellus.* Balnearum arte paratarum in Græciâ, mentio apud Homer. *Odyss.9.* : insuper (ut Athenæus l.1. pag.24.) *Odyss.10.*, & *Iliad.10.*

(b) *Vivit adhuc post fata &c.* Præter alia non pauca ad magnificentiam, voluptatemque facientia, narrat Plato *In Critiâ*, sive *Atlantico pag.117.*, ultra Fretum Gaditanum, vulgò *Stretto di Gibilterra*, Insulam olim Atlanticam, ab Atlante Rege dictam, fuisse; in quâ Neptuni munere, ut fabulantur Poëtæ, Balneæ, Thermæque erant omni deliciarum genere refertæ; Regibus aliæ, aliæ principibus Viris: privatis, ac mulieribus aliæ; Equis etiam, & jumentis. Hujus Insulæ Oceano deinde submersæ meminere Cluver. *Introd. Geogr. l.6. c.11.*, Fracast. *Syphil. l.3.*, & Parthen. Giannatt. *Naut. 8.*

Regna labant: magnique tenent vix nominis umbram.
Sed neque Grajugenûm linguis celebrata, nec oris
Culta Palæstinis, nec quæ Lacedæmona clarant,
Aut olim Occiduas inter sita balnea Gades,
Fontibus Hesperiæ certent, Stagnisque Latinis.
Non mihi si toto saliens Helicone redundet
Vena: vel exhausto præcordia Delius afflet
Numine, Romuleas ausim percurrere Thermas.
Quas dum Theutonici visum petit accola Mæni,
Sive Tagi, veterumque hospes monumenta Quiritum
Vestigat, relegitque: ipsa inter rudera fixus
Hæret adhuc, dominæque stupet miracula Romæ.
Ante tamen largo Nymphæa nitentia sumptu
Quàm subeant, humili carpant mihi tramite callem;
Inque rudes mecum tetro squalore lacunas
Ne modò Thespiades renuant descendere Divæ.
Tantorum nam jacta operum fundamina nullo
Protinus, aut parco fulserunt splendida cultu.
Ars etenim, sero quæ tandem inclaruit ævo,
Repsit humi primùm; sensim se major in altum
Sustulit, & rerum visa est contingere metam.
Non secus ac roseo cum vix procedit ab ortu
Phœbus, & Eoo vix tollit ab æquore frontem;
Mox tamen innubi paulatim luce renidet
Splendidior: donec medio spectandus Olympo
Emicet, & totis cumulet fulgoribus orbem.
Principiò [a] Tiberis populari Hydreumata [b] pubi
Con-

(a) *Principiò Tiberis &c.* Vegetius *De Re Milit.l.1.c.10.* refert, *Romanos veteres Campum Martium vicinum Tiberi delegisse, in quo Juventus post exercitium armorum, sudorem, pulveremque dilueret; ac lassitudinem, cursusque laborem natando deponeret.* Id quidem nihil aliud nisi quoddam veluti Balnearum rudimentum fuit. Quàm verò rudes, ac simplices hæ antiquitus fuerint, testatur Senec. *Epist.86.*

(b) *Hydreumata.* Aquationes ipsæ, ut Harduin. in Notis Plin. l.6. c.23.

(a) *Ger-*

Conftituit ; placido juvenum dum membra natatu
Excipit, & molli fordentia perluit alveo.
Namque ubi Romulidûm primævo in flore juventus
Aut ierat venatum arvis : penitufque repoftos
Cinxerat affiduâ fylvarum indagine fines;
Aut crudo affurgens cæftu, volucrique fagittâ,
Ceu medio ad pugnam præluferat æmula Campo;
Tum fubitò feffofque artus, & forde madentes
Pulvereâ, Tiberine tuo Pater amne luebas.
Tum fi quis celeres domuiffe in pulvere currus:
Aut pernicis equi teneros calcaribus armos
Et fodere, & frænis geftiret lora lupatis
Tendere; dum varios hàc illac ordine flexus,
Et labyrintheos fignaffet in æquore gyros;
Majorum de more, animum tunc una fubibat
Cura, fatigatum fluviali gurgite corpus
Mergere: fufcepti felix hæc meta laboris.
Sed poftquam fe fe major labentibus annis
Italides inter clarum caput extulit urbes
Roma potens, populifque dedit fua jura fubactis;
Turpe fibi, Latiâ pro majeftate, putavit
Corpora Martigenûm lutulento afpergere Tibri:
Et puduit Stagnis pofthac vulgaribus uti.
Jamque novis operofa modis, opibufque fuperbis
Certat in Argolicum [a] balinea attollere ritum.
Externo [b] quæfita folo tunc unda pererrat

K 2 Urba-

(a) *Certat in Argolicum &c.* Ut ex ipfis nominibus græcum fonantibus, quæ Thermarum partibus attributa funt, colligitur, & ex Vitruv. l. 5. c. 11.

(b) *Externo quæfita folo &c.* Aquam Appiam (de quâ Livius l. 9., Feft. l. 1., Cic. pro *Cælio*, Pancirol. *In Defcrip. Urbis Romæ*, Fabrett. *De Aquaduc. Differ.* 1., *Thefaur. Antiq. Roman.* Græv. T. 4., Grut. *Infcrip. pag.* 489., Pitifc. Tom. 1. V. *Appia*, cæterique non pauci) primam omnium in Urbem adductam habes ex Jul Sex. Frontino l. 1. *De Aquaduc. Urb. Romæ*, his verbis: *Appia M. Valerio Max., & P. Decio Murenâ* (alii Mure) *Coss. anno* 20. *poft initium Belli Samnitici inducta eft ab Appio Claudio Craffo Cenfore, cui poftea Caco fuit cognomen.* Et paulò poft. *Concipiebatur Appia in Agro Luculliano, viâ Præ-*

Urbanas diffusa vias. Præneste sub altum
Prima Lucullani felicia jugera fundi
Dædaleis Urbi lympharum ductibus actos
Immisere amnes. longo tunc Appia tractu
Auspiciis Aqua vecta tuis, Gens Claudia, fluxit;
Et Capitolino [a] manavit plurima Clivo.
Post alia adductis Hydrea [b] liquoribus auxit
Clarior, & Thermis prælusit Roma futuris.

Quin etiam miseræ ipsa hæc oblectamina vitæ
Auxilium morbis tulerunt præsentia; quando
Docta Machaonios [c] imbrem convertere in usus
Instituit tardis hominum experientia cœptis.
Tunc ars deliciis permiscuit utile. majus
Tunc pretium Medicina tulit: pretioque refulsit
Major, & Ausoniis increvit gloria terris.
Urbs etenim auguriis [d] postquam stetit alma Gradivi
Ro-

Prænestina &c. Ex eodem Frõtino ibid. eruitur hoc accidisse anno ab V.C. 449., non verò, ut alii, 444.. Harduinus tamen in notis c. 15. l. 36. Plin. non solùm putat evenisse anno 450., sed insuper P. Sempron. Sopho, & P. Sulpicio Saverrione Coss.: allegatque Livium loc. cit.. Majorem tamen fidem mereri videtur Frontinus.

(a) *Et Capitolino &c.* Piscinam publicam hac Aquâ ad Clivum Capitolinum, ac deinde Thermas ædificatas tradit Bacc. l. 7. c. 2.

(b) *Post alia adductis &c.* Auctâ Urbe, & crescente in dies Thermarum utilitate, aliæ atque aliæ constructæ sunt; illæ præsertim, quas primò M. Agrippa Augusti socer, post admirabilem illam Panthei constructionem, magnificentissimè posuit. Tum Neronianæ, quas Nero: tum illæ etiam, quas Agrippina ejus mater: ac demum aliæ, quas T. Vespasianus, Alexand. Severus, cæterique condiderunt, quos recenset, Bacc. loc. cit.. Et privatas quidem Balneas subductis rationibus Idē, ex P. Victore, asserit 860. fuisse. Imò Plin. l. 36. c. 15. *Balnea*, inquit, *Roma ad infinitum auxere numerum*.

(c) *Docta Machaonios &c.* Quando primùm Balnea, voluptatis gratiâ antea instituta, in usum medicinæ venerint, non satis compertum. Eorum certè meminit Hippocrates *Lib. De Ratione victus in morb. acutis*. Et Plinius l. 26. c. 3. auctoritate M. Varronis, Cleophantum, dicit, percelebrem Medicum illa excogitasse ad Ægrorum blandimentum. Asclepiades, ut id. Plin. ib., cum M. Pompeii ætate omnem medicinam abrogasset, balnea solùm reliquit. Probarunt alii; secus verò alii; inter quos præcipuè Carmis Massiliensis. Videatur id. Plin. l. 29. c. 1.

(d) *Urbs etenim auguriis &c.* Primis sexcentis annis non aliam medicinam Romæ fuisse quàm balnea, vel aliqua empyrica præsidia, affirmat Bacc. l. 7. c. 13.. Fides sit penès Auctorem; qui nititur testimonio Plin., asserentis l. 29. c. 1. venisse primùm Ro-
mam

Romuleâ fundata manu, seno ordine cursus
Ante suos agerent quàm Secla, incognita Romæ
Pharmaca; nec veteres viguere Melampodis artes.
Nulla Quirinales Ægrorum intraverat ædes (tum
Mandragora, aut acrem stomacho allatura tumul-
Helleborusque, haustuque aloë, & colocynthis amaro.
Sola laborantes febri, morbisque gravatos
Simplicibus Lotura vadis, æstuque levabat.
Hæc tamen ad certam posthac medicamina normam
Recta. stat utilibus sua gratia legibus: ordo
Stat suus; & morbis, Celso [a] dictante, fugandis
Addita quæ Thermas reddant præcepta salubres.
Hac Romana tenus fudisse potentia vires
Non dum visa satis; nec dignis hactenus orsis
Structa, Palatinum [b] deceant quæ balnea nomen.
Illecebris quod blanda suis, & amœna secundent
Otia: quod tepidis brumæ vel frigora labris,
Vel gelidis vincant rabidi torrentia Solis
Astra, parum est: medicoque parum quod grata lavacro
Mortalem emendent vitiato in corpore sortem.
Admiranda operum jam nunc molimina surgunt
Altera, & insanæ feriunt vel sidera moles.
Seu quas regifico quondam conamine primus
Condidit, & populo Thermas Agrippa [c] Latino
Gra-

mam e Græcis Medicos L. Æmilio, & M. Licinio Coss. DXXXV. anno ab V. C.

(a) *Et morbis, Celso dictante &c.* Sub Augusto Cornelius Celsus celeber ævi sui Medicus, inquit Jasolinus l. 1. c. 7., collegit regulas, ac leges Balneis utiles a Cleophanto; quas secuti fuerant Musa, Archigenes, Andromachus, aliique Medici.

(b) *Palatinum &c.* Inter primas, & publicas Thermas recenset Palatinas Bacc. l. 7. c. 3.. De his Cic. pro Sex. Rosc. Amer.. Palatinas a Colle Palatino supra Circum Maximum, ubi locatæ, dictas vult Carolus Merouville Soc. Jesu in Notis ejusd. Tullii ad usum Delphini.

(c) *Populo Thermas Agrippa &c.* Ex duodecim Thermis, quæ Imperatoriæ dictæ sunt, M. Agrippa in suâ Ædilitate primas regio sumptu in nonâ Urbis regione, ut ait P. Victor, extruxit in loco ubi nunc, vulgò *La Ciambella* dicitur, prope Pantheon, quod idem ædificaverat. Lithostrato illas

Gratuitas, & ſponte dedit, quà Pantheon Urbis
Altiùs erigitur muris, & in aſtra minatur.
Sive Neroneas [a] proprio quas nomine dictas
Struxit Agonali in Circo, qui tectus ab oſtro
Fædavit multo damnatos crimine Faſces.
Hàc, pelago detracta, maris vada ſalſa coëgit
Currere: ſulfureis hàc fluctibus Albula ducta eſt.
Laſſatæ hìc tandem ludis, & agone Juventæ
Grata quies: feſſæ ceu litora grata carinæ.
Deficient ad plectra manus, ad carmina voces.
Si tentem retuliſſe, altis fulgentia tectis
Quæſierint vetitas ut tunc irrumpere in auras
Penſilibus balinea labris extructa; [b] profuſis
Pes ubi divitiis, opibuſque exterritus Hermi
Vix pavido poterat veſtigia figere greſſu.
Argento [c] cum lympha cadens excepta, nitorem
Funderet; auriferoque micans pretioſior alveo
Compactas inter gemmas, virideſque ſmaragdos,
Herbiferos mirâ ſimularet imagine campos:
Atque aciem ſparſo trepidantem obtunderet auro.

Non

illas perfecit: *& figlinum opus encauſto pinxit*, ut ait Plin. l.36. c.25.. Præter has, aliæ Balneas Thermas gratuitas Populo Rom. præbuit, ut id. Plin. l.36. c.15., & Dio l.49.

(a) *Sive Neroneas &c.* Nero Imper. ſecundas extruxit Thermas in Circo Agonali; & ab ipſo Neronianæ dictæ. Earum aliqua veſtigia in Ædibus Sereniſſimi M. Etruriæ Ducis, ubi nunc vulgò *Piazza Madama*. In has non ſolùm dulces, ſed etiam marinas aquas magnificentiſſimis Aquæductibus induxit. Item Aquas Albulas, vulgò *Bagni di Tivoli*, Tibure aſportavit: ut ex Suetonio *In Vitâ Ejuſd. c. 12. n.9.*. Meminere harum Martial. lib. Spectacul. Epig.2., & lib.2. Epig. 48., & l.7. Epig.33., & Stat. Syl.lib. 1. Syl.5.; aliique non pauci, ut apud Piriſc. Tom. II. Thermæ.

(b) *Penſilibus Balnea labris &c.* Penſilium balnearum inventionem tribuit Plin. l.9. c.54. C. Sergio Oratæ. Confirmat Valer. Max. l.9. c.1., & Macrob. *Saturn. l.2. c.11.*. Idem Pl. l.26. c.3. aſſerit Aſclepiadem ad medicinæ uſum illas vertiſſe.

(c) *Argento cum lympha cadens &c.* Refert Plin. l.33. c.12., *Stratas argento mulierum balneas, ita ut veſtigio locus non eſſet.* Imò verò gemmis etiam exornatas Thermas Claudii Etruſci leges penès Stat. Syl. l.1. Syl.5., & Martial. l.6. Ep.42.. Quem luxum deteſtatur etiam in aliis Balneis Senec. Epiſt. 86., *Eò*, inquit, *deliciarum pervenimus, ut niſi gemmas calcare nolimus.*

(a) Cem

Non hìc marmoribus: Siculo ſed factus achatæ
Vix locus. elatos ornabat iaſpide muros
Vix admiſſus onix; mixtoque adamante rigebant
Apti fœmineos cyani diſtinguere crines;
Et, nativa jubar cui purpura donat, & ignes,
Opalus, & luxu quidquid ſe divite prodit.
Ceu domitis Aſiæ populis, [a] & Regibus olim,
Gemmarum huc tulerit Pompejus opima triumphi
Dona ſui. rerum nam cogier omnis in arctum
Hìc mihi majeſtas, Naturæ hìc viſa venuſtas.
Attamen OEnotriæ quamquam pars maxima pom-
Hæc fuerit, non hìc poſitura ſuperbia metas, (pæ
Artificumque labor non ſubſtitit. altiùs auctum
Urget opus, nubeſque jubet ſubjiſſe; minores
Cui Babylon muros, notum cui Caria Buſtum,
Claraque Pyramidum ſternat miracula Memphis.
Tunc poſitis etiam Thermis didicere Palæſtras [b]
Addere: tunc ſepto Circum conjungere campo;
Et Stadia, [c] & lato celebrata eſt Exedra [d] Xyſto. [e]
Monſtrat Aventinus ſua nunc quoque rudera Collis:
Et dejecta licèt ſpecimen vel balnea præbent:

At-

(a) *Ceu domitis &c.* De Gemmis translatis in tertio triumpho a Pompejo M., devictis Pyratis, Aſiâ, & Regibus, conſulatur Plin. l. 37. c. 2.

(b) *Palæſtras.* Palæſtræ, a Παλαίω, luctor: Loca nempe in Thermis, ubi Juventus exercebatur luctando, vel alia id genus ſpectacula exhibendo. Thermis enim, quæ antea loturæ tantùm gratiâ conſtructæ ſunt, illuſtratâ deinde cum Imperii majeſtate Architecturæ peritiâ, Græcorum more, ait Bacc. l. 7. c. 2., Palæſtræ etiam conjunctæ fuerunt. Thermarum ſtructuram, & vocabula earum partes exprimentia legere poteris apud Vitruvium l. 5. c. 10., & 11.: nec non in notis Guilielmi Philandri in eund. Vitruv.. Habes etiam multa penès Cœlium Rhodigin. *Lect. Antiquar.* Tom. 3. lib. 30. cap. 16., & ſeqq. uſque ad 20.

(c) *Et Stadia &c.* Stadia, Spatia in Theatris ita diſpoſita, ait Vitruvius l. 5. c. 11., *ut poſſent Hominum Copia cum laxamento Athletas certantes ſpectare.*

(d) *Exedra &c.* Locus in Porticibus patens ex Eod. ib. & Soli pervius, plures habens ſedes, in quibus Philoſophi, Rhetoreſque, & qui ſtudiis delectabantur ſedentes poſſent diſputare, & colloqui.

(e) *Xyſto.* Xyſti, amplæ Porticus tectæ, ut Id. loc. cit., hybernæ Athletarum exercitationi accomodæ: Ξυςὸς enim idem ac locus raſus, a Ξέω rado.

(a) *An-*

Attalicis quæ ſtructa opibus tua nomina ſervant,
Antonine: [a] tuamque ferent per ſecula famam.
Quis mihi nunc gentis referat monumenta Latinæ
Obruta jam, triſtique jacent quæ merſa favillâ;
Thermarumque canat memori faſtigia plectro:
Quæ quondam Auguſtas populi molitus habenas
Vimineo, Valeri, [b] poſuiſti in culmine, Cæſar?
Urbis opus, [c] medium quà Sol conſcendit in axem
Altior, & tenues e vertice contrahit umbras;
Hìc latum complexa jugum capita ardua cœlo
Regia ſubjecto moles e Colle ferebat.
Veſtibulum, & ſtrato ſurgentem e limine frontem
Marmora ſaxifragas Nomadum perpeſſa ſecures
Barbarico ornabant textu. ſublimia curvo
Cæſareas gyro complexa periſtyla [d] Thermas

Et

(a) *Antonine &c.* Cum multæ fuerint Romæ ſuperbiſſimo cultu extructæ Thermæ, nempe Agrippinæ, Trajanæ, Hadrianæ, Commodianæ, Severianæ, & penè ſexcentæ id genus: præcipuæ tamen fuere Antonianæ in Circo Maximo, quas *Maximas* Spartian. c.9. appellat, ad radices Aventini Collis, vulgò *Monte di S. Sabina*: ab Antonino Cæſare, cognomento Caracallâ, [illegible] deinde perfectas mirabili architecturâ. Meminere, præter Spartian., & Sever. c 21., Parthen. Giannattaſius Soc. Jeſu Geograph. l.4. c.5., aliique innumeri penès Pitiſc. Tom. 2.

(b) *Vimineo, Valeri &c.* Valerius nempe Diocletianus Imperator, qui in Colle Viminali, in loco, qui nunc, a Thermarum corrupto vocabulo, *Termini* dicitur, Thermas ſuas inchoavit. Harum ſtructuræ 40. m. Chriſtianorum eum addixiſſe accepimus. Hæ deinde a Pio IV. P. M. Chartuſienſibus traditæ, in Ædem Sanctæ Mariæ ab Angelis nuncupatæ magnificentiſſimè converſæ fuerunt: curante M. Antonio Amulio S. R. E. Card.. De his Baron. Annal. Tom. 2. an. Chr. 296. n. 18., Donat. de Urbe Rom. III. 19., Ating. Rom. Subter. IV. 14., cæterique non pauci, quos refert Pitiſc. *Tom. 2. V. Thermæ.* Appoſita hìc de induſtriâ Thermarum harum Deſcriptio, ut ſuas illæ relatæ per partes, Lectoribus Antiquitarum ſtudioſis innoteſcant.

(c) *Urbis opus &c.* Fidem profectò excedit, ut Pitiſc. loc. cit., Thermarum harum admirabilis magnificentia, atque amplitudo. Ea hæc certè tanta extitit, ut in iis ad ſe abluentium uſum fuerint ſedes, ac ſolia pluſquàm tria millia. Nunc ipſum unum dumtaxat ex earum Calidariis continet Ædem integram D. Bernardo ſacram. Intra earum ambitum poſita ſunt duo ampliſſima Cœnobia pariter, ac Templa Ciſtercienſium, & Chartuſianorum: Horti ſpatioſiſſimi, Vineæ, Ædeſque Privatorum compiures, duæ ingentes areæ, atque horrea Pontificia admirandæ magnitudinis.

(d) *Periſtyla &c.* Periſtyla, ſive Pe-

Et Tyros, & niveâ decorabat rupe Caryſtos.
Ponè Theatridj Caveæ: [a] protenſaque circùm
Undique, & OEbalio fabricata ſedilia ſaxo;
Ipſa ubi denſatæ conſeſſu cincta coronæ
Aſſideat, bellique frequens ſimulacra Quirini
Gens probet, & plauſu Pugiles dignetur ovantes.
Poſtibus hinc geminis dextrâ, lævâque patebant
Atriola, [b] oblongo in quadrum ſubnixa columnarum
Ordine: quò veniens læta ad ſpectacula Conſul
Alloquio fallatque moras, ingrataque vincat
Tædia, dum totâ ſpatiatus obambulat aulâ.
Addita verſuris [c] hìc Sphæriſteria [d] utrinque;
Inſtructas acuunt ut dum mentita phalanges
Bella: Palæſtritæ ludis, Martique vacarent
Innocuo, & partam peterent certamine famam;
Seu jeciſſe velint Spartani ſplendida diſci [e]
Pondera: ſeu duros vexent haltere [f] lacertos.

L Præ-

Periſtylia, Circumcolumnia nimirum: a περὶ circùm, & ϛῦλος Columna: Locus columnis circumcirca diſpoſitis clauſus; exterior ſcilicet Thermarum facies ad meridiem. Illud hìc Lectorem monitum volo: Varia ſcilicet eſſe Scriptorum placita de Thermarum Ichnographiâ: cum varia fuerit earum ſtructura apud Antiquos; & non niſi obiter nonnulla tantùm ab aliquibus, non omnia de illâ literis mandata. Hinc opinionum varietas, & confuſio. Ab hac ut recederem, Diocletiani dumtaxat Thermas per partes exponendas ſelegi.

(a) *Ponè Theatridi &c.* Theatridium, quaſi parvum Theatrum. Pars præcipua, & totius ædificii caput, quà aditus ad Thermas per poſticum patebat. In interiori verò hujus parte ſedes erant in gyrum poſitæ, e quibus Populus, & Equites ſpectaculis, quæ ibidē exhibebantur, fruerētur ſub umbrâ.

(b) *Atriola &c.* Ad deambulationem accommoda, oblonga, & epiſtyliis in quadrum locatis ſubnixa: in quibus, antequam ſpectacula darentur, moras fallerent, qui convenerant.

(c) *Verſuris &c.* Verſuræ, ex Vitruvio l.5. c.ss., exteriores flexus angulorum in parietibus Thermarum.

(d) *Sphæriſteria*. Loca in Thermis rotunda, & quandoque oblonga: pilæ præſertim ludo deſtinata: a σφαιρίζω pilâ ludo: ut ait Catanæus *In Comment. Epiſ. 17. l. 2. Plin.*

(e) *Diſci pondera*. Diſcus, Maſſa quædam lapidea, vel ænea, vel ferrea, craſſa tribus, aut quatuor digitis, & rotunda; quam ad certas uſque metas projiciebant; ita ut ille vinceret, qui propiùs accederet. Spartanus porrò, quia Spartanis maximè uſitatus.

(f) *Haltere &c.* Halter, Maſſa etiam, ut diſcus, quæ ab Athletis exercitationis cauſsâ attollebatur: & ex uno in alium locum transferebatur. Ludorum id genus meminit Mart. l. 14.

(a) *Pla-*

Præterea ornatu pariles hìc quattuor amplas
Quattuor a ventis, constrato calle, Plateas [a]
Cernere erat; Phrygiis quas vecta huc Synnas ab antris
Marmoreo maculosa stylo vallabat; amœno
Grata loco spatia, & ludentum accommoda votis.
Difficili seu missa volat Paganica [b] jactu,
Seu Pila: [c] seu præstat percussa Harpasta [d] vicissim
Pulverulenta manu celeri rapuisse; volucrem
Seu magis exerto dextræ conamine Follem [e]
Impetere arridet, validoque retundere nisu:
Multiplicem & lasso retulisse ex hoste triumphum.
At specimen [f] quando libeat certaminis hujus
Sumere, quàm facilis Cumeo in litore Siren
Hoc tibi nostra dabit; cœlo quà proxima tectis
Tollitur, & Signis circùm Domus alta superbit,
Nobilium Domus alta: suis quæ clara trophæis
Fulget adhuc, mediâque nitens assurgit in *Urbe*.
Præsidiis hæc fulta tuis, tua numina supplex
Rite colit, legesque tuas, Loyola, tuetur.
Hìc sibi, posthabito Capitolj vertice, sedem

Fi-

(a) *Plateas &c.* Scilicet ante Theatridium una, ad latera duæ, quarta ad Septentriones ante Natationis locum: ampiæ quidem, & liberæ.

(b) *Paganica &c.* Quatuor erant apud Romanos Pilarum genera, quæ Martialis enumerat l. 7. Epig. 31.: Pila, Harpastum, Follis, & Paganica. Et hæc quidem pila erat plumâ, vel tomento farta, quam nudis manibus Rustici pulsare solebant in pagis; unde *Paganica*: major pilâ trigonâ, & minor Harpasto. Describit illam Mart. l. 13.

(c) *Seu Pila &c.* Nempe Trigonalis, seu Trigon: omnium minima, & durissima, pilo infarta: unde Pila.

(d) *Harpasta.* Harpastum, Pila paulò major quàm Trigon; panno conciso, lanâ, vel tomento implebatur. non repercutiebatur, sed eam Lusores alii aliis conabantur eripere, & ad suas partes transferre. hinc illi nomen ab ἁρπάζω, rapio. *Ludi hujus* specimen nunc Etrusci exhibent: & vulgò *Il Giuoco del Calcio* dicunt. De Harpasto Martial. l. 4. Epig. 19.

(e) *Follem &c.* Follis vulgò *Il Pallone*: Pila cæteris levior, & grandior, corio tecta, & vento distenta. Follis porrò, quòd hic apud Veteres idē esset ac Pellis. De illo id. Mart. l. 13.

(f) *At specimen &c.* Occasione a Thermis arreptâ, D. D. Convictores in Neapolitano Nobilium Societatis Jesu Collegio degentes, multis nominibus diu, ac bene de se meritos, Folle ab undecimo Kalen. Jul. per æstatem ludentes in amplissimo ejusdem Collegii Atrio describit Auctor.

(a) *Apo-*

Fixit Honos, traxitque moras. hìc illius artes,
Et ſtudia, & cultus, & dignos Principe mores
Docta, triumphales inter, decora inclyta, lauros
Parthenopea volens præludit ad ardua Pubes:
Exercetque ſuas detrito in pulvere vires.
Æqua theatrali nam ſternitur area Circo,
Quà ſibi quæſitam prenſet manus impigra palmam.
Quippe ubi Soliferæ cœleſtia limina Cancri
Ceu metam tenuere rotæ; tunc fuſa ſolutis
Carceribus, fictum gens æmula provocat hoſtem.
Nam pugnæ in ſpeciem toto furit æquore Mavors
Ludicrus; & blandâ Campi ſub imagine duras
Exacuitque iras, & prœlia ſæva Juventus.
Ipſa quidem tanto ſpatium partita duello
Arma ferox, acies, & ſigna minantia ſignis
Explicat; & gemino diſtinctæ ad bella cohortes
Sub duce jam coëunt. alter nam Cæſar in armis
Hìc iterum: hìc Generum deſignat Arena ruentem:
Æmathioſque refert, qualis Pharſalia, campos.
Jam proni expectant ſignum; calor ardet in ore
Plurimus: & multo ſuffuſi ſanguine vultus
Erubuere: micant animi: flammataque pulſat
Corda pavor: palmæque urget, laudumque cupido.
Ecce autem horrenti dentata e robore buxus
Armat, & adverſos Pugilem præmunit ad ictus.
Plumea ſubſultant hàc illac pondera follis,
Alternantque vias; feriunt nunc ardua nubes:
Nunc per humum ſerpunt; & cum propiora ruinæ,
Tunc vitale novant accepto a vulnere robur.
Namque ut fulmineæ ſenſerunt verbera dextræ
Pulſa, repulſa manu: rapidis per inania pennis
Acta procul fugiunt: reditura ſed inde reſultant;
Solicitantque fugâ reditum, terramque laceſſunt
Ictibus, ut tactâ reparent tellure vigorem.

Sic olim Alcidæ depreſſum terra lacertis
Erigit Antæum : caſu dum fortior ipſo
Emicat , & ſolidis redit in certamina nervis.
Interea optatam cui nam Victoria laurum
Spondeat , incertum eſt. pernix induſtria mentes
Exagitat : vireſque animi depromit ; ibi omnis
Effuſus labor , atque invictæ robora gentis.
Appoſitam quarto Juvenum manus altera donec
Tranſierit jactu metam : tum debita victrix
Præmia , ceu magnis referet Circenſibus actis.
   Talia ſed poſtquam populo ſpectanda frequenti
Exhibuit noſtræ Siren blandita Juventæ ;
Ipſa ſibi ante alias laudem Apodyteria [a] partes
Digna ferant. variâ ſiquidem teſtudine tecti
Hemicyclis [b] hinc inde ſuis diſtincta videres
Limina : Phœbeæ primos quæ lampadis ignes
Conciperent , cœli mites auctura tepores.
Namque hìc depoſito tergendum corpus amictu,
Balnea quiſquis amat ſubjiſſe ſalubria , nudat.
   Nec procul [c] ingentes gyro ſinuata per orbes
Ænea tergeminis inerant Miliaria vaſis ,
Altera in alterius defixa cacumine , & undis
Fœta : redundabant fluctu ſed prima calenti ;

Pro-

(a) *Apodyteria &c.* Locus ante Thermarum ingreſſum , ubi Loturi exuebantur : a græco ἀποδύω exuo. Metri neceſſitate producitur prima ſyllaba.

(b) *Hemicyclis &c.* Hemicyclus, Latinè Semicirculus : ab ἥμισυς dimidius , & κύκλος circulus. in his ſedes inerant ad venientium commodum.

(c) *Nec procul ingentes &c.* Pro hujuſmodi Ichnographiâ conſulatur Vitruv. l. 5. c. 10.. Poſt Apodyterium quippe Fornax accenſa erat : ſub quâ Hypocauſtum , a Fornacis calore. Supra hanc locata erant tria Vaſa ænea, quæ *Miliaria* dicebantur : eo tamen ordine , ut unum aliud exciperet. Supremum quidem frigidâ : proximum huic tepidâ : tertium verò Fornaci contiguum calidâ redundabat. Ab hiſce Vaſis, verſis eorum epiſtomiis, per ſuos canales immittebatur aqua in Cellas dextrâ , lævâque in Thermarum plano diſpoſitas , pro ſe Lavantium uſu. Et illæ quidem quæ calidâ explebantur , *Calidaria* : *Tepidaria* , quæ tepidâ : quæ demum frigidâ , *Frigidaria* vocabantur ; & hæc poſtrema præ cæteris uſitata fuere , utpote gratiora , & utiliora : ut Bacc. lib. 7. cap. 10.

(a) Hy-

Proxima dein tepido manabant imbre: tenorem
Servantes patrium fundebant ultima rores.
Unde suo Hydrochous [a] populi poscentis ad usum
Promeret arbitrio lympham: quæ concita tortis
Ibat epistomiis: &, quà data porta, fluebat.
Per tectos etenim sic illa immissa canales,
Intrabat vicina suis Tepidaria Stagnis:
Vel prope contiguis Nymphæa calentia cellis;
Quas peteret quicumque poris voluisset apertis
Tabificam e membris humorum expellere labem.
Ne tamen hìc quisquam, solito violentior urget
Dum calor, effuso sudore fatisceret, aptas
Grata dabat latebras, & Crypto-Porticus [b] umbras,
Dulcem animi languentis opem, curæque levamen.
Sic, ubi Chalcidicas Titan altissimus oras
Ureret, ardentes jaculatus ab axe favillas:
Æstatem Euboico festa inter prandia Civi
Dicitur aprico Platamon [c] tutatus in antro.
Nec deerant sparsas toto quæ corpore guttas
Infossæ ebiberent caveæ; [d] conchisque receptas
Marmoreis possent aliò transmittere sordes;
Ne qua situ eluvies Hypocausta, aut Balnea cœno
Inficeret, dum fusa gravem volvisset odorem.
At cui ductarum puro libuisset aquarum
Fonte frui, cordique magis subfrigida: molli
Ceu gremio hic fultum poterat conspergere corpus:
Et facili ingratos operâ pepulisse calores.

Ut lon-

(a) *Hydrochous*. Qui fundendis aquis præerat: & Balneatorem dicimus; a χέω Fundo, & ὕδωρ Aqua.

(b) *Et Crypto-Porticus &c.* Cella ad refrigerationem patens: ne calore in Balneis, & Hypocaustis consumerentur ii, qui illa frequentabant.

(c) *Platamon*. Vide Notas l. 1. pag. 14. lit. f., Platamonias Specus ad frigus captandum per æstivas deambulationes, & convivia celebranda, laudat Pontan. in Meteor.; nunc tamen omnino dirutæ. Platamonis etiam mentio apud Sannazar. Ecl. 5.

(d) *Cavea &c.* Ad colligendas sordes sudorum, & aquas luto immundas, extructæ erant subter humum Cloachæ.

(a) *Quin*

Ut longâ qui ſæpe febri correptus, & æſtu,
Si gelidos poſſit, Medico indulgente, liquores
Exhaurire, libens largo ſe proluit hauſtu:
Arcet & a teneris arcana incendia fibris.
Gratior hæc cœli facies, quam purior æther
Lumine, quam placidis mulcebant flatibus auræ.
Huc etiam, ut blando ſua quiſque humore foveret
Membra, huc e cunctis Turba intermixta ruebat
Ordinibus, matrumque chori, cœtuſque virorum,
Invalidique ſenes, pueri, facileſque puellæ,
Et ſignata genas primâ vix pube Juventus.
Quin etiam medicis [a] poſthac magis uſibus apta,
Atque aliis duxit potiora hæc balnea: quando
Conſulere ancipiti voluit mens provida vitæ.
Ut tamen unde ſuum capiant Hypocauſta vigorem:
Quæve calorificas, vel quæ tibi cauſſa tepentes
Reddat aquas, pateat: per partes ſingula mecum
Inſpice, & inſpectâ Thermarum mole patebit.
Perpetuo ſedenim Fornax accenſa camino
Dum glomerat, velut Ætna, faces: tunc ignea denſo
Vortice per tacitos ſerpit vis acta meatus;
Quos ubi correptos afflatibus imbuit, ardor
Ilicet erumpens per operta Laconica ſe ſe
Inſinuat: tunc tecta calent Tepidaria: & acres
Undique concipiunt Calidaria proxima flammas.
At quo tracta modo ſupera in convexa domorum
Repſerit: elatas & lympha inſperſerit ædes,
Noſse

(a) *Quin etiam medicis &c.* Carmis Medicus Maſſilienſis ætate Neronis, ut Plin. l. 29. c. 1., *Damnatis prioribus Medicis, & balneis, frigidâ lavari hybernis etiam algoribus perſuaſit.* Hujuſmodi balnea probavit etiam, & Ægris præcepit Hippocr. *l. 2. de Diatâ*, pag. 400.. Qui frigidâ lavabantur *Pſychroluta* (a ψυχρὸν frigidum, & λυτρὸν balneum) vocantur a Senec. Epiſ. 53., & 83., ut legit Cœl. Rhodig. *Lect. Antiq.* Tom. 3. l. 30. c. 20.; non verò *Sichroluta*, ut perperam alii. Ex Actis Erudit. Lipſiæ Tom. Anni. 1704. pag. 180. habetur, *Antiqua ψυχρολυσία reviviſcens:* ſeu, *Exercitatio de Balneorum frigidorum uſu, per Jos Flayer Equitem Med.*

(a) *Ni-*

Nosse velis si fortè: meo te carmine Pæan
Instruet, & doctum mox per non cognita ducet.
Namque nova ut tandem moles educta sub auras
Exierat, labor is primùm impendendus, ut imis
Eruta vena cavis non unâ aspergine sursum
Tenderet, & summi peteret fastigia tecti.
Quippe suis postquam scatebris emissa propinquos
Fluxerat in nilos; [a] & laxâ liber habenâ
Pervia paulatim Castella expleverat humor;
Omnia tum tractos partiri cura liquores
Per loca. difficiles, & quas Natura negavit
Solicitâ decet arte vias, aditusque sagaci
Ingenio stravisse. rotis jam machina [b] stridet
Versa suis: radiisque gemunt agitata volutis
Tympana. [c] jamque avido plenas siphone lacunas
Haurit ab extremo, dum truditur, antlia [d] fundo.
Sic tubulis excepta, tenet jam pensilis altum
Penè oblita sui: jam scandit, & aëra vincit
Unda sequax, ducto quà provocat Orbita [e] gyro.
Tunc etenim adversis violentia motibus actam
In sublime rapit: tectique ascendere culmen
Cogit: & invitam tollens hàc ducit, & illac.
At quia nam tanto levior pervadat in arces
Impete, & aëriæ feriat laquearia molis;
Seu quòd pressa novo gravioris pondere cœli
Lympha solo assiliat: spatio seu territa inani
Nubiferos ierit conata irrumpere fines:

Di-

(a) *Nilos &c.* Nili iidem ac Aquæductus. *Castella.* Ital. *Conserve d'Acqua.*

(b) *Jam Machina stridet &c.* Hydraulica scilicet ad attrahendas aquas, vulgò *La Tromba.*

(c) *Tympana &c.* Machina ad rotæ similitudinem, quâ a Balneatoribus, vel a jumento alligato versâ, aquæ in superna vasa, seu Miliaria, præsertim in prima, quæ erant Frigidaria, infundebatur; ex quibus deinde in alia vasa distributę caderent.

(d) *Antlia.* Machina ad hauriendam aquam: ab ἀντλέω haurio.

(e) *Orbita.* Rota nimirum ad deprimendam, & attollendam antliam.

(a) *Por-*

Dicite vos, rauci oblectant quos irrita Circi
Jurgia, clamoso passim exaudita theatro.
Quo se cumque modo nostræ sententia menti
Certa probet; superas nativi ponderis expers
Itque, reditque vias, & amico gurgite Naias
Interclusa cadit, plenoque interfluit imbri,
In quascumque velis diverso e tramite partes.
Hinc etenim ceu fonte suas Miliaria lymphas
Accipiunt, lapsosque bibunt ut ab æthere rores.
Thermarum in medio præduris apta palæstris
Terna videbatur triplici latissima Xysto
Porticus, [a] excelsis in rectum fulta columnis;
Quam super alta tholo testudo tegebat, & arcu.
Ut cum brumales iterant spectacla Decembres,
Securo exciperent trabeatos tecta Quirites
Hospitio: patriis hyberno tempore ludis
Dum vacat, Ausonidûm stadiis operata Juventus.
At quò me Fontes, [b] riguisque sonantia rivis
Stagna vocant? diffusa tubis quà lympha cadebat
Martia, primævo demissum nomen ab Anco.
Huc Juvenum tendebat ovans, huc turba natantum
Strenua, dum toto gauderet corpore mergi.
Illos Porticibus [c] dein excipiebat in amplis

Hinc

(a) *Porticus &c.* In medio Thermarum erant Porticus, quas a Stadiis, Stadiatas dicebant. Tres erant columnis fultæ, & altissimâ testudine tectæ: ut in iis hyberno tempore Athletæ procul a pluviis exercerentur. Videatur Guilielmus Philander in Vitruv. l.5.c.11.. De porticibus id genus perbellè Mart. l.12. Epig.50.

(b) *At quò me Fontes &c.* A quibus scilicet per tubos in Natationem (sic vocat Baccius locum illum, quem Auctor cum Mart.lib. Spec.Epig.2.Stagna appellat: in quæ nataturi voluptatis gratiâ descendebant) immittebatur Aqua Martia. sic dicta ab Anco Martio uno e Regibus, *qui primus eam*, ut Plin. l.31. c.3., *in Urbem ducere auspicatus est. postea Q. Martius Rex in Præturâ*. hanc tamen, *rursus restituit M. Agrippa*, ut id. ibid.. Natatio hæc sita erat ad Septemtriones: lata 100., longa 200. pedes: fontibus circùm mirâ specie constructis.

(c) *Illos Porticibus &c.* Amplissimæ Porticus ad Natationum spectacula, ac refrigerationem constitutæ: aliæ in plano solo extructæ: pensiles aliæ ad altiorem prospectum.

(a) *Pa-*

Hinc atq; hinc protecta Paradromis; [a] hìc ubi tandem
Nudatos quicumque undis asperserat artus,
Tergeret, exutosque iterum vestiret amictus.
Post hinc digressis geminata in brachia se se
Explicat & pictis, & sculptis Aula [b] figuris:
Quas & Apelleis clarata laboribus ætas
Protulit: insignesque Alpheâ vivere Pisâ
Phidiacæ jussere manus: vel docta Myronis,
Vel Polycleteo perfecit dextera cælo.
Contra autem scapis inter se nexa nitebant
Partitis veluti præfulgida tecta trichoris; [c]
Ad socias quò sæpe dapes, potusque Diætæ [d]
Convivas, anni pro tempestate, vocarent.
Namque sub æstivo cum terram incenderet æther
Igne, ministrabant placidam potantibus umbram.
Hyberno horruerat sed cum pigra sidere tellus,
Ad Solem instructis poterant considere mensis.
Strata peregrinis, patrium referentia cultum
Helladis, augebant testis asarota [e] decorem.
Lesboo dum tincta mero, cyathisque profusis
Spumarent, gaudente solo; dum grata vel ipsi
Tunc fieret, tantique foret jactura Lyæo.

M Gran-

(a) *Paradromis.* Latinè Ambulacrum, & Xystum: in quo, ut ex Vitruvio l.5.c.11., per hyemem sereno cœlo Athletæ, ex alio Xysto subdiali prodeuntes, exercebantur.

(b) *Aula &c.* Geminæ scilicet Basilicæ lævâ, ac dexterâ, quæ exeuntibus e Porticibus Natationum utrinque patebant. In has conveniebant, qui balnea experturi, vel palæstritarum ludos inspecturi erant: amplæ insuper, ac laxæ, pictis tabulis, signisque exornatæ, ut Bacc.l.7.c.6.

(c) *Trichoris.* A græco Τρίχωρον: compositum a Τρεῖς Tres, & χῶρος Sedes. Voce hac usus est Stat. Sylv. l.1. Syl.3.

(d) *Diæta.* Cœnacula, in quibus æstare ad umbram, hyeme ad Solem cœnabant: a δαίς, epulum: vel a δία, & αὐτός, mansio. Hæ porrò in Thermis locatæ erant post Basilicas; & geminæ hinc inde; duplici columnarum ordine distinctæ, & in tres aulas divisæ.

(e) *Asarota.* Pavimenta a Græcis excogitata: *parvis e testulis*, ait Plin.l.36. c.25., *tinctisque in varios colores.* Asarota ab α particulâ negativâ, & σαίρω verro: ac si verri non deberent.

(a) *Atria.*

Grandia quin etiam, pendentiaque Atria [a] ſecto
Marmore, quisquis erat, poterat ſubjiſſe; capaces
Namque aditus ingens præbebat machina pilis
Fulta ſuis. lato dein Sphæriſteria [b] clauſtro:
Quà celer intactâ caſurum attollere Luſor
Poſſet humo, & tepidum dextrâ verſare trigona. [c]
Indulgere tamen levibus qui fortè choreis
Vellet, & imbelli vitam traducere cantu;
Huic adeunda hilares inter reſonantia cœtus
Limina: ubi argutâ caneret Choraliſtria [d] buxo:
Compoſitoſque daret, quos finxit Ionia, motus.
Nulla ſed ingenuæ celebratum examine Pubis
Mollis Ephebeum [e] turpabat inertia: luſus,
Degeneres aut orſa modos. quærenda ſeveris
Artibus hìc doctæ ducebant otia mentes.
Hìc & legiferæ ſtudiis addicta Minervæ
Turba frequens aderat; turbâque obſeſsa frequenti
Exedra, [f] quæ legum, juriſque arcana docentem
Exciperet: magnumque ſophòs geminaret in aulâ;
Unius in plauſum dum vocibus icta reſultant

Te-

(a) *Atria*. A Diætis excurrebatur in Atria periſtyliis fulta in quadrum, 300 pedes oblonga, lato dimidio minùs: ad varias Athletarum exercitationes accommoda.

(b) *Sphæriſteria*. Altera quidem ab iis, quæ paulò ante deſcripſimus: non rotunda, ſed oblonga ad pilæ luſum, quem Sphæromachiam Statius appellat *In Præfat. lib. 4. Syl. 5.*

(c) *Tepidum dextrâ verſare Trigona*. Trigon, ſeu Trigonalis Pila dicta non a formâ, quæ orbiculata erat, ſed a loco, trianguli figuram referente. Utrâque manu impellebatur, & excipiebatur. prima, & ſumma cautio ne terram contingeret, ſed adhuc volans repercuteretur. Tepidus, ut Martial. l. 4. Epig. 9., a Loco tepido in Thermis, ubi hoc genere pilæ ludebatur.

(d) *Choraliſtria &c.* Coricæum deſcribitur, nempe locus in Thermis cantibus, & choreis, puellarum in primis, deſtinatus: a græco Κόρη, Puella. Hinc Choraliſtria cum Propertio l. 4. El. 9. dicitur Fœmina canendi, ac ſaltandi perita.

(e) *Mollis Ephebeum &c.* Ephebeum potiùs quàm Ephebium, ex Vitruv. l. 5. c. 11.; Pars ea Thermarum, in quâ Ephebi literariis exercitationibus operam dabant; ac præſertim ad forenſem uſum in cauſſis orandis Magiſtri præceptis informabantur. ab Ἔφηβος Adoleſcens.

(f) *Exedra*. Vide Notas pag. 79. lit. d.

(a) *Lux*

Tecta: repercussi reboant dum murmure postes.
Hic etiam simulata Patrum Subsellia; & ingens
Mentitis referens suggestum Curia rostris
Romulidûm; rigidoque velut sub Judice fictas
Orabant alii caussas: & voce tonantes,
Amentata gravi torquebant spicula nisu,

At Thermis elata suis mage Roma fuisset,
Par tua si tanto tunc, fulminis instar, inermes
Defensura Reos, tonuisset lingua theatro,
O quem te memorem, prisci pars aurea secli,
Et pretium trabeis facture: suprema Togatæ
Lux, Argentiade, [a] Gentis; facunda creasset
Quem sibi Cyrene, celebrataque Sparta Lycurgo,
Munychiæque Arces; quando Te Præside fines
Euboicos rediviva Themis jam sospitat: & jam
Posthabitas olim Terras Astræa revisit.
Te dicente, Fori major se gloria nostri
Sustulit; & genium, moresque oblita severos
Exuit, arridens facili Rhamnusia vultu.
Nam Sontes miserata, alios attollere fasces
Mitior, & lentas didicit tractare secures.
Quàm bene Nestoreo potuisses alta Quiritum
Et decora, & laudes, nomenque augere palæstris
Eloquio! nam jura potis Te docta Magistro
Discere, & orandi certas Gens Romula leges.

Quod si nunc spatiis me non arctaret iniquis
Inarime, reditumque suas urgeret in oras:
Quot celebres virtute viros, præclaraque Legum
Lumina, vel nostrâ Pericles ætate referrem!
Quot nunc Hemicyclis, [b] Famâ plaudente, Latinis

M 2 Par-

(a) *Lux Argentiade &c.* D. Cajetanus de Argento nimirum, Patricius Consentinus, præsignis primò caussarum Patronus, mox Invictissimi Regis nostri a Consiliis; Regii deinde Collateralis Regens; Sacri demum Consilii Præses meritissimus.

(b) *Quot nunc Hemicyclis &c.* He-

Parthenope vel sola daret, quos laurea flexu
Ornat, & excultæ felix opulentia mentis!
Hos ego Apollinei modò carminis alite vellem
Concinuisse, aliò raperes nisi, Phœbe, morantem.
Thermarum partes nam dum cupis ire per omnes,
Bina Conisterj [a] sordentia limina pandis
Pulvere, quo madidos claudant sudoribus artus,
Lassa Palæstritæ vexant dum corpora luctâ.
Candida Elæothesj [b] spirant opobalsama Sedes:
Et nitidis circùm non una argentea Guttis [c]
Hydria, & insignes auro, vel marmore Pelves: [d]
Et Strigiles [e] curvo, natæ detergere corpus,
Ex ebore, aut ferro; seu membris aptior ægris,
Deleat ut strictas facili conamine sordes,
Spongia. [f] lomenti [g] passim tibi copia, qualem
Vel faba, vel tritis dederat Tonstrina lupinis.
Plurimus interea dum per manantia serpit
Membra, superfuso rorans diapasmate [h] sudor
Sistitur, & venas ceroma [i] adstringit hiantes.

Com-

Hemicycli, Sedes scilicet, in quibus assidebant in Thermis hi, qui ad caussas orandas ibidem instruebantur.

(a) *Bina Conisterj &c.* Conisteria, Aulæ duæ in quadrum positæ, ubi pulvere, & arenâ luctaturi consper-gerentur: a Κονίζω, pulvere impleo.

(b) *Candida Elæothesj &c.* Elæothesium, Cella olearia, quæ & Tonstrina dicebatur: a greco Ἔλαιον Oleum, & θέσις compositio: a Τίθημι pono. ibi enim varia olei, & unguentorum genera asservabantur: quibus qui vellent pro libito uterentur.

(c) *Guttis.* Guttus, genus vasis in balneis usitati ad servanda unguenta, & oleum veluti guttatim effundendum.

(d) *Pelves.* Abluendis pedibus destinatæ.

(e) *Strigiles.* Instrumenta quædam ex ebore, vel aliquo metalli genere, quibus Antiqui, antequam balnea ingrederentur, cutem radebant.

(f) *Spongia.* Idem præstabat Ægris, quod Strigiles bene valentibus: blandius tamen, ne quid illi detrimenti caperent. Vide Bacc. l.7. c.11.

(g) *Lomenti.* Lomentum, Farina nempe fabacina, quâ ad eruganda corpora utebantur. Ex lupinis quandoque fieri, ait Bacc. loc. cit.

(h) *Diapasmate &c.* Diapasma propriè illud est, quod siccis odoribus constat, sine ullo liquore: a Διαπάσσω, Inspergo. Adhibebatur ad coërcendos sudores.

(i) *Ceroma.* Unguentum ex oleo, & quibusdam terræ generibus constans, quo perfusi Athletæ robustiores reddebantur.

(a) *Ma-*

Comptus Achæmenio ſeu vir, ſeu fœmina coſto,
Aut nardo, aut Syrio perfundebatur amomo.
Hìc & Malobathri, [a] Foliati [b] & dona parabat
Semiviris, Phrygios conata addiſcere mores
Roma: ferox olim, cum deſidis inſcia vitæ
Belligeraſque Aquilas, & lapſa ancilia cœlo,
Armaque ad extremam ferret volitantia Thulen.
Cum Solem victrix ad utrumque recurreret: & cum
Perdomitum indictis frænaret legibus Orbem.
Proh pudor! Aſſaraci non ſanguinis Ilia quondam
Marte gravis: non hoc Laurentibus inclyta palmis
Æneadûm ſoboles: nec avitæ gloria gentis
Debuit hoc ſperare; jugo ſeu preſſa Latino
Ter devicta ſolo rueret Carthago: ſubactum
Seu Tanaim, Scythicaſque nives, fluctuſque rebelles
Frangeret Oceani: trepidum calcaret Araxem
Conſul, & exhauſtum galeis victricibus Hebrum.
Non hanc Illa notam: non hos meruere nepotes
Aut Capys, aut Numitor, Romanæ aut conditor Ur- (bis
Romulus. ad patrios aliter formata triumphos
Turma, catenatum Marii ſub vincla Jugurtham
Traxit ovans: Perſenque trucem, tumidumque cecidit
Antiochum, & ſparſis tremefecit cladibus Æmum.
Sed me digreſſum longè feſtina reducat
Pieris, extremo Thermarum limina greſſu
Dum ſequar, & tactâ liceat diſcedere metâ.
Hàc iter, ad Geticos quà Parrhaſis Urſa Triones
Vertitur, æſtivos fractura Hyperionis ignes.
Gens ubi Sithoniâ reſidens captaret ab Arcto
Fri-

(a) *Malobathri &c.* Malobathrum pretioſiſſimum Unguenti genus factum ex folio, quod in Indiæ paludibus ſine radice naſcitur.

(b) *Foliati*. Foliatum Malobathri ſpecies: a foliis, ex quibus fiebat nuncupatum: Matronarum deliciis præ cæteris deſerviens.

(a) *Hic*

Frigora, dum Mauras Procyon torreret arenas:
Et violenta Satis, campiſque incumberet æſtas.
Quàm diverſa tamen variato ſcena receſſu
Panditur! haud jaculis, vel cæſtibus apta librandis
Illa patet. meliora ſibi ſpectacula poſcit
Uranie, patrii laus prima, & maxima Pindi.
Hìc ſiquidem [a] exterior quadrato pariete moles,
Proſpectuque triplex, ternâque coronide ſurſum
Elato ad ſuperas tendebat vertice nubes.
Nimboſas Aquilo nam quà diverberat alas,
Quàque ſuos primùm veniens tibi Lucifer ignes
Ducit, & Herculeam quà deſerit Heſperus OEtam:
Exedra Palladio ſuberat gymnaſtica ludo:
Scita poli aſtriferos radio deſcribere motus,
Et varios ſignorum ortus, Soliſque labores,
Errantemque globum Lunæ, cœleſtiaque aſtra:
Audax humanæ ſupponere ſidera menti.
Hìc dubias rerum cauſſas rimantur: & altè
Proſpiciunt: fictâ veri ſub imagine ne quis
Error, & obductâ latitent caligine vatum
Somnia, bullatis finxit quæ fabula nugis.
Nec non & citharis honor additus: & ſua Muſis
Gratia, Mæonio tactas dum pectine chordas
~~Solicitant alii ad numerum, atque Aſcræa~~ laceſſunt
Fila; melos latè reddunt fonteſque, lacuſque,
Balneaque, & totis Hypocauſta ſonantia tectis.
Hæc

(a) *Hìc ſiquidem &c.* In parte Thermarum, quæ ad Septemtriones vergebat, erant Gymnaſia, Mathematicis, Philoſophis, Rhetoribus, Poëtis, ac reliquis, qui literis operam dabant, attributa. Hæc quippe pars aptior literatorum ſtudiis erat, utpote remotior ab Athletarum ſtrepitu, & clamoribus. Situ deinde amœnior, propter fontium, arborumque frequentiam, arcendis Solibus, umbræ parandæ opportunam. Tribus itidem aulis in quadrum poſitis ad Orientem, Occidentem, & Septemtriones conſtabat. Pars eadem viſa pluribus eſſe antica, & principale veſtibulum Thermarum: ita ne Theatridium, & Circumcolumnium fuerit poſtica.

(a) *Di-*

Hæc inter, gelidas Boreæ de parte pruinas
Quà fovet, & latas diventilat aura Plateas, [a]
Sylva frequens geminis diſtincta virebat hypæthris.
Quam, Platanis quòd culta ſuis, Platanona vocabant.
Alter & hìc volucri poterat contendere paſſu
Subdolus, & pomis Atalantam fallere Curſor;
Atque iterum palmâ victor, thalamiſque potiri.
Multus ibi effuſis patefacto e carcere manat
Sudor equis: pernix Hippodromon ungula poſtquam
Corripuitque fugâ, & ſummam vix libat arenam;
Nullaque præcipiti ſignat veſtigia plantâ.
Tyndaridæ qualis per campum immiſſus habenis
Cyllarus antevolat: rapidoque ſimillimus Euro
Tranſilit Eleas, noto certamine, metas.
Condita Cæſareis hæc luxu, & ſumptibus olim
Extudit, impenſæ dum nulli induſtria parcit.
Sic famam Auſoniis, peperitque illuſtria Thermis
Et decora, & Romæ victurum in ſecula nomen.
Ne tamen ulla meas lateant indicta Camœnas,
Accipe, quæ poſthac non uni balnea morbo
Non unus parat arte labor; Chironia quando
Repperit invento Pallas nova Stagna recenti:
Et ſtudio mortale genus, curâque levavit.
Naturam ſolers nam ſæpe imitatur in undis
Illa, novo medicas diffundat ut ubere gazas.

Ac

(a) *Diventilat aura Plateas &c.* In unâ e quatuor Plateis ad Septemtriones ante Natationem, erant Sylvæ, quæ a Platanis, quibus conſitæ, Platanones dicebantur; de quibus Marr. l. 3. Ep. 19., & l. 12. Ep. 50.. Inter Platanones igitur ſtrata duo Xyſta, quæ Vitruvius l. 5. c. 11. Hypæthras, alii verò Hypæthta vocant: Ambulacta nempe ſub dio, captandæ umbtæ gratiâ: Platanis hinc inde protecta, ad æſtivas Athletatum exercitationes, & præcipuè ad hominum, equotumque curſus accommodata. Xyſta, ait Philander loc. cit., non Xyſtos dici: licèr hæ duæ voces apud Græcos nullum habeant diſcrimen; Latinis quippe Xyſta ſubdiales Ambulationes ſignificare aſſerit, ubi ſudo cœlo Athleræ per æſtatem: Xyſtos verò Porticus tectas, ubi per hyemem exercebantur.

(a) *Diſcu-*

Ac veluti omnigenas tibi cum myropolia merces
Exhibuere: dabunt vitali pharmaca potu,
Quæ te cumque premant dubiæ discrimina vitæ.
Sic vario mens culta usu properasse liquores
Fertur, ut humanæ sarciret damna ruinæ.
Herbarum sedenim balinea potentia succis
Discutiunt, [a] veteremque fugant aspergine labem.
Adstringunt [a] alia, & parti medicantur hianti
Styptica. sed clausos contra nonnulla relaxant, [a]
Ut fomenta, poros. frangendo & multa calori
Utilia experti: cæcos dum fusa meatus
Corporis unda subit, tumidumque refrigerat æstum. [a]
Sunt etiam devicta suo quibus igne recedat
Phlegmona: [a] flammatos facili nam blanda per artus
Instillata fluunt ductu. Siccantia [a] desunt
Nec tibi, quæ nocuam valeant restinguere tabem:
Tristis ubi e venis, fibrisque exuberet humor.
Adde & anodinis [b] resolutos sæpe dolores
Balneolis; vires qui roborat adde liquorem [b]
Insuper, atque aliis Hydrea inventa: tepenti
Sive oleo [c] saturata, meri seu plena Falerni
Muneribus, [c] multo seu lacte madentia [d] quæras.
Qua-

(a) *Discutiunt &c.* De Balneis herbarum, florumque succis humores noxios discutientibus, egit Bacc. l. 7. c. 30.. De Astringentibus, quæ Styptica dicuur *ἀπὸ τοῦ στύφειν*, hoc est ab astringeudo, c. 29.. De Relaxantibus c. 31.. De Refrigerantibus c. 28. . De Humectantibus c. 31., contra Inflammationes scilicet, quas Græci Phlegmonas nominant, ut Cels. *In Præfat. lib.* 1.. De Siccantibus idem Bacc. ibid.

(b) *Adde & anodinis &c. Anodina*, inquit Cels. l. 5. c. 25., *vocant, quæ dolorem levant.* A græcâ particulâ *α* privativâ, & *ὀδύνη* dolor. De balneis corroborantibus Id. Bacc. lib. cit. c. 31.

(c) *Sive oleo &c.* Balnea diverso olei genere parata habes apud Bacc. l. 7. c. 32.: ut etiam Vino. c. 35.

(d) *Multo seu lacte &c.* Balnei ex lacte ad conciliandum faciei, corporisque decorem in fœminis meminit Dio l. 62., & Plin. l. 11. c. 41.: illoque usam ait Poppeam Domitii Neronis Cæsaris uxorem: quæ quingentas secum Asinas fœtas ducere solebat, ut ex earum lacte etiam in itinere balneum sibi pararet. ad quod allusit Juvenal. Satyr. 6.. Medicinæ deinde deservit id genus Balneum; & Avicenna febribus præsertim Hecticis utile asseruit.

(a) *Pro-*

Qualia fœmineis potuere iterata decorem
Conciliare genis, turpesque e corpore rugas
Excutere: & laxæ vitium detergere frontis.
Profuit & validi latices infundere aceti [a]
Membra super quandoque; solent & Defruta corpus
Abluere; Ægrorum mulcent Hydrelæa [b] querelas.
Non ego Niliacis [c] olim dilecta Tyrannis
Hìc meminisse ausim crudeli balnea ritu
Deproperata; hominum quæ cæde horrentia, summum
Per scelus, effuso venarum sanguine fervent.
Gratulor Europæ, nostro quoque gratulor Orbi,
Quòd cœlo, terrâque procul regionibus absit,
Quæ tantum voluere nefas, quod inhospita solùm
Africa Marmaricis potuit conjungere monstris.
Illa, feros olim Læstrygonas illa decebat
Barbaries, uni quæ tot per funera vitæ
Consulat, infamem pretio factura salutem.
Hæc Phario famosa tegat portenta Canopus
Litore: Romuleis quondam ne didita terris
Dedecorent Latias solo vel nomine Thermas.
Tu tamen, [d] Imperii clarum quem fascibus, & quem
Ausoniâ illustrem trabeâ, sceptroque decorum
Septeno acclines coluerunt vertice Colles:
Quàm memori celebrande chely, dum signa secutus
Christiadûm, lacrymas inter, luctusque parentum
Labra puellari renuis temerata cruore:

N Fe-

(a) *Profuit &c.* De Balneis Aceto paratis, ac Defruto, vulgò *Mosto Cotto*, ò *Sapa*, Bacc. l.7. c. ult.

(b) *Hydrelæa*. Balnea nimirum ex oleo aquâ mixto: ab ὕδωρ Aqua, & ἔλαιον Oleum. De his Bacc. l.7.c.32

(c) *Non ego Niliacis &c.* Barbaris tantùm Regibus, Ægyptiis præsertim, olim Elephantiasi laborantibus id genus Balnei feralis in usu fuisse, ait Plin. l.26. c.1., *Et populis funebre*, illud appellat.

(d) *Tu tamen &c.* De Constantino Magno hìc mentio: de hoc satis notum, ut Balneum Infantium sanguine parandum, quo lepræ mederetur, SS. Apostolorum Petri, & Pauli monitu respuerit; lustrali melius sacri baptismatis fonte, ac salubriùs expiatus.

(a) *O ades*

Feralem exhorrens Libitinæ munere lucem!
Hæc olim: at prifcis quidquam labentia feclis
Invideant ne fecla; fuis quoque nota refulfit
Antiquis potior noftra hæc medicatibus ætas.
Tu mihi qui multo candentibus igne metallis
Arte novâ medicos auxifti illuftrior imbres,
O ades, Antigene; [a] quem Stirps Frigimelica clarum
Euganeis tulit alma plagis, ubi celfa renidet
Urbs Antenoreo primùm fundata Colono.
Laus tua quòd varios Naturæ irrumpere fines,
Liminaque humanæ tentaveris invia menti.
Namque metalliferas vena indeprenfa fodinæ
Particulas ut mifcet aquis, virefque miniftrat:
Uberior fic vena tibi, fic æmula virtus
Præbuit inventos per labra metallica rores.
Quis Deus Antigenem proavûm non cognita luftris
Talia, Pierides, docuit? quo fideris ortu,
Italico primùm lux tanta fub æthere fulfit?
Ille vices hominum, & fortem miferatus iniquam,
Aut quibus in medio perfundi gurgite, vectis
Aut aliunde, frui nunquam permittitur undis;
Seu morbi vis dura vetet, fejunctave longè
Balnea, quæ pelago tellus difcreta diremit.
Credidit is tanto folers occurrere damno
Viribus ingenii fretus; quodque invida genti
Terra negat, peperifse fuâ putat arte levamen.
Unde autem, fi certa mihi repetatur origo,
Hauferit ille prior, latet hactenus: obvia quando
Principiis tantùm Fortuna interfuit; acer
Cum labor, & ftudio pofthac perfecerit ufus.
Aft

(a) *O ades, Antigene, &c.* Sub Antigenæ nomine defignatur Francifcus Frigimelica Patricius Patavinus, & in patrio Lyceo quondam Profeffor, qui in fuis Collectaneis agit de Balneis metallicis arte parandis, ignito præfertim metallo aquis infufo, ut ipfe recèns excogitaverat.

(a) *Phi-*

Aſt aliis aliter viſum eſt; primordia tantæ
Namque rei didiciſse ferunt; comperta recenſent
Altiùs, & facti ſeriem ſic ordine pandunt.
Tempus erat rabidi quo torrida brachia Cancrì
Attigerat Sol actus equis: lucemque diurnam
Auxerat; & gyro ſenſim breviore volutis
Noctibus, exiguas ſomni jam fecerat horas.
Cum ſubitò obſcurâ nitidum ferrugine currum
Condidit, æthereo medius dum lumen Olympo
Funderet alta petens: proprioque expalluit auro
Decolor. obſcænis paſſim ſimulacra figuris
Viſa ſub incertas volitare licentiùs umbras:
Excitaque horrificis ululantia monſtra cavernis.
Reſtitit Antigenes: penitiſque in faucibus olli
Hæſit, & occluſo vox interciſa palato eſt.
Ut tandem ex animo ceſſit pavor: & ſua mentì
Lux rediit: Solis tunc & noviſse labores
Cura ſubit: qualeſque ferant hæc viſa ruinas.
Præſidio nec tanta Erebi, Sagæque nefaſto
Monſtra veneficio credit caruiſſe. novercam
Novit enim patriis habitare Philænida [a] lucis.
Hæc illa, Atracias inter quæ prima ſorores
Theſsalicis potis una modis deducere cœlo
Sidera, & effrænos fluviorum ſiſtere curſus,
Inque ſuum revocare caput: maria ipſa fugatis
Fluctibus in virides paſſim convertere valles.
Si jubeat, totis Orbem licèt ignibus æſtas
Urat, Hyperboreas glacie feret illa pruinas:
Plurimaque in mediis nix fuſa albeſcet ariſtis.
Hæc tepidis rapit oſsa rogis; hæc elicit urnis
Corpora, & ignaro vitam dat habere ſepulcro.

(a) *Philænida &c.* Philænis, Vene- ficæ nomen, ut Martial. l. 9. Epig. 30.

(a) *Im-*

Ergo Colchiacis ſudo ratus æthere Solem
Defeciſse dolis: celeri petit avia greſsu
Limina, quà denſæ per muta ſilentia ſylvæ
Eſt iter, atque Henetûm pandit ſe finibus antrum,
Tænario ſacra tecta Deo. vix fornicis atri
Ventum erat ad limen: tremere omnia viſa repentè
Cum juga; & ambiguis hàc illac percita ſaxis
Culminaque, & ſedes, motæque dehiſcere cautes.
Non tamen Antigenem terrent portenta: ſed urget
Non dubias Caveæ cæca ad penetralia plantas.
Tunc & Avernales patuere Philænidis artes
Ilicet, & Stygiæ detecta cubilia fraudis.
Illa quidem Æmonios imitata venefica ritus,
Nuda genu, nigràque humeros circumdata pallâ
Stabat Gorgoneo ſparſos a fronte capillos
Angue premens; triſtes fundebant lumina flammas.
Pallor in ore ſedet: turpat non una ſeniles
Ruga genas; ſqualent macie vultuſque, ſinuſque.
Talem ſaxifico referunt horrere Meduſam
Ore, vel ultrices Cocyti a ſede miniſtras.
Virga manum cantata regit: ſpumantia plenis
Ante pedes ſtant æra labris: ter licia ductu
Ceu triplici adſtringunt religatum compede rhom-
Ter Phlegetontæas reſonantia ~~carmina voces~~ (bum:
Protulit increpitans: tumidoque ter expuit ore.
Sic cœlum inſpiciens, terno ferit æthera pulſu,
In gyrum converſa: labrum dein perculit: inde
Polluit expreſsæ magico medicamine frugis.
Sive hoc hippomanes fuerit, lunaria ſuccum
Sive ſuum lymphis, tetrumve Alpina venenum
Miſcuerint aconita, latet; penetrabile callet
Nam Leporis tunſi virus: bene novit ahenis
Falcibus ad lunam pernox quas meſsuit herbas
Agricola, & rabidam Torpedinis addere ſpumam.

Mox,

Mox, ubi compulsas in non sua regna tenebras;
Præfestinato nox visa inducere cursu:
Improba Tartareo [a] mœstum Titana coëgit
Saga ministerio radios immittere labris,
Et premere effluviis liquidum Solaribus aurum.
Quin etiam refugis te sacro carmine bigis
Vidit anhelanti similem, similemque ruenti,
Cynthia, in albentes Argentum vertere fluctus.
Nullus ab æthereo quamquam trahat axe volentem
Endymion. positis præceps Cyllenius alis
Et ruit, & lymphis Hydrargyron [b] addit habendum.
Non illum fraudes, non illum experta soporem
Spargere, vel fato subduxit virga sinistro.
Nec multo armatum, validoque satellite [c] septum
Immunem fecere Jovem sua numina; cessit
Ille dolis etiam; fraudi Medicæa malignæ
Sidera cesserunt; tractusque Diespiter axem
Deserit; in terras magicæ violentia linguæ
Letheo voluit Stannum deponere cantu.
Tunc & Saturni grave sidus, & ignea Martis
Stella, cruentatas fundens mœstissima flammas
Protinus advenere: urgent nam sæva Jubentis
Imperia. indigno sordent nigrantia luctu

Astra

(a) *Improba Tartareo &c.* De industriâ hic Auctor Chymicorum sequitur opinionem, ut fabulæ det locum. Apud Chymicos enim septem Metallorum genera, septem Planetis respondent: & horum nomine exprimuntur; Aurum enim, Solis: Argentum, Lunæ: Ferrum, & Chalybem, Martis: Hydrargyron, Mercurii: Stannum, Jovis: Æs Cyprium, Veneris: Plumbum, Saturni nomine appellant. Planetis igitur Sagæ artibus cantatis, unumquemque eorum fingitur metalli sui jam liquefacti virtutem balneo communicare.

(b) *Hydrargyron &c.* Ital. *Argento vivo, ò Mercurio*: ab ὕδωρ Aqua, & ἄργυρος Argentum.

(c) *Validoque Satellite &c.* Quatuor nimirum stellæ, quæ, quia circa Jovem feruntur, Jovis Satellites, Latrones, & Lictores dicuntur. Corpora hæc cum primus omnium Galileus Galilei Patricius Florentinus detexisset, Medicæa Sidera appellavit, in gratiam Serenissimæ Domus Dominatricis.

(a) *Spa-*

Aſtra, procelloſas Orbi minitata ruinas.
Tum Plumbi venas Saturnia ſigna: ſolutum
Tum chalybem, domitâ primùm feritate, liquavit
Triſtior: & ferro primùm nudatus, & armis
Pertimuit Mavors, dextramque tetendit inermem.
Te quoque, te torti rapidâ vertigine fili,
Sæpe reluctantem, Phœbumque in vota vocantem
Juſſit Olorinâ raptam, Cytherea, curuli
Exceſſiſse polo; Cyprii tibi ſubripit Æris
Regni dona tui; nec te tua fata ſecutam
Forma, vel Idalii jaculis tutantur Amores.
Nec modus hìc: premerentur adhuc captiva: ſuoſque
Sidera ſentirent, Terrâ indignante, labores:
Auxilium ni pulſa procul Temeſæa tuliſsent
Æra: quibus tandem genti lux reddita, noctem
Diſpulit, & reduci gaviſa eſt lumine tellus.
Tum verò Antigenes furiis accenſus, & irâ;
Sævior o Libycis, gaudent quæ cæde, Leænis,
Inquit, & immani ſoboles immanior Orco.
Fare, age, Dirarum quæ te tam dura ſerenum
Inceſtare diem, docuitque indicere cœlo
Funus: & attonitis axem popularier aſtris?
Dii, precor, & tanto Nemeſis pro crimine pœnas
Exigat. ipſa ſuas acuant in ſpicula flammas
Aſtra tuis cantata dolis; & vindice fulmen
Juppiter igne rotet, dextramque in nubibus armet.
Nec trifidum in ſcopulis nil tale merentibus ignem
Perdat adhuc, toto ſed te proſternat Olympo.
Illa ſub hæc: animum frænis compeſce furentem,
Antigene malecaute: quid una Philænis amaro
Dente laceſſitur fruſtra, quæ criminis expers
Innocuum effœtos ævum produxit in annos?
Signa mihi ſi tracta polo labuntur ab alto
Carminibus: labuntur, opem præſentia lapſu
Alla-

Allatura suo. nec solis philtra puellis
Pallida, nec solos ars nostra propinat amores.
Novimus expertis mordentem, & fessa prementem
Membra metalliferis tabem compescere lymphis.
Has, modò quas fusis tinxerunt astra metallis,
Has undas, hæc apta malis cape pharmaca; & iis-
Utere sorte tuâ felix, ubi Terra fodinas (dem
Denegat, & siccis nusquam balinea ministrat
Uberibus, campisque solum sitientibus aret.
Sic, ubi nativâ fraudet virtute carentem,
Nec foveat vigor ullus humum: tot provida damnis
Una hominum menti vis indita, consulet unum
Ingenium; lethique minas inventa retundent
Balnea. sic generis, nostri sic denique vindex
Nominis, impositumque nefas, culpamque piabis.
Hæc ait, & virgâ tellurem perculit. imo
Tum gemini ad currum juncti, squamisque rigentes
Erupere solo sinuantes terga Dracones.
Extemplo anguineas elata Venefica bigas
Insilit, & liquidum fugiens per inane recessit.
Ipse etiam ignoto delatus in æthera ductu
Carpit iter, patriam repetens Urbemque, Larem-
Antigenes, lætisque animum successibus explet. (que
Inventis dein illo memor feliciùs usum
Addidit, & famam cœptis ingentibus auget.
At vulgata licèt veterum seu balnea nomen
Hesperium attollant; medicæ sive artis honorem
Concelebrent; majora tamen Natura reclusis
Fontibus, & facili mihi sedula præbet in haustu.
Non tamen hìc mecum suspenso pectine Phœbus,
Inter & euripos, & nilos inter, & arcus,
Ultima mortalis quamquam molimina dextræ,
Hæret, & attonito miratur lumine Thermas.
Ulterius sibi pandit iter, quà fœta fluentis

Ter-

Terra sonat, laticesque aperit: quibus integra florem
In melius, fato vita intercepta, reducat.
Hìc ego vos, placido quà tollit ab æquore vultus
Inarime, vestro jam nunc celebranda Poëtæ,
Litora: vos madido cautes fervore liquentes
Testor, & infestis Hypocausta salubria morbis.
Et si Mentoreas non hìc operata figuras
Græcia: Lysippi non conformata caminis
Signa: nec Isthmiacis auro commixta favillis
Æra laborato tollant simulacra metallo.
Attamen haud pretio rigidis tot inhospita saxis
Tesqua carent, scatebræq;, rudi quas condita servant
Stagna manu, nullis cælata, vel aspera signis.
Nam temere effusis dumeta per horrida rivis
Insultant armenta; premit pede Pastor agresti
Despiciens; donec confuso gurgite lymphæ
In mare præcipites, laudemque, & nomina perdant.
At perdant licèt usque: ævo vivacior ipso
Stabit honos: damnosa meis quem Fontibus ætas
Haud unquam imminuat: stabili sed fœnore semper
Augeat, & cœli cumulatum terminet astris.
Nec quisquam Ænariæ posthac virtute minores
Spadanas [a] Laudator Aquas, celebresque Sabini [b]
Nomine, Romulidûm metantis castra, Liquores
Anteferat. non Indigeti quos sacrat Amando [c]
Belga suo memoret Scaldis prope litora Fontes.
Con-

(a) *Spadanas Laudator Aquas &c.* vulgò *Acque*, ò *Bagni di Spà*. De quibus eruditissimè præ cæteris, anno 1681. Henricus ab Heers Tractatum Typis edidit Lugduni Batavorum.

(b) *Celebresque Sabini &c.* Fons nimirum Savenirius, ita dictus a Sabinu Romanorum Tribuno, ibi olim castrametante. ut Id. Hen. ab Heers.

(c) *Non Indigeti quos sacrat Amando &c.* Vulgò *Bagni di Sant'Amando*, apud Tornacum Nerviorum Urbem in Belgiu ad Scaldim: quæ Balnea paucis ab hinc annis frequentari cæpere. Egit de his, & chymicè has aquas examinavit D. De Boulduc, relatus a D. Fontanelle in Histor. an. 1699., quæ est *De Examine Aquarum mineralium*.

(a) Con-

Conde Dicarcheos, [a] Aquilex, Bajanaque propter
Cærula labentes, & fluctus conde salubres,
Quos Anianus [b] alit: cedit cui victa mephitis
Effera, quæ rupis propiore exspirat ab antro.
Non alii, exortem queîs gestit adorea frontem
Lambere, Teplenses [c] addant Desnensibus [c] amnes,
Et quos perpetuo saliens parit Egra [c] susurro.
Nec tantum in patriis liceat tibi plaudere Stagnis,
Albione: quamquam te Fama exæquet Olympo,
Listero [d] vulgata tuo, quo clarior unquam
Non fuit, Asclepj [e] nec in arte illustrior alter.
Hoc præeunte licèt scatebras Natura latentes,
Arcanosque sinus doceat, legesque medendi,
Æmonio Chiron quas non monstrarat Alumno;
At mihi Pæonios melior se promit in usus
Ænarie: majora suis dat nomina Thermis.
Queîs neque Passiacas, [f] exploratasque Provini [g]

O Gal-

(a) *Conde Dicarcheos*. Vulgò *Bagni di Pozzuoli* in Campaniâ; quæ Balnea multi cum Bajanis confundunt. Consulatur Sebastianus Bartolus *In Thermologiâ Aragoniâ*.

(b) *Quos Anianus &c.* Anianus Lacus, Ital. *Lago d'Agnano*, in Campaniâ. Hujusce aquarum salubritas ex eo constat, quòd cum vicina Cavernula (Indig. *La Grotta dei Cane*) mephitim exhalet lethalem adeò, ut quodvis animal in eâ parumper detineatur immori soleat, nisi statim in aquas Aniani mergatur, in quibus vires resumit. Meminit Plin. l. 3. c. 99., Bacc. l. 4. c. 5., & Giannett. noster fusè in *Hyem. Puteol.*

(c) *Teplenses addant Desnensibus amnes &c.* Thermas, & Balnea Teplensia, Egrensia, & Desnensia memorant *Acta Erudit. Lipsiæ, Tomo Anni 1682. pag. 241., Ex Miscellaneis historicis Regni Bohemiæ, Auctore Boleslao Balbino Soc. Jesu, Typis Pragæ anno 1679., 1680., & 1681.*

(d) *Listero &c.* Martinus Lister E. S. R. Londinensis, qui Exercitationes edidit *De Fontibus Angliæ medicatis: Typis editas Eboraci Ann. 1682., & Londini 1684.: Ut ex Actis Erudit. Tom. Anni 1684., & Tom. an. 1685.*

(e) *Asclepj*. Pro Æsculapii. Ita Zenobius Acciajolus ex Homeri versu penès Theocritum Cyrenensem.

(f) *Queîs neque Passiacas &c.* De Aquis Passiacis, vulgò *Di Pasy* in Galliâ prope Lutetiam Parisiorum, agit Jo: Baptista Humellius Exsecret. Reg. Academ. Scientiarum cap. 5., libri, cui titulus, *Excerpta de Medicatis Fontibus ex Regia Academia Historiâ*. De his etiam D. Fontanelle ejusdem Academ. Exsecret. *In Excerptis Histor. Anni 1701.*

(g) *Provini &c.* Vulgò *L'Acque di Provins* in Galliâ; de quibus idem Humel. loc. cit. lib. s. c. 1. sect. 2., *De Physicis laboribus anni 1677.*: nec non D. Giure, e D. Du Clos.

(a) *Bor-*

Gallia: Borbonicas [a] nec conferat æmula lymphas;
Sive, Parisiacos quibus est via secta per agros,
Autelias; [b] aut læta quibus se Neustria [c] tollit.
Non mihi Viciacos, [d] Arverni [e] aut litoris, aut quos
Regina Arcolio [f] struxit Medicæa sub alto,
Enumerent Fontes; non quos Narbone [g] fluentes
Lutetiæ toto referunt plaudente Senatu.
Bellovacum [h] sileant, sileant madefacta Niverni [i]
Jugera, roriferis & te, Burgundia, [k] campis.
Nec modò vos eadem stimulis agat invida virtus,

Quæ

(a) *Borbonicas &c.* Aquæ Borbonicæ notissimæ in Galliâ ab Oppido Borbonio, vulgò *Bourbon*, multæ sunt. De his etiam Humellius lib. cit., c. 4., num. 1., pag. 21., & seqq., ubi, *De Aquis Mineralibus generatim.* Et sect. 7. cum *De Physic. Experimentis factis anno 1670. & 1671.*. Easdem Aquas examinavit relatus Du Clos, & D. Burlet.; ut in *Memoriis anni 1707.*. Harum etiam meminit Jo: Paschasius, D. Saignette, & P. Renatus Rapinus Soc. Jesu *Hortorum l. 3.*

(b) *Autelias &c.* Aquas Autelias ab Oppido cognomine prope Lutetiam, Indig. *Auteuil*, commendat citatus Humel. l. 1., c. 5., pag. 24., & D. Du Clos.

(c) ~~Neustria Neustria eadem~~ quæ deinde a Nortmannis Nortmãnia, Galliæ Celticæ regio. In hac Aquæ multæ medicatæ. Videatur laudat. Humellius loc. cit., & D. Fontanelle In Histor. Anni 1701. *De Aquis Passy.*

(d) *Non mihi Viciacos &c.* De aquis, vulgò *De Vichy*, agunt quamplurimi. De iis præsertim quæ manant in Agro Borbonensi egit Cassanæus *In Catalog. Glor. Mundi Par. 12. Consid. 77.*, Fovetius in Opere, de quo loquemur in Notis l. 5.: sic etiam D. Burlet in *Memoriis Anni 1707.*: & propriè in *Examine Aquarum De Vichy, & Borbonensium*: item Humel. loc. cit., & Rapinus, ut supra.

(e) *Arverni aut litoris &c.* Fontes medicatos in Arverniâ recolit citat. Humel. c. 5.

(f) *Regina Arcolio &c.* Vulgò *L'Arque d' Arcueil* prope Lutetiam; quas aquas Rapinus loc. cit. asserit *immissas* a Galliarum Reginâ Medicæâ in novos Fontes, a se basilicè extructos.

(g) *Non quos Narbone fluentes &c.* In Galliâ Narbonensi Aquas, vulgò *De Balaruc*, illustravit In suâ Analysi D. Vieussens Regis Consiliarius (*ex quo plausisse Senatus illi dicitur*) & Medicus ex Academ. Reg. Scient. & Societ.: ut *Ex Actis de Trevoux Mensis Augusti An. 1709.* Recenset etiam illas D. Fontanelle *In Histor. anni 1699.*, sub titulo, *Examen Aquarum Mineralium.*

(h) *Bellovacum &c.* Bellovacum, vulgò *Beauvais*, Ital. *Boves*: Urbs Picardiæ: habet in agro prope Claromontium Aquas vulgò *D'Ovarsii*: de quibus Humel. c. 5.

(i) *Niverni &c.* Nivernum, vulgò *Nivers*. In Agro Nivernensi Aquæ *De Pougues* dictæ: Vide Humel. loc. cit.

(k) *Burgundia*. In Burgundiâ Aquæ *De Vezelay*. De his multa apud D. Fontanelle in lib. typis edito an. 1705., cui titulus: *Variæ chymicæ observationes.*

(a) *Qua*

Quæ Vallisnero [a] quæsita, & cognita dudum,
Æmiliam, [b] Balinea, viam celebrastis: ut undis
Certare imparibus liceat. quis honoribus auctas
Usque Pithecusas ausit prævertere? non hoc,
Nativum tutata decus, sibi balnea fumant,
Quæ Mutinæ passim fundi, Rheginaque donant
Prata; Cisalpinis seu Caseronia [c] terris
Exhibet, & salso, maris instar, Felsina rivo.
Una tibi, Inarime, cultu se lympha recenti
Anteferet major; grandique tumentior alveo,
Unde animos attollat, habet: famamque lucretur.
Illa, illa, umbriferis [d] latè quà saltibus horret
Hercynia, & celeri devolvitur Albis ab urnâ,
Hàc fluit, hàc certam poscentibus Unda salutem
Præstat; & Augusti quamquam sibi Cæsaris olim
Vindicet auspicium: magnâque in laude reponat
Dicier a Caroli [e] Carolinas nomine Thermas:
Se modò majori visa est attollere fastu
Lætior, & victis crevisse ad nubila ripis.

(a) *Quæ Vallisnero &c.* Antonius Vallisnerus in primo, & secundo suo Itinere Physico-Medico m. s. multas describit Aquas, quas in Agro Rhegiensi, Scandianensi, Bononiensi, Mutinensi, Plebis Caseroniæ, vulgò *Della Pieve*, & Caseroniæ novissimè observavit.

(b) *Æmiliam &c.* Vide Notas pag. 57. lit. b.

(c) *Caseronia*. Caseronia Ital. *La Carfagnana*: Etruriæ Regio: Tractus nempe ille, (*ex Alber. In Etrur. Meridion. pag. 38.*) intra Apenninum, Inter Lucam, & Oppidulum olim *Feroniam*, nunc vulgò *Pietra Santa*. Caseroniam vocat Poëta metri gratiâ: & exemplo Anonymi Auctoris, qui Latio donavit *Il Viaggio Medico-Fisico* allegati Vallisnerii. Præterea ex Alber. loc. cit. non abs re factum: non solùm quia *Caseronianam* ab Antiquis ille asserit dictam: sed etiam quia ibi locata a suis Conditoribus, ubi olim Templum, sive Lucus, ut alii volunt, *Deæ Feroniæ* sacer.

(d) *Illa, illa, umbriferis &c.* Bohemiam hìc innuit Auctor Germaniæ Regionem, Hercyniâ Sylvâ (vulgò *Selva nera*) undique præcinctam, & Albi, Ital. *Elbe*, fluvio irrigatam.

(e) *Dicier a Caroli Carolinas &c.* Thermæ Carolinæ in Bohemiâ, vulgò *Bagni di Carlsbad*: quibus nomen primò indidit Carolus IV. Imperat. anno 1307., earum salutarem virtutem in crure affecto expertus. De his præter Baccium l. 4. cap. 10., & Cluver. *Introd. Geogr. l. 3. c. 13.*, egit novissimè Jo: Gothefridus Bergerus, ut videbimus lib. 3., & Jo: Christophorus Straussius, de quo lib. 5.

(a) Nam-

Namque, ut Cæsarei [a] Sociam sceptrique, thorique
Posse suo fovisse sinu præsensit ELISAM;
Ipsa parem tanto dum se non credit honori,
Proh quantùm exultat! quantùm sibi plaudit! inertis
Ecce moræ impatiens, faustis quæ præsidet oris
Nympha, cupit patrios jam dedignata recessus
Deseruisse. choro pernix micat obvia prono
Naïadum selecta manus: gaudetque frequenti,
Dum præit, obsequio Reginæ occurrere. sacro
Gargaphiæ ut quondam Dryades in gurgite sylvæ
Dyctinnam excipiunt, vitreis ubi fontibus æstum
Arceat, & lassos relevet venatibus artus.
Ambrosiæ pars una vias inspergere nimbis,
Ver Cilicum populata, parat; fragrantia circùm
Litora, & exhaustis perfunditur aura Sabæis.
Altera captivum pompæ Sidonidis ostrum
Sternit, & innumeras per & arva, & compita *lauros*;
Quas olim, edomitis non unâ clade Gelonis,
Austriaci meruere Duces; quas victor, ad Istrum
Dum tonat, Ismario CAROLUS sibi Cæsar ab hoste
Messuit, arma movens; tremefacta Temesia [b] quando
Succubuit, didicitque jugo dare colla Latino.
Hæc inter, primos Lucinæ passa labores,
Gemmato thalamum Spatale [c] ditissima textu
Erigit: Hippodamæ qualem non Lydia: qualem
Non tibi connubio, felix Ariadna, secundo
Mænades, Indorum, gemmisque Orientis onustum,
Ogy-

(a) *Namque, ut Cæsarei &c.* Augustissima hìc Romanorum Imperatrix, Hispaniarumque Regina Elisabeth Maria Vvolffemputelia describitur: quæ Medicorum consilio Carolinas Thermas anno 1720. petere debuerat: quamvis id anno sequenti præstiterit.

(b) *Temesia*. Temesia, vulgò *Temesvvar*, Hungariæ Urbs, firmissimis vallata præsidiis; ab Austriacis ann. 1716., Duce Serenissimo Eugenio Sabaudo, recepta.

(c) *Spatale*. A græco *Σπατάλη*, Deliciæ, & Luxus.

(a) Acu-

Ogygii ſpoliis exornavere triumphi.
Illic regifico, ceu debita ſerta, cubili,
Illic exuvias inter, palmaſque Getarum,
Bellica Teutonici quondam monumenta Gradivi
Aſpicies. illic, Scythicæ pars maxima prædæ,
Gaza ſuas oſtentat opes. præfulget & auro
Pannonicis quidquid bellatrix Auſtria terris,
Quidquid & Odryſio rapuit præſigne Tyranno
Miles Acuminci [a] in campis; ubi barbara ceſſit
Et Rhodope, & fractis Meroë crinita ſagittis.
Ipſa etiam triplici Charitum manus impigra nodo
Sponte ſuâ properat. regali certat amictu
Aglaïe nudare ſinus; parat æmula largo
Stagna labro, & blandos fudiſſe Thalia liquores.
Tergere corpus amat, ſtratiſque imponere plumis
Euphroſyne, medicumque oculis accerſere ſomnum.
Interea feſsos dum ſenſim repit in artus,
Concutiat madidas fœcundo nectare pennas,
Vim Sopor infundens utero: quâ gaudeat Hymen,
Et ſteriles thalami penſet jucundior annos
Prole novâ, viduiſque ferat ſua gaudia regnis.
Sic populos Stirps alma beet: Lucinaque tandem
Sic iterum dominâ Leopoldum cernat in aulâ,
Herculeis utrumque humeris qui fulciat axem.
Si tamen hanc vobis, felicia Balnea, ſortem
Fortuna invideat: famulas nec regia luſtret
Uxor aquas: ſatis eſt meruiſſe: perennior ibit
Laudis honor: ſcabrâ quem non rubigine tanget
Livida, nec ſeclis minuet labentibus ætas.
At veſtris fortaſſe olim famamque, decuſque
Præripuiſſet aquis, toto velut orbe remotos

No-

(a) *Acuminci &c.* Vulgò *Campagne di Pier Varadino*: in Pannoniâ inferiori: ubi eodem anno, magnâ Turcarum clade, ſub eodem Duce pugnatum.

(a) *Jam-*

Noſtra niſi Inarime coleret longinqua penates.
Hoc eſt, quod fatis iraſcitur illa: ſiniſtrum
Hoc dolet; Euboico quòd fixerit æquore ſedem
Te procul: & gremio non te complexa fruatur,
O cui ſubjectos clarâ viciſſe Triones
Luce datum, Auguſto Conjux par una Marito.
Jamque novis cuperet [a] terræ ceu motibus olim
Cæruleas innare vias; & præpete curſu
Ipſa etiam in mediis imitari Cycladas undis;
Regnaque pervolitans rapidis Neptunia pennis,
Officii memor uſque ſui, tibi gurgite ſupplex
Siſtier, inque alios totam ſe vertere Fontes.
Sic meritam raperet, tibi ſic, Germania, raptam
Gauderet victrix ad ſe traducere palmam.
Mitte tamen vacuas, Nymphe mea cura, querelas:
Mitte animum vanis abreptum his ludere votis.
Sat modò ſi veteres tibi Fama oſtentet honores:
Et recolat laudum mox argumenta tuarum;
Quas licèt immemori lethæa oblivia merſas
Nocte tegant: unum ſatis eſt cui plaudat, & unum
Ænariæ quòd fauſta meæ gratetur ovanti.
Anne aliud Nymphas inter ſibi grandius optet
Illa decus: quo læta magis caput inſerat aſtris,
Æternumque ferat præclara in ſecula nomen,
Quàm, Vaticanas [b] deductum nuper in ædes,
Sacrorum ſervaſſe Ducem; qui fultus avito
Majorum ſolio reduces tractaret habenas; [c]

In-

(a) *Jamque novis cuperet &c.* Alluſum ad id, quod lib. 1. pag. 56. refert Strabo, Pithecuſas nempe a Miſeno olim terræmotu divulſas.

(b) *Quàm, Vaticanas &c.* INNOCEN. XIII. olim Michaelem Angelum de Comitibus, Ænariæ balneis ſanitati reſtitutum: ac deinde 8. Id. Majas An. 1721. ad Pontificatum evectum alloquitur Vates. Vide notas pag. 59. lit. b.

(c) *Majorum ſolio &c.* Satis abundè notum quot Romani PP. e familiâ de Comitibus prodierint.

(a) Et

Inque Palatinas, Proavûm de more, Curules
Scanderet, & trabeas, & fasces redderet Urbi? [a]
Te, mea devoto te carmine plectra loquuntur
Par Superis, unoque minor qui Numine fulges,
Et terram imperiis, animoque excedis Olympum,
Tempora tergeminâ, Princeps, redimite coronâ.
Penè tuum infestis Libitina instructa sagittis
Abstulerat, Pater alme, caput, nisi præpes ab alto
Dia Pronœa polo, clypei septemplicis instar,
Æthereo pectus vallasset robore; & ictum
Elusura, procul Numidas vertisset in hostes.
Ut tamen illa tuæ vindex fidissima vitæ
Prospiciat: duri conata retundere fati
Spiculaque, strictamque super cervice securim:
Sedula purgatis lympharum aspergine membris
Discussâ te labe fovet: te corpore toto
Proluit Inarime, virusque operosa repellit.
Non aliter [b] nostræ quàm si contagia terræ,
Mortalesque artus lustralibus expiet undis:
Ut super humanæ rapiat fastigia sortis.
Indigetem veluti temploque, arisque receptum
Æneam Ordinibus fama est, mensisque Deorum,
Placatâ Junone, frui: mortalia postquam
Membra superfusi lustraverat unda Numici.
Quid regnata Atavis Signinæ mœnia gentis,
Vel juga Telegoni, vel dives Anagnia jactent
Natales olli stravisse ab origine cunas?
Quidve tuo felix tantum lætaris Alumno,
Tibri, quòd eductum tibi rursum in luminis auras
Rel-

(a) *Et trabeas, & fasces &c.* Primus quippe Romanorum post Clemen. X. Pontifex renunciatus.

(b) *Non aliter nostræ &c.* Allusum hic ad id, quod de Æneâ fabulatur Ovid. lib. 14. Metam.: Illum scilicet in Deorum numerum relatum, perfuso priùs ejus corpore sacrâ, ut ajebant, Numicii aquâ.

(a) *Bat-*

Relligio referat fato meliore Quirinum?
Cedite jam veterum ſceptris dominata parentum
Arva; Pithecuſis & ſe gerat ipſe minorem
Deviĉtâ Tiberinus aquâ; ſuccumbere tanti eſt;
Et juvat Inarimæ demiſſo aſſurgere fluĉtu.
Ille quidem ingenti potuit plauſiſſe triumpho,
Mitis ubi effuſum, tumidumque coërcuit amnem,
Et revocare pedem docuit, ne poſſet Amulj
Juſſa ſequens, teneros, peperit quos Ilia, fratres
Perdere lympha vorax, patriiſque immergere rivis.
Non læſiſſe tamen fuit hoc: ſervare Parentem,
Roma, tuum, & propero incolumem ſubducere letho,
Hoc tantùm Ænariæ cœleſtia Numina Divûm
Indulſere: alter vitâ cui ſoſpite lucem
Romulus, & Patrem geminus cui debeat Orbis.
Hos, precor, ad Fontes, noſtra hæc ad balnea Muſas
Duc, age, Caſtaliis cui laurea nexibus umbrat,
Batte, comam: [a] doĉtos Cirrhæ qui porrigis hauſtus,
Atque habilem Pimplea vocas ad teĉta Juventam,
Prima regens pleĉtro veſtigia. Quid tibi ſertis
Naïadum ſtruĉtæ redolent fontalibus Aræ?
Quid nova Theſpiades, Phœbumque indiĉta moratur
Pompa per Euboicas, manant quæ fontibus, oras?
Sive Labulla, ſuo ſeu te Formellis [b] ab antro
Evocet: & violo calathos, Thymbramque requirat.
Huc Pæſtana ferant tibi leĉta roſaria flores,
Rite coronatos dextrâ queîs ſupplice nuper
Sparſiſti irriguos Sirenum ad mœnia Fontes.

Hìc

(a) *Batte, comam &c.* Hoc eſt P. Jo: Baptiſta Botti Soc. Jeſu Poëtices Profeſſor in Neapolitano Collegio: cujus Auditores e Noſtris, ipſo thema præbente, Anno 1722. poſtrid. Non. Januar. ſuas (ut ſolenne eſt) lucubrationes poëtico filo duĉtas exponentes, eis titulum fecere: *Fontinalia in Neapolitano*; reperito ab Antiquis more, coronandi quotannis fontes, per ferias iiſdem Fontibus dicatas; ut ex Varrone *l. 5. de Linguâ Lat.*

(b) *Sive Labulla, ſuo ſeu te Formellis &c.* Vide notas pag. 15. lit. c. & d.

(a) *Ale-*

Hic & Callimachi, quærenda hìc dona Philetæ
Digna chely ; culto seu te tua vena Tibullo,
Seu velit affinem Venusino adjungere Flacco.
Sic tibi sacrifico passim sternatur acantho,
Totaque Panchæas præ se ferat Insula messes.
Hoc meruit, Fidei Columen quæ sospitat, & quæ
Novit inexpletis ævum producere lustris.
Huc nova quæ cœlo se Vatum examina credunt,
Te Duce, pervolitent: huc florea serta ministrent.
Cecropiæ quales humentia flumina circùm
Mane feruntur apes, & roscida germina libant.
Pars thyma, pars rorem, carpat pars nexa ligustris
Lilia, pars calthas crinali degravet auro.
Hæc te, Pieridum peragentem sacra quotannis,
Munera ferre juvet ; sic thura, & vota litabis
Plurima, cum primùm roseis invecta quadrigis
Reddet Juleas Phœbi lux alma Kalendas.
Sed nimis indultum genio : nimis inter amores,
Naïadumque choros festivo lusimus œstro.
At nunc assiduis quæ vocibus icta resultat
Difficili subeunda viâ patet Exedra : quò me
Docta laboratis revocas ad jurgia chartis,
O iubar, o nostri quondam præclara Senatus
Gloria ; Alethini [a] famam qui nomine plectris
Concilias celebrande meis, tumuloque superstes
Immortale decus ventura in secla tulisti.
Namque suo non fonte minor post fata perennis
Ingenii se vena tui, velut ubere, fundit
Ditior, & largos sitientibus erogat haustus.

P Jam-

(a) *Alethini &c.* Jo: Baptistam de Benedictis Soc. Jesu, præsignem in Neapolitanâ Academiâ elapsis annis Philosophiæ, ac Theologiæ Professorem, Studiorumque Præfectum: suis in lucem editis lucubrationibus satis notum intellige ; qui Alethinum se dixit, vel a Patriâ Aletio : vel ut se veri amatorem profiteretur : Ἀλήθεια enim veritatem sonat.


(a) *Jam-*

Jamque iter ad ſacras Eubœæ Palladis [a] arces
Molior : aſſultant jam plauſibus Atria : & ultro
Injuſſæ crepuere fores ; & ſponte volutis
Cardinibus, nullo patuerunt oſtia pulſu.
Excipior, primos ubi docta Minerva ſub annos
Excoluit tenerum ſtudiis juvenilibus ævum.
Ipſa manu facili Sophie jam prenſat : adhæret
Fida comes lateri : ductoque per omnia ſecum
Jam mihi ſecretas rerum depromere cauſſas
Apparat, & mores, habituſque explorat aquarum.
En iterum ingrati repetentem limina Circi
Turba vocat, plauditque ſuo, de more, Sodali.
Namque altercantes curſim dum tangimus ædes,
Credidit antiquo reduces includere ludo.
Ergo age, Pierios linquens, tua regna, penates,
Phœbe, pererratas mecum poſt undique Thermas,
Neu renue Aoniis per inhoſpita tecta Camœnis,
Alta Stagiritæ quà te Senis aula repoſcit,
Ferre pedem ; Clario luſtrata ſuperbiet illa
Hoſpite : nec tanti peritura eſt gratia facti,
Dum Domus Auſtriadûm Latio fulgebit in oſtro
Sceptra gerens, victiſque dabit ſua jura Gelonis.
Pro lauro, aut radiis, caperatæ nubila frontis
Exere : cæſaries ſparſis inculta capillis
Erret ; Apollineum nec dedigneris amictum
Socraticâ mutare togâ ; barbamque fluentem
Intonſiſque genis, labriſque aptare venuſtis.
Sic oculos, ſic ora ferens, crineſque, ſinuſque
Ingredere ; & ſeptis jam nunc aſſueſce Lycei.

(a) *Jamque iter &c.* Neapolitanam Soc. Jeſu Academiam deſignat Auctor, in quâ ille olim Auditor, & deinde Profeſſor.



INA-




AETERNO COEANT IN FOEDERA NEXU
Ant. Baldi In. del.
F. V.
And. Maillar Scul.



INARIMES

LIBER III.



Vocor e mediis dura in certamina Thermis:
Et juvàt arma ſequi; ſed quæ rorantia nullo
Sanguine, diffuſis madeant ſudoribus; ingens
Quos labor, & feris vigilatæ noctibus umbræ
Eliciunt, doctâ dum frons aſpergine manat,
Pallenteſque genæ. Campum dat Arena: ſeveræ
Pallas ubi Sophiæ ſordentes pulvere turmas
Explicat, & reſono mentitur prælia Circo.
Nec jaculo Pugiles, vigili ſed acumine mentis
Inſtruit; hìc totis unus tibi viribus Error
Impetitur, validoque ruens proſternitur ictu.
Stant belli cauſſæ: ſtimulis ciet æmula virtus
Arma; novas acuunt rerum primordia pugnas.
Te verò ante alios inter tot bella, tot hoſtes,

Jactaque in adversos victricia pila maniplos,
Ductor amem, Loyola, sequi; vexilla tuentes
Qui tua Palladiis clarare insignibus, & qui
Marte novo lectas potuisti excire phalanges.
O ades, incœpti felix tutela laboris,
Dexter io! dubias tanto fas omine caussas
Inspicere, & mores ultro prædiscere aquarum.
Non ego Gætulis veniens novus hospes ab oris
Tango fores, limenque tuum; damnata sub axe
Non gelido me terra tulit; bene cognita dudum
En tibi progenies; aris non prima litamus
Munera: nec primis fervent altaria votis.
Ipse tuæ quondam legesque, & signa secutus
Militiæ, tenerâ sparsus lanugine malas
Dum puer, & quintâ dum me trieteride blandis
Abreptum vitæ illecebris gratissima Cœlo
Excipit Ægla [a] sinu, sacrasque informat ad artes.
His ego terdenos, [b] memini, jam penè per annos,
Auspice te, castris merui: sperataque victo
Dite triumphales inter, socia agmina, cœtus
O maneat merito per te mihi laurus Olympo!
Interea, nostris quæ præsidet alma palæstris,
Dum geminas hinc inde manum partitur in alas,
Et quatit armisonam pugnæ Tritonia signum
Ægida, ne medio mecum concurrere campo,
Et validum abnueris præsenti numine robur
Addere, & auspiciis mentem rexisse secundis.
Sic tandem unanimes, Duce te, Medicina, Poësis,
Et Sophie, & veterum custos fidissima rerum
Historia, æterno coëant in fœdera nexu.

Na-

(a) *Ægla &c.* Vide notas lib. 1. pag. 14. lit. b.. Ægla, regio nimirum in Urbe Neapoli, ubi Domus Probationis Soc. Jesu, in quâ primò Auctor religiosæ vitæ tyrocinium posuit.

(b) *His ego terdenos &c.* Cum scilicet hæc primò ederet Auctor.

(a) *Sic*

Naturam in primis quicumque exquirere caussis,
Et rerum occultos cupiat penetrare recessus;
Hunc ego, fallaci ne quid sub imagine veri
Deliteat, spectroque animos eludat inani:
Quid certi mortalis adhuc solertia: quidve
Ignotis veniens serò experientia rebus
Compererit: vel vana ferant quid somnia Vatum,
Vestigare velim; nam sic deprenditur omnis
Error, & ambiguæ fugiunt e mente tenebræ.
Ergo ubi, Pieridum motus dulcedine, quæras,
Thermarum scrutata sinus quid fabula mendax
Edoceat: medicam quâ nempe ab origine Fontes
Virtutem accipiant: quâ vi Sapor inditus undæ
Non suus: aut vario quâ perducatur Odore;
Unde Color tam multus aquis: quâve arte calentes
Inarime exhibeat patriis e rupibus amnes;
Neu renue, aggredior dum vera illudere fuco,
Discere. Terrigenûm post impia bella Gigantum,
Cum Pater, ingenti molitus fulgura nisu,
Immanesque acies, & sidera celsa petentes
Dispulit insultans, trifidoque coërcuit igni;
Vulnera tum fama est lavisse Typhoëa jactis
Fontibus, ambustosque artus, & pectora puris
Ænariæ mersisse undis. sic frigida flammas [a]
Concipiunt, rapidisque ardent Nymphæa favillis:
Plurimaque attactis spargunt incendia venis.
Missa bitumineas & sic, quas fulmina servant, [b]
As-

(a) *Sic frigida flammas &c.* Simile quid de igne in terras primò delato secum a Fulmine fabulatur Lucr. l. 5.. Et propiùs ad rem nostram accedentes, Ignem ipsum, caloremque aquis communicatum a fulmine asserit Manil. l. 1.

(b) *Missa bitumineas &c.* Hoc idem de Aquis Bajanis fabulatus est Sannazarius Eclog. 4.; Sulfur scilicet redolere Aquas illas, quòd in iis Gigantes fulmine a Jove percussi laverint sua membra. Ante Sannazar. hoc ipsum ex aliorum opinione retulerat

Affumunt vires, atque halant fulfura lymphæ.
Ilicet hinc Virtus, Odor hinc, & Fontibus Æftus,
Et Color : hinc Sapidi fua funt & dona liquoris.

Talia Pegafeum, mifcens infomnia veris,
Dictat ebur: vanis mentem fic decipit umbris.
At fi tangat amor rerum cognofcere cauffas
Altiùs: ancipiti non hìc te carmine captum,
Noftra nec ambages te Mufa morabitur inter;
Eruta fed latebris, clarafque educta fub auras
Vera haurire fuo per me de fonte licebit.

Non tamen aut aciem fugiens, aut ardua captu
Res modò; nam patrio Latices cum Sulfur ab ortu
Chalcanthon, [a] Nitrumque ferant, Glebâque Bitumen
Armeniâ; [a] & multo fpargantur Alumine; cumque
Infinuet fe fe, tecto licèt igne, Pyrites; [a]
Cum Salis ingratum redolens apprimà faporem,
Et fluidis condita fuper fe lympha metallis
Mifceat, & croceam Cadmea [a] interferat Ochram; [a]
Provida Foffilium quam tot Natura repoftis
Virtutem inferuit venis, hanc credere dignum eft
Fontanis etiam potuiffe infundere rivis.
Namque acres perpeffa ignes, flammafque latentes,
Undarum in medio quamvis, refoluta liquantur
Corpora; & immiffis tunc Stagna vaporibus augent.
Qualis odoratas fi quando incoxerit herbas,
Allatura fuis præfentia pharmaca fuccis,
Ollula, quam medicos Uftrina accendit in ufus:
Æftuat, & Botanæ fegetes hàc verfat, & illac
Ignis, & edomitum Floræ populatur honorem;
Donec ab expreffo virtutem humore coactus
Haufe-

lerat Strabo l.5. pag.237.. Pari flexu Ovid. l. 15. Metamorph. Fab. 5. penè idem commentus eft de Flumine Anigro, qui e dulci amarus evafit, poftquam in eo Centauri ab Hercule fracti fua vulnera laverunt.

(a) *Chalcanthon &c.* Quid Chalcanthon, Gleba Armenia, Pyrites, Cadmea, Ochra, &c. Vide in Not. l. 1. p. 6.

(a) *Ther-*

Hauserit, & vires in se collegerit imber.
Nunc si forte roges, cur tantum ferveat undis
Inarime; non una meæ venit obvia menti
Caussa, per occultas serpens vis ignea venas
Plurima, cur Fontes, scatebrasque accendat eundo:
Quæque vel adversas nectat concordia partes.
Haud equidem, antiquæ relegens vestigia sectæ,
Sopitos iterum cineres, manesque revellam
Thermophili; [a] radiis Terram Solaribus ustam
Non ego crediderim, [b] latebras quibus ardeat ignis
Per medias errans, & se se in Stagna refundat.
Nec tua, solertem sapiant utcumque Cleanthem,
Dicta sequor, Chrysippe; [c] cavis quòd clausus in antris
Æthereus calor afflet aquas, fususque per omnes
Thermarum latè cogat fervere liquores.
Non ego, quà calidis, & cæco carcere pressis
Panditur halitibus mediæ telluris hiatu
Area, candentes ad se traxisse vapores
Ænariæ Latices, Mileo Auctore, [d] fatebor.
Non incurrentum [e] tunsas rapido impete aquarum,
Percussasque velim rupes; quo verbere passim
Flamma micet: penitasque inter diffusa cavernas,
Corripiat latè rivos, Fontesque perurat.
Quid cinerem [f] calci immixtum, seu calce tumentes
Abderi-

(a) *Thermophili &c.* Nomen Philosophi, qui a Thermis ipsis nomen duxit.

(b) *Non ego crediderim &c.* Calorem in aquis oriri putavit Thermophilus, ex Bacc. l.1. c.17., quòd Sol radiis per terræ meatus penetrans, & in profundo viscerum roboratus, instar ignis, aquas, & quæcumque occurrant calefaciat.

(c) *Chrysippe.* Chrysippus Zenonis, & Cleanthis Auditor, cum vitam, motumque in rebus omnibus a calore æthereo haberi putaverit, ab eodem aquas calefieri asseruit.

(d) *Mileo Auctore &c.* Sensit Mileus apud Bacc. loc. citat., calorem in aquis provenire a vaporibus, & spiritu calorifico in venis terræ incluso. Huic adhæsit Hieronym. Cardanus.

(e) *Non incurrentum &c.* Sententia Anonymorum apud Franc. Blondelium Medicum Aquensem, in suâ *Thermarum Aquisgrani Descrip.* c.4.

(f) *Quid Cinerem &c.* Democritus

Abderita mihi terræ intra viſcera montes
Jactet: & inde ſuo correptam igneſcere dicat
Fomite, per tectos dum labitur unda canales?
Nec modò, quod reliquis Naturæ arcana ſecutis
Diſplicuit quondam, mihi tandem arriſerit uni.
Non mihi, non aliis, queîs cor limante Minervâ
Cecropiæ finxere artes, verique voluptas.

Deluſum falso nec te ſub lumine credam,
Quisquis es, in noſtras trahit hæc quem pagina partes;
Quisquis & hìc mecum [a] celebri Peripaton in umbrâ,
Et colis ingenuos clarâ cum Pube penates.
Non hæc vana tuum, mediis ut viſa tenebris
Spectra, nec inſani reputem mendacia Circi
Infeciſſe animum, quem par cultura paratum
Ingenio, ſtudiiſque ſimul, vetus extulit auſis
Nobilitas, & origo novæ non indiga lucis,
Quæque viret tenero virtus maturior ævo. (que,
Quippe facem præ noſtra ferunt dum carmina: rerum-
Expulsâ ceu nube, Ortuſque, Obituſque requiris,
Non agitata [b] levi ſedeat corpuſcula motu
Hàc illac riguas, igne impellente, per undas:
Et perturbato paſſim ſine lege, ſine arte
Effluvio, excuſſi cauſſam præbere caloris.
Cuſpidibus ſive illa ſuis tenuata, cacumen

Py-

tus Abderita Philoſophus voluit calorem hujuſmodi haberi a cinere, & calce; ait enim intra Terræ viſcera eſſe calcis montes, per quos tranſiens aqua calefit, & ebullit. Rejicit opinionem hâc citatus de Benedictis *Philoſoph. Peripat. Tom.3. lib.3. De Mixtis imperfectis quæſt. 1. cap. 4.*

(a) *Quisquis & hic &c.* Adoleſcentem quemcumque in Neapolitano Nobilium Collegio ſecum unà degentem, & Philoſophiæ operam navantem innuit hìc Auctor.

(b) *Non agitata &c.* Atomiſtarum cum ſuo Epicuro ſententia; per quos calor in aquis aliud non eſt, quàm Atomorum ab igne propulſatarum inter eaſdem aquas agitatio, ſive effluvium, quod etiam motum perturbatum appellant; ſive Atomi per alios pyramidales ſint, & cuſpidatæ: ſive ſphæricæ, ſive contortæ in modum filamentorum, ac ſe ſe elaſticâ vi explicantes per alios; ita tamen ut tota vis calorifica per ipſos in figurâ conſiſtat. Conſulatur laud. de Benedict. ibid. T.3. *lib.*

Pyramidum in morem referant: seu forte rotundis
Volvantur globulis: torti seu tenuia fusi
Vellera filatim simulent: extensaque cogant
Inde subire novum calfacta Hydrea tenorem.
Tot mihi non memorent, nec tot ludicra bilustri
Vix puero credenda; alio me semita cursu
Trita vocat: diversa rapit sententia mentem.
O utinam (antiquo crudescit vulnere mœror!)
O utinam gravibus Vatum mollita querelis
Non mihi Te celeri rapuissent invida letho
Sidera, Sebethi placidis, Olor, advena [a] ripis;
Ardua quem volucri vincentem nubila pennâ
Parthenopes olim felix Epidaurus in oras
Miserat, Euboicos aucturum nomine Cycnos.
Cui sic Minciadæ sonuerunt plectra cothurno
Aurea, ut heroo nunquam pede presserit alter
Digna Maroneæ propiùs vestigia Musæ.
Tu modò par numero posses, & Apollinis œstro
Tot dubias aperire vias; ubi fata latentes
Sub terram vulgare Ignes, [b] cantuque dedisent
Pandere flammivomis Vesuvina incendia nimbis.
Te tua sed Pietas Pindo detraxit: & astris
Intulit emeritum, Cœlique in sede locavit.
Quique olim apprensâ residens ad busta cupressu,
Extorrem patrio Psychen [c] miseratus Olympo,
Tristia funereo cecinisti carmina luctu:
Alter io luctus in gaudia vertis: & almo

Q Nu-

lib.2. de Elementis q.1. c.2. §.2.

(a) *Olor advena &c.* Nempe P. Michaël Mondegajus Epidaurius Soc. Jesu, illustris Poëtices in Neapolitano Collegio Professor; qui, communi Literatorum luctu, fato concessit Kal. Septem. Anno 1716.

(b) *Sub terram vulgare Ignes &c.* Opus enim metro alligandum meditabatur, *De Ignibus subterraneis*.

(c) *Extorrem patrio Psychen &c.* Extat ejusdem Auctoris Elegiarum liber typis editus, cui Titulus, *Psyche Exul in Igne*: in quo lacrymas, suspiria, vota, ac luctus Animarum, quæ purgatorio in igne detinentur, elegantissimè, ac piè prosecutus est.

(a) Nec

Numinis obtutu frueris: curisque solutus,
Carpis agens placidum vitæ invariabilis ævum.
At Superûm quâcumque micas ex arce, serenum
Funde jubar: pulsisque diem concede tenebris.
Nec me Vaniloquûm [a] causando plura moretur
Turba recens, quibus una Salis mixtura calentes
Sensim reddit aquas: Salium per inania partes
Cum nempe alterius generis, trusæque pererrant,
Alternoque cient conflictu prælia: multus
Tum subitò in cumulos undarum diditur ardor.
Non secus ac silicis quæras ubi semina flammæ
Abstrusa in venis: repetito sæpius ictu
Explorata silex flammæ tibi semina promet:
Nutritura suas vicino in fomite vires.
Tædia sed nostri quos jam cæpere Lycei:
Aut rapit instabiles animis furor additus: aut quos
Ducit amor novitatis: & invia sensibus audent
Tentamenta sequi; quem non potuere Priores
Hactenus, hi veterem certant dissolvere nodum.
Namque volunt [b] plenis excudi in fontibus ignem,
Tertia terrenis cum latè elementa feruntur
Particulis agitata: elementi & septa secundi
Concita cum subeunt, globulosque celerrima motu
Excutiunt, primique petunt pervadere fines;
Quos

(a) *Nec me Vaniloqûum &c.* Opinio Multorum, qui putant calorem in aquis haberi a partibus heterogeneis Salium commixtorum hàc illac vagantium: ex quibus invicem collisis ignis eliciatur, ut chalybis ictu a silice; ex quo deinde igne calor in aquis. Ita etiam sensit recèns Jo: Gratianus Bergomensis in suo *Thermarum Patavinarum examine*; Ut ex *Act. Erudit. Lipsiæ An.* 1702. *pag.* 1.

(b) *Namque volunt &c.* Refertur Sententia (vel recens, vel restaurata illa sit) Renati des Cartes Turonensis, Domini de Perron in Galliâ. Per illum inflammatio tunc habetur, cum particulæ terrestres tertii elementi, excussis particulis rotundis secundi elementi, innatant in primi materiâ: quæ, quia cœlestis est, & celerrimo motu fertur, hujus particulas hàc illac rapit, & quaquaversùs impellit: sublato impedimento globulorum secundi elementi, quod vires primi frangebat,

(a) *Sul-*

Quos, ubi contigerint, totâ hac regione vagantur,
Et ſpatiis innant, medio velut æquore Rhombi.
Nec mora; cœleſtem, quæ purior aëre, trudunt
Impete materiem: diſruptoque objice ſecum
Hàc illac rapiunt, & quaquaversùs oberrant.
Tunc latices æſtu exultant: fluitantiaque imo
Stagna ſolo, lymphiſque calet fumantibus aër.
Hæc Senonum veniunt commenta e finibus; atq; hæc
Invehit, e terris ortum ceu ducat Achivis,
Bellerophonteam mentitus Sequana venam.
  Auſoniæ quamquam ſua ſit vel plurima genti
Fabula, Pindaricum deceat quæ garrula plectrum.
Hinc aliis aliò libuit divertere. laxas
Vulcanum ſine lege ferunt effundere habenas,
Sulfura [a] cum Salibus coiere immixta; propinquas
Utraque nam rupes, & ſpiſso attrita recurſu
Saxa petunt, ſcopuloſque; ictu ſic tunſa frequenti
Diſſiliunt: eademque locum denſantur in unum.
Tum verò illiſis proh quantùm flamma coruſcat
Fragminibus! refluos quæ circumfuſa per imbres
Protinus in mediis miſcent incendia lymphis.
Hinc Salis, hinc ſparſi permixtio Sulfuris, ignem
Quæ parit accendens, Fermenti nomen adepta eſt;
Theſauros quòd nempe calor fermentat aquarum.
Non aliter, longo quàm ſi duratus ab uſu
Dona laboratæ ſegetis, manibuſque ſubactam
Fermento Cererem quis largè immiſcuit: omnem
Quod ſe ſe infundens maſsam conſpergit: edules

(a) *Sulfura cum Salibus &c.* Tuetur hanc opinionem Theophilus Griſonius c.2. in ſuis *De Avenione Obſervationibus*. Afferit enim incaleſcere aquas a fermentatione (quam Motum inteſtinum Neoterici appellant) excitatâ a particulis Sulfureo-Salinis, ut ejus utar verbis, obviam euntibus alicui corpori magis, vel minùs duro, & unà coëuntibus: mitior illa quidem erit, ſi partes ſalis volatiles non adeò exaltabiles, ut ipſe ait; fortiòr verò, ſi liberæ, nec quaſi carcere incluſæ detineantur..

(a) Bre-

Manat & in fruges, & amico munere serpit.
Prima sed imbelli tentantis prælia telo
Velitis hæc. mens rapta alio sublimè volatu
Spernit humum: inventisque pudet vulgaribus uti.
Ergo novum molitur iter Bergerius: [a] artis
Grande decus medicæ: Carolinis indita Thermis
Auspice quo totum virtus diffusa per Orbem
Non uno antiquas cumulavit nomine laudes.
Ille quidem æstiferas, altæque indaginis acri
Ingenio rimatus aquas, penetrasse caloris
Vim putat, & votis metam tenuisse secundis.
Quippe superfusâ resolutum protinus undâ
Vasis ut in medio, quò jecerat ante, Pyriten
Sensit, & a primo ferventem Najada tactu:
Hoc, ait exclamans, hoc est quod sæpe petebam
Sedulus: hoc seris tandem labentia lustris
Secula, felici sed tempestate, tulerunt.
Quid tantum posthac vacuo indulgere labori?
Quid cæcos subjisse aditus telluris: & altè
Juverit audaci scrutari viscera ferro?
In manibus caussæ; certis jam noscere signis
Posse datum, quod Terra suis ambagibus olim
Texerat, atque oculis subduxerat invida nostris.
Jam mihi Thermarum cur æstuet unda cavernis
In promptu fuerit præsciscere: Fontibus ignem
Subjicit, effuso dum solvitur amne, Pyrites.
Ignifluos sedenim cum plurima lympha meatus
Jacta subit, partesque humor pervadit in omnes;
La-

(a) *Bergerius &c.* Celeberrimus Medicinæ Professor, & S. M. Augusti Poloniæ Regis Archiatrus, Jo: Gothefridus Bergerus, in suâ *De Thermis Carolinis* (vulgò *Bagni di Carlsbad* in Bohemiâ) *Commentatione*, *Typis Vuittembergensibus 1709.*, asserit totam caloris originem in aquis non aliunde haberi, nisi a Pyrite resoluto. Ita *Ex Actis Erud. Lipsiæ Tom. ejusdem anni pag. 457.*

(a) Te

Laxatâ tunc nempe ſilex compage dehiſcit
Mollior, & ſenſim nexus, fibraſque reſolvit.
Sicut Hyperboreo glacięs durata Trioni
Aut Rhodope in celsâ, aut in nubifero Apennino,
Algentes quæ paſsa hyemes, incanuit; illam
Si tepidis Auſter tractim diverberet alis,
Ilicet Auſtrinos impar ſufferre calores,
Liquitur, & largis irrorat jugera guttis.
Haud aliter merſum dum perluit unda Pyriten;
Nam lapis immiſso paulatim humore liquentes
Scinditur in partes: mixtiſque extenditur unà
Partibus in gelidos acies Vulcania rores,
Quæ priùs eduro ſub cortice clauſa latebat.
Hinc Fontes, hinc Stagna calent: hinc ſubdita Thermis
Flamma ſalutares properat languoribus æſtus.
Dixerat ille. alacri circùm plaudente theatro
Fit fremitus: pulſæ reſonant clamoribus ædes:
Quos favor, & populi propenſior aura ſecundat.
Sed tibi vel toto quamvis Germania Cœlo
Plaudat: & Egra ſuis latè tua nomina ripis
Concelebret, Bergere: iſthæc non ſemita votis
Certa meis; aliò ſiquidem jubet ire: monetque
Delius attritos Proavis inſiſtere calles.
Quodque magis mentem ſtudia in contraria vertit,
Præſentique animum firmavit numine, paucis
Exequar, & primâ repetens ab origine pandam.
Nuper arundineâ Solem fracturus in umbrâ
Sebethi ad ripam, viridique in margine, parcis
Quà ſtrepit unda vadis, ſomno cum victa dediſsem
Lumina: ſopito vigiles tamen anxia ſenſu
Mens acuit vires; rerum namque obvia paſſim
Tunc mihi tot variâ referunt ſub imagine formas
Spectra, calorificas quot ventilat Exedra cauſsas.
Tunc & ab Idæis veniens Berecynthia lucis
Viſa

Visa suis fulgere notis: turritaque frontem
Addiderat bijugos mansueta ad fræna Leones.
Et prior: O tantis nequidquam exercite curis,
Irrita Socratico relegens vestigia ductu!
Quàm procul a rectâ veri ratione vagaris
Avius! & quali confusam errore viarum
Abripuit, raptamque agitat vesania mentem!
Quid tibi cum Salibus? vel quid concussa rotatu
Fragmina, quid jugi repetas corpuscula motu
Pulsa: vel ignigenam per falsa inventa Pyriten?
Pace tuâ dixisse velim, lymphatica narras
Somnia deliris Ægrorum e noctibus. aptas
Quære vias; animos, habilemque ad vera vigorem
Erige: & hæc rectâ suspendere lance memento.
Quis furor ignotas, alio vel in Orbe latentes,
Vel quas Luna cavis fortasse in montibus abdit
Altiùs, & dubias Naturæ accersere partes?
Te-ne latet [a] rabidus mea qui per viscera fertur
Vesbius, & celebres non unâ clade favillas
Evomit eructans? non te Sicana flagranti
Ætna sinu, aut candens Phlegræo [b] plurima campo
Flamma docet tumidis ardere incendia venis
Subter humum: penitùsque imos pervadere montes?
Quis mihi tot passim strages, [c] quis funera terris
Edidit, & stratas viduavit civibus Urbes?
Ignis & ad casum vires dedit: ille repostas

Per

(a) *Te-ne latet &c.* Verior sententia de Calore in aquis exponitur, & eligitur: ab Igne scilicet subterraneo. Ita sensit Empedocles, relatus a Senec. *Natur. quæs. l. 3. c. 24.* Assentitur Aristot. 2. *Meteor. c. 3.* cæterique non pauci. Videatur Cœl. Rodig. *Lect. antiq. Tom. 3. l. 30. c. 20.*

(b) *Phlegræo plurima campo &c.* Campi Phlegræi, qui & Forum Vulcani, vulgò *La Solfatara*, a sulfure, quo redundat: Mons in Campaniâ prope Cumas, ubi ab Hercule prostratos Gigantes fabulantur Poëtæ.

(c) *Quis mihi tot passim &c.* Opinionem Multorum cum laudato P. De Benedictis *Tom. 3. l. 3. De mixtis imperf. q. 1. c. 3.* sequitur Auctor: putatque Terræmotus ab Ignibus subterraneis oriri.

(a) *Præ-*

Per caveas ſerpens ſubito miſeranda tumultu
Excidia, & fundo inſidias molitus ab imo eſt.
Nam latebris qui ſæpe meis incluſus, & antris
Subſtitit, accenſis quandoque incanduit aër
Ignibus, & multo rareſcere cœpit ab æſtu.
Tunc non æqua furens ſepta indignatur adufti
Carceris; aſſultu rapitur: laxataque tentat
Spiramenta, novo veniat quà liber in auras
Impete; tunc victis inimico turbine clauſtris
Diſſiliunt montes, & hianti vertice rupes.
Percita tunc ſonitu ingenti reboantque, caduntque
Culmina: colliſis & mœnibus Oppida nutant:
Præcipiteſque gemunt Turres: collapſa ruinam
Tecta ferunt: dat vaſta tremor, terræque dehiſcunt.
In mediis veluti ſi quis penetralibus arctos
Infoditque lares pyriique explevit acervo
Pulveris; anguſto patuit quà calle foramen
Admovit ſi forte facem: tunc excita circùm
Ignea vis cladem importat, convulſaque miſcet
Mœnia, disjectamque hoſtes immittit in arcem.
Talis, luctantem dum promovet aëra ſurſum,
Ignis in æthereas victor ſic proſilit oras
Cum ſtrepitu: noſtras & non impune medullas
Carpit, & obſtantes crebro quatit ariete muros.
Hæmoniis ergo qui ſaxa horrentia ſylvis,
Quique jugis fractum poterit domuiſſe revulſis
Iſmaron, & rupto populari Gargara dorſo:
Immemor ille ſui numquid, vel mitior uni
Parcet aquæ? & rapidis dum latè obſeſſa favillis
Obruitur, nullos fluitans trahet illa calores?
Nec tumidis comprenſa rogis ardebit? inertem
Demens qui rabiem, qui flammæ credidit iram!
Scilicet ante ſuos requieſcent flumina curſus:
Oceanique altis innabunt fluctibus Alpes;

Ante

Ante procellosas Hadriæ Sperchius arenas,
Myrtoumque petet Tamesis, pelagusque Pelori,
Quàm circumfuso non æstuet imber ab igni.
Præsertim Ænariæ,[a] multis quà flammea oberrat
Vena cavis; ipsi pleno quà vecta canali,
Ipsi etiam agglomerant, cumulantque incendia subter
Phlegræique sinus, & anhelâ fauce Vesevus.
Utque diu vigeat, nec iniquis fluctibus ardor
Cedat: inextinctas, quibus uritur Insula, latè
Sulfur alit flammas, & pinguia pabula præbet.
Ut sæpe ingentes avidis fornacibus ornos,
Roboraque, & cæsas addendo involvimus ulmos.
Hinc etiam variâ[b] pro conditione Locorum,
Viribus aut Ignis, mitique, aut aspero Aquarum
Ingenio (quod certè undis non omnibus unum)
Plusve, minùsve imbres caleant, & stagna necesse est.
Nam mage tum, latices propior quò Mulciber urget,
Æstuat unda; minùs, si tum procul ille reductas
Sæviat in rupes, atque abdita tesqua perurat.
Sic, licèt accensis fervescant balnea Prunis,
Mitior a Flammâ veniet calor: acta Vapore
Lympha, pererrantem blandè vix sentiet æstum:
Et quæ vicino tantùm circumlita Fumo,

Flu-

(a) *Præsertim Ænaria &c.* Hæc ipsissima fuit Pindari opinio de calore in Aquis Ænariæ penès Strab. l. 5. pag. 239. : Quod scilicet, *Omnis iste Tractus, si a Cumis incipias, usque in Siciliam ignitus est: & profundas quasdam in unum coeuntes habet cavernas usque in Græciam, & continentes terras exporrectas. Ideoque Ætna, & Liparenses Insulæ, & Puteolanus Ager, & Neapolitanus, & Bajanus, & Pithecusa talem habent, qualem cuncti reliquerunt scriptum, naturam. Quæ cum intelligeret Pindarus, cunctis sub his locis sepultum jacere Typhonem cecinit.* hæc Strabo.

(b) *Hinc etiam variâ &c.* Affertur triplex ratio cur hæc vel illa aqua magis caleat. Prima est Situs; nam quò magis vel minùs ab Igne distat: magis vel minùs calet Aqua. Secunda est, Qualitas, seu magis vel minùs valida ignis virtus; Pruna enim fortiter, Flamma agit remissè, Vapor tenuiter, Fumus penè nihil. Tertia, Aquæ ipsius ingenium nunc magis, nunc minùs depurgatæ, & crudæ.

(a) *Haud*

Flumineis tactu vix hæc distabit ab undis.
Te quoque temperies Liquidi non una docebit,
Hoc citò cur caleat, caleat cur segniùs illud.
Quandoquidem argento suppar, illimis ab alveo
Ducta suo, non vena faces detrectat: apertas
Sed facibus dabit illa fores, vis ignea quò se
Insinuet victrix, campoque immissa fruatur.
Si tamen indociles, & crudos nacta liquores,
Quos neque felices oleri experiere rigando:
Hos tantùm geminata novæ violentia flammæ
Molliet; edomitis sic & non coctilis humor
Cedet aquis, multoque cicur mansuescet ab igni.
Quercus ut inflictâ quamvis percussa bipenni,
Nec dum etiam ramos, viridem nec frondis honorem
Deposuit: vivax admotis illa resistit
Ignibus, hostiles conata eludere tædas.
Hæc ait; ex oculis tum Diva, suusque recessit
Continuò sopor: & media inter somnia dictis
Illa suis Veri specimen mihi reddere visa est.
Protinus ut certis hæc mecum exempla secutus
Indiciis, caussam fontani inspexeris æstus;
Cum Color, & varii tentant qui labra Sapores,
Et latices diffusus Odor pervadat: aquarum
Has quoque, ni refugis, dabitur præsciscere vires.
Quare age, non dubiâ dum sternimus alite callem,
Aggredere hunc iterum (sors annuet æqua) laborem.
Ergo multiplices eadem se lympha frequenter
Induet in formas; jamque altera, & altera fallet
Lumina, nativos ùt respuat illa colores.
Objectâ siquidem variatus imagine rerum
Humor, ut æqualis plani solet orbita vitri,
Ducet ab adversis vultum, speciemque figuris;
Et quot formarum volitant vestigia, vulgò
Tot se se in facies, tot se se vertet in ora,

R Ver-

Vertumno ſimilis; pallentes namque hyacinthos,
Puniceaſve roſas, vel odoræ lutea calthæ
Germina, vel mediis expinget amaracon undis;
Dum ripas, dum forte lacus, & læta coronant
Æquora, Pæſtano ridentes margine flores.
At nihil hoc ſolidi, pluvio ceu roſcida cinctu
Iris, habet: varians oculis imponere tantùm
Unda poteſt, purâ dum per ſe defluit urnâ.
Talis erat patrio Fons ille argenteus ortu,
Qui te venatu redeuntem, æſtuque madentem
Ah nimium formoſe! tui ſimulacra ſequentem
Luſit, & incautum ſpectro, Narciſſe, fefellit.
Namque repercuſſas mendacis fraude liquoris
Impubeſque genas dum fingit, & aurea reddit
Ora, velut ſummo ſpeculorum ex æquore, vanis
Correptum exuviis & te decepit; & umbras
Dum ſequeris (miſerùm!) tua te vel forma coëgit
Fata extrema pati: primoque extinxit in ævo.
Haud equidem [a] abnuerim Luci quod debeat uni
Tam multos lucrata ſibi Natura colores.
Lux etenim, æthereis quæ plurima fulget ab aſtris,
Graminibus latè reducem partitur honorem,
Dum campos eadem, monteſque hàc ſpargit, & illac
Verſicolor; virides aliis inducit amictus,
Purpureos aliis: violæ tyrianthina præbet
Munera: cæruleum cyanis dat habere decorem;
Subnigra pallenti donat vaccinia cultu.
Hinc ſuus eſt ebori candor, Tyrioque refulget
Murice, Sidonium jactat ſeu purpura nomen,
Theſſala ſeu petitur, Coo ſeu perlita fuco.
Luce nitet, roſeoque abigit fulgore tenebras

Phyl-

(a) *Haud equidem abnuerim &c.* Communis Recentiorum opinio de Coloribus primis exponitur.

(a) *Cate-*

Phyllidis articulos dum circuit orbe pyropus;
Sive peregrino dum colla nitentia luxu
Torquis obit: graphicis seu dum sua vincula spiris
Agglomerans addit capiti: nodoque comarum
Errantesque undas, libertatemque coërcet.
Et Phœbi quamquam una micat lux aurea curru
Missa: tamen larvas, ceu personata, renidet
Depositas sumpsisse iterum, & deponere sumptas:
Ut diversa petit diversis prædita formis
Corpora; majores siquidem nunc illa meatus
Rara fovent fibris, & nunc densata minores;
Aspera tractanti partim, contraria partim
Lævia; perspicuo, vel opaco hæc cortice septos
Plusve, minùsve sinus retegunt; hæc lumine multo
Ditia, multigenas reddunt lustrata figuras:
Atque oculis complura color simulacra remittit.
Ipsa quidem veniens recto Lux tramite, terras
Dum petit, & sursum converso lumine tactis
Corporibus resilit, flexus & fertur ad æquos
Reddita, tunc aliter ductu variata colorat,
Quàm si eadem vacuas subeat detrusa lacunas.
Et latrebris licèt illa suis emerserit, ad nos
Non redit incolumis, radio sed fracta retrorsum
Avolat, atque alio vestit tunc lumine sylvas.
Sic magis alba nitent, lucis compacta reflectunt
Quæ magis. hinc vernis accedit forma ligustris;
Contra ebenum, quod sola suis tibi mittit ab oris
India, liventi furvum nigrescit amictu.
Quippe ubi se ligni fundens per viscera, cæcos
Lux subit alveolos, obtusa includitur atro
Carcere: nec facilis datur exitus, unde supernas
Eluctata vias repetat, sursumque feratur,
Allatura ebeno niveum fortasse nitorem.
Sic olim implicitas Cretâ labyrinthus in altâ

Mille per ambages, confusaque claustra, dolosque
Nulla solo dat signa fugæ: nullumque sequendi
Monstrat iter, tenui quà tandem erratica filo
Ducta, recurvatis properent vestigia tectis.
Cætera sed speciem [a] quo denique mixta colorum
Turba modo accipiat, res est incerta; sagaci
Sit licèt ingenio, & studio vigilata perenni.
Scilicet unde ferat viridi querceta Taburnus
Vertice: & unde rubro crescant corallia trunco:
Qualia Teleboûm, Lilybæaque saxa profundunt.
Unde sibi electrum, meritumque thalassina cyclas
Vestibus accendat pretium: perfusaque discat
Fucari Assyrio cur tandem lana veneno.
Nec tamen, hæc animi penetrantes abdita jactu,
Qui momenta velint tantarum expendere rerum
Defuerint; radio tribuunt dum cuncta refracto:
Seu mage, seu spissæ minùs ille admiserit umbræ.
Non secus, ac vitro lux pervia facta trigono:
Si partem attigerit quæ crassior, inter opacos
Illa inclusa sinus, rutilo par inde smaragdo
Effluit, & pictos mentitur Chloride campos.
Puniceos, Aurora, tuos retulisse rubores
Sed potis illa, vitri si summum invadat acumen.
Verùm ubi non aliis satis hoc arriserit; alter,
Alter io caussas, [b] & rem tetigisse latentem
Credit acu, Proavûm qui quamquam illustris avito
Sanguine, Palladios illustrior inter Alumnos
Enituit, patriique decus cognominis auxit.
Ille ubi Thesauros diffusi luminis effert
Marte suo, & puræ recolit gratissima lucis

Do-

(a) *Cætera sed speciem &c.* Hic de Coloribus, qui Medii dicuntur.

(b) *Alter io caussas &c.* Peculiaris P. Francisci Grimaldi Soc. Jesu opinio in opere posthumo *De Lumine, Coloribus, & Iride.*

(a) *At*

Dona, tot inde putat tactum traxisse colores
Sensile, fusa modis quot lux tibi sensile pulsat.
Namque aliter crispata, aliter dum fluctuat, afflat
Una eadem terras, Proteoque simillima fulget.
Ac veluti alternis percussa tremoribus aures
Corpora dum feriunt; clarum mage dura sonorem
Fortiùs icta dabunt, variumque allisa ciebunt
Murmur, ut impulsu circùm vibrabitur aër.
Vera, fatebor enim, famâ, cedroque loquuntur
Digna, colorati specimen qui corporis, & qui
Exhibuere novas grandi molimine caussas:
Dum documenta Sophi dederunt, quibus Attide totâ
Invidisse olim possent Pandionis Arces.
At non undisonis [a] eadem lex indita regnis;
Multivagæ quando nusquam tibi Lucis ab uno
Fonte Color veniet: mixtis tantùm imbuit undas
Fossilibus: quæ rubra rubras, quæ lutea passim
Dant croceas, viridesque ferunt viridantia lymphas.
Nam Liquidi in medio cum flamma exæstuet: & cum
Intermixta rotet rapido corpuscula motu,
Hæc rear imbutos tractim resoluta liquores
Particulis fucare: quibus variabitur humor
Tinctilis, ut variùm serpens mixtura redundat.
Lacteolis hinc Tibur obit subcandida venis
Albula [b]: & Euganeas Aponus [c] qui sospitat oras,
Et

(a) *At non undisonis &c.* Unam præ cunctis Auctor sequitur opinionem P. Nicolai Cabei Societatis Jesu, docentis *Tom.4.q.2.in Text.28. Meteor. Aristot.* distingui Tingibile (verba sunt ejusdem) a Colorabili.

(b) *Albula &c.* Albula, vulgò *Bagni di Tivoli*. Hujus lacteum colorem rribuit Bacc. lib. 1. c. 14. Alumini modico calore agitato, vel etiam gypso, calci, cineri, & argillæ. Aquæ hujusmodi, celeberrimæ superstitionibus, & Poërarum fabulis, in usum medicinæ venere sub Augusto, ut Suet. *in vita*. Ædificiis deinde (quorum adhuc rudera,) nobilitavit easdem Nero, balneorum usui accommodaris.

(c) *Aponus*. Aponus celeberrimus Patavii Fons: Indig. *Bagni d'Abano*. Aponus quidem, quasi sine labore: ab *α* particulâ negativâ, & *πόνος* Labor. Colorem hujus ab Alumine, gypso, argillâ, cinere, & calce igne

Et populis vitam medicato porrigit hauſtu,
Candenti ſe prodit aquâ, quà ſubter anhelo
Pumice concluſos ſibi perforat unda meatus:
Uberaque ignitis ſpumant Vulcania ripis.
Igne quidem hàc illac dum fervidus imber alumen:
Aut cinerem argillâ mixtum, gypſove tenaci
Exagitat, fluctu tum labitur amnis & albo.
Subjectam ſed forte cavis cum flamma ſuburget
Sandarachen [a] Minio ſparſam, Sorynque [b] Rubricâ,
Puniceas tunc reddit aquas, & muricis oſtro
Inficitur, vivoque ſalit ceu ſanguine Gurges.
Sic tua purpureis, Joppe, [c] rigat ille fluentis
Arva, Palæſtinos inter notiſſimus amnes
Qui fluit, & campos, pelagique cruentat arenas.
Nec mihi diſſimiles viſu dat habere liquores
Fons Ruber Æthiopas [d] lambens. nocitura veneno
Porrigit incautis tamen hic ſua pocula labris.
Quiſquis es, o (rabido quamquam ſub ſidere Cancer
Torreat ora) ſitim non hoc depellere potu
Ah malecaute velis, ne mens correpta furentem
Alcidem exhibeat: furiiſque agitatus Oreſtes
Triſtia ne tragico renovet ſpectacla cothurno.
Non ne vides ut Averna [e] nigro ſqualentia cœno
Plurimus, obductâ veluti fuligine, terror

Ob-

igne agitatis, haberi putat Bacc. loc. cit.

(a) *Sandarachen*. Sandarache coloris rubri genus, quod in Auri, Argentique fodinis frequenter invenitur.

(b) *Sorynque &c.* Sory medicamentum metallicum lapidoſum, odore tetro, colore nigro, ſimile Chalciti, Melanteriæ, & Miſyi, utpote ex iiſdem metallis proveniens.

(c) *Joppe*. Joppe Indig. *Jaffa*. Urbs in Palæſtinâ omnium antiquiſſima ante diluvium condita, ut Solin. c. 34., Fontem habet ſanguineum, de quo Bacc. l. 5. c. 14.

(d) *Fons Ruber*. Fons Ruber in Æthiopiâ; cujus Aquæ, teſte Plinio apud Bacc. loc. cit., ſi bibantur mentem lædunt. reſtatur hoc idem Ovid. Metamorph. l. 15. Fab. 4.

(e) *Non ne vides &c.* Quare Lacus id genus dicantur Averna, habes apud Lucret. l. 6., ubi etiam multa enumerat Averna.

(a) *Nec*-

Obſideat? cæcis nam ſæpe ingeſta cavernis
Chalcanthum in partes ut tandem pruna reſolvit:
Tum Stagnis commota, ebeno tum concolor Indo
Lympha cadit, pulloque lacus obtendit amictu.
Chalcantho at contra ſi parciùs hæreat ignis,
Parciùs uret aquas: æſtu correpta minori
Vena eadem æquoreos ſimulabit cærula fluctus.
At quæ ſordentem cœnoſo margine limum
Tetra palus junco, fumoque obducit inerti:
Exhibet & nidum, ranisque loquacibus eſcam:
Naſcentes viridi camporum hæc prædita luxu
Gramineis velut in pratis imitabitur herbas.
Hos tibi Carpathiis fundit de collibus amnes
Neuſola; [a] namque ſinus dum multâ ærugine fœtos,
Æraque, & accenſi robur nimis acre metalli
Flamma ciet ſubigens, vernantibus herbida ripis
Threiicios latè tum funditur unda per agros.
Nec te præterea ſuſpenſum cauſſa moretur,
Hærentemque velit, cur tandem Saxonas inter
Luteus auratâ ditans aſpergine campos
Ochra fluat; [b] celſo Rameli [c] namque fluentem
Vertice, dum ſpargit, cognominis Ochra colorat.
Sic eadem multis ludens Natura figuris
Sedula diverſos diſcriminat illa liquores.
Qualis Apelleâ fulget qui clarus in arte,
Æquora dum canis ſpumantia fluctibus, & dum
Ger-

(a) *Neuſola*. De Neuſolâ, & ejus aquâ in Daciâ Thraciæ, quam vulgò Tranſylvaniam vocant, ad montem Carpathum, agit Bacc. lib. 6. c. 16., & alibi. refert etiam loc. cit. Georgium Reychersfdofferium Tranſylvanum, qui de Aquis ibidem vireſcentibus tractat; aitque locum locupletiſſimis æris fodinis, quæ Regiæ appellantur, fœtum eſſe. De hoc etiam ſcripſit Vernherus *De Rebus Pannoniæ*; ut idem Bacc. l. 5. c. 12.

(b) *Ochra*. De Fluvio hoc Bacc. l. 1. c. 14., & in Saxoniâ eſſe aſſerit. Ochra porrò dictus ab Ochrâ foſſili, quâ abundat.

(c) *Rameli &c.* De Monte hoc idem Bacc. l. 6. c. 7., illumque ad Goslariam ponit.

(a) Hæc

Germina, seu campos, & aprico vertice colles,
Seu picturatis referat fera prælia telis:
Ille alios super, atque alios inducit, & addit,
Et variat, rerum formâ variante, colores.
Sat comperta tamen fuerint nisi cuncta: latetque
Si quid adhuc; & nosse velis quo cætera pacto
Fossilia irriguos tingant serpentia rores;
Hæc tibi nostra suis collecta ostendet in arvis
Inarime: dum grata oculo lustrabis aquarum
Hospitia, & structas rimabere Fontibus ædes.
Hæc sunt quæ memori [a] cupiam te mente tueri,
Carole, Franchiadûm soboles: cui multus avitæ
Stirpis honor: multas generosa per atria ceras
Perlegisse dedit, nitique ad grandia virtus.
Quem veteris doctum Monumenta Matheseos [b] olim,
Quindenæ comples brumæ dum frigora, Siren
Palladio stupuit meritum certamine palmas.
Quem modò non Latio tantùm sermone madentem
Novimus: at culti pariter novere Britanni,
Novit Iber, Senonesque, suis & vocibus uti
Teutones, Illyriique, & quos fovet Attica tellus,
Et quæ Threiicio paret regnata Tyranno.
Quare age, dum nostro teritur tibi semita campo:
Hanc ego te, per clara tuæ primordia famæ,
Horter inire viam, solidâque insistere plantâ.
Hoc tuus, hoc laxis attrito in pulvere habenis
Currat equus: mecumque eadem sentire memento.
Nec novus abreptum trahat ardor, ut invia quæras
Per loca ferre pedem; Vatis, precor, indue mentem,
Si

(a) *Hæc sunt quæ memori &c.* Alloquitur hic D. Carolum de Franchis Patricium Aquilanum e Comitibus Montorii.

(b) *Quem veteris &c.* Cum scilicet in Neapolitano Soc. Jesu Collegio Convictor adhuc quindennis *Physiomathematica Veterum Monumenta* publicè propugnaret.

(a) *Dul-*

Si quis amor: noſtriſque volens te junge Gamœnis.
Quo nunc Stagna modo vexent, libatave guſtum
Alliciant: dictis aures adverte, monebo.
Dulcia cur noſtris [a] Abucœtus [a] pocula labris
Miſceat, aut teter non parco triſtia ductu
Caſtilion; [a] Acidum cur hæc, potumve bibenti
Cur illa Auſterum, juſtove ingratior Acrem
Præbeat; & morem ſupra cur denique Pinguis
Unda fluat: cur Salſa illac, hàc Aſpera currat.
Primævâ erumpit quæcumque ab origine, nuſquam
Per ſe lympha ſapit; varios mixtura ſapores,
Pro variâ tellure, graves, eademque ſalubres
Indidit, & venas in ſe convertit; ut alter
Sicca magis, vel ſicca minùs calor [b] excoquit alter
Corpora: materie quæ mox fermentat in udâ.
Non aliter, lautas quàm ſi quis condiat eſcas;
Diſpariles diverſa tuo quas pruna palato
Præſtat, ut admotum variaverit illa calorem.
Non impune tamen [c] patiar præcepta ferentes
Hìc ſua, quos dubias docuit Cyllenius artes:
Lethaleſque (focis dum ſæpe errantia [d] cogunt
Sidera ſtillati pretium poſuiſſe metalli)
Ore bibunt fumos, animamque in ſulfure ponunt,
Res ubi per flammas elementa in prima reſolvunt.

S Mul-

(a) *Dulcia cur noſtris &c.* Octo prima ſaporum genera in Aquis ex Galeno hìc recenſentur: nempe Dulcis, Pinguis, Acer ſive Acutus, Salſus, Acidus, Acerbus, Amarus, Auſterus. Conſulatur Bacc. lib. 1. cap.11. Plin. lib. 15. cap. 27. tredecim omnino ſpecies enumerat in Vinis, Lacte, & Aquis; quibus ſapor omnis adventitius eſt. Quid Abucœtus, quid Caſtilion, habes *In Not. l.1. pag. 7. lit.c., & pag. 23. lit.g.*

(b) *Sicca magis, vel ſicca minùs &c.* Eſt hæc opinio Ariſtotel. 2. *Meteoror. Text. 26.*, ubi Saporum omnium cauſſam dicit eſſe Ignis virtutem inexiſtentem rebus, ut ait, & ingenitam & diverſitatem a minori, vel majori concoctione derivari.

(c) *Non impune tamen &c.* Chymici hìc deſignantur, qui appoſitè Chymicam a Mercurio edocti dicuntur: & horum ſubinde exponitur, & refellitur opinio de Saporibus.

(d) *Errantia cogunt Sidera &c.* Recolantur dicta *lib.2. pag. 101., & ſeqq.*

(a) Nec

Multiplicem ſapidi nequidquam corporis optent
Hi ſpeciem retuliſſe: Salis quòd diſſita nexum
Humida diſcutiant; vinclis tum quippe ſolutis
E patrio emergit Sicco: tum denique liber,
Prævalidas promens roranti aſpergine vires,
Dilutus de more dapem Sal applicat ori;
Præcipuè incoctam ſi ſpargat Hydrargyron : & ſi
Hanc opere in tanto partem ſibi Sulfura quærant.
His etenim, velut igne, latens Salis excita virtus,
Non uno afficiet condita obſonia ſenſu.
Nempe alia, atque alia ut rebus plerumque redundat
Aſperitas, alios ſentire, alioſque licebit
Expertos linguæ per tacta foramina ſuccos.
Cuſpidibus nam crebra ſuis, hamove tenaci
Cum rigeant inſtructa, aut ſint mucrone retuſo
Lævia, ſive alias habeant corpuſcula formas;
Hinc, ut inæquali feriuntur guttura tactu,
Proh quantùm varii tractantur in ore liquores!
Stet licèt hæc multis recto ſententia talo:
Acceptamque tibi referant, Ars chymica: votis
Non tamen arriſit: non hujus caſtra ſecutus
Militiæ: placuit non his mihi teſſera ſignis.
Nec modò, deſpecti [a] riſit qui fulmina cœli
(Impia dum, Divûm pulsâ pietate, coegit
Memmiaden documenta ſequi) diverſa ſaporis
Hinc genera edoceat, ſpecies hinc dicat haberi:
Quòd vulgò ut diſtant mortalia corpora membris:
Diſſimileſque artus circumtextura coërcet
Diſſimilis: differre etiam ſic ipſa neceſſe eſt
Semina. principiis atque hinc diſcordibus, inſint
Mul-

(a) *Nec modò despecti &c.* T. Lucretium Carum Philoſophum Epicuri ſectatorem Memmio Civi Romano clariſſimo libros ſuos inſcribentem deſignat Auctor: ejuſdemque ſententiam de Saporibus exponit, ut illa habetur lib. 4. ejuſdem Lucret.

(a) *De-*

Multa canaliculis par est intersita raræ
Intervalla, viæ, seu claustra patentia linguæ:
His majora, aliisque minora Animantibus: atque his
In simplex dissecta quadrum, sinuatave in orbem,
Aut triquetra, aut aliis quædam multangula, qualis
Extima multimodis fuerit positura figuris.
Sic, ut aperta madent variantis pulsa palati (tant
Texta cibo: ut fauces nunc hæc, nunc illa frequen-
Corpora, Mopsopium stillant lævissima nectar;
Aspera sed contra gustu pars torquet amaro.
Per juga Pieridum, nulli detrita Priorum,
Qui se ferre pedem jactavit: & integra Cirrhæ
Flumina non aliis libata accedere labris:
Ille hæc inflatis resonet per compita buccis,
Si qua fides: si nulla sacri reverentia Veri;
Sic populis mendax, vulgoque imponat hianti.
Namque suâ positæ pateant in luce, probentque
Res mihi cum se se: quid noctem effundere rebus
Coner, ut in medio caligent lumine gentes?
Utque tibi abnormes fugienti ediscere caussas
Cognita clarescant, quæ jam latuere; remoto
Ut pelago noscas quî celsis edita Najas
Collibus, Jonii ceu Nereis incola ponti,
Salsa rigat terras: hæc nostra ad carmina mentem
Adijce, tum voti mecum gratabere compos.
Subter enim cum nulla solo defossa cavernis
Deliteant spatia [a] ampla undis saturata: nec inde
Proveniant faciles, natali ut Fonte, liquores.
Nec segetes [b] fœcundet aquâ qui conditus antris
Paulatim in pluvios aër dissolvitur imbres,

(a) *Deliteant spatia &c.* Commune nimirum Aquarum Receptaculum, quod Abyssum Veteres, & præsertim Ægyptii appellabant: situm intra Terræ viscera, unde aquæ omnes erumperent.

(b) *Nec segetes &c.* Fuit hæc Aristotelis opinio l. 1. *Meteor. Tex.* 13.

(a) *Cum*

Inclusum terris cum frigus inhorruit: & cum
Diffluere e scabris versum jubet aëra saxis.
Cum neque [a] ab effusis, hyeme impendente, pruinis,
Sæpe procelloso mittunt quas nubila cœlo,
Nostra suos habeat fontesque, & flumina Tellus.
Nec glacies, [a] quæ forte jugis induruit altis,
Effluat æstivis resoluta caloribus: unde
Occultum diducta cavi per viscera montis
Quærat iter, spargatque imas humore lacunas.
Cum proprium [a] repetant genus alto a gurgite Fon-
Oceani, & clarâ genitoris laude fruantur; (tes
Hos eadem Oceani quidni tibi reddere salsos
Unda queat? latos nam terræ ingressa canales,
Vix cursim attactis vitium non tergit eundo
Pumicibus: medio sed tum velut æquore manat.
Quin etiam, ut glaucis desit mare fluctibus, ipsâ,
Quà venit, ab tellure sales hausisse putandum est:
Fossilibus quando salibus vel Terra redundat.
Serpentem angustis, pressumque in faucibus imbrem
Excipe, si crassæ cupias contagia venæ
Deposuisse: animos tandem sic ille marinos
Exuet, arctato dum subterranea lapsu
Invadens vel saxa terit, vel lubricus errat,
Perque reluctantes incursum obliquat arenas.
Tunc alienigenæ, patrio quæ nescit ab ortu,
Adsciti Conjuncta salis, sordesque repurgat:
Sobriaque instructis onerat carchesia mensis.
Quod nisi nunc Thermis pigeat, Stagnisque relictis
Aonio breviter docilem te sistere Phœbo:
Inventas diluta canam quas lympha per artes
Antiquam salsi labem discusserit alvei.

Plu-

(a) *Cum neque ab effusis &c.* Aliorum sententiæ circa Fontium Aquas, & propria, penè communis, exponitur. Legatur *Anotomia Hydrostatica* P. Gasparis Schorti Soc. Jesu, Cabeus *Tom.1.q.1.in Tex.62. Meteor. Arist.&c.*

(a) Le-

Plura quidem artifici priſcis conamine ſeclis
Tentamenta, quibus regno prope ceſſit avito
Doris amara: ſuis nec ſe ſe agnovit in undis.
Lanea principiò, [a] ceu tum præluderet ætas,
Vellera per totam multis expandere puppim
Mos fuit: exhauſtis quæ poſtquam aſperſa propinqui
Halitibus maduere maris, tunc ilicet humor
Exprimitur, grato qui cymbion expleat uſu.
Pila etiam [b] e cerâ placuit, quæ concava jactis
In mare reticulis miſſa eſt; vel inania clauſo
Figlina vaſa [c] ſinu, ſtagnis ut merſa profundi
Ebiberent terſas per cæca foramina guttas.
Namque arctos ceræ ſubtilior unda meatus
Dum ſubit, illimes poſitâ ſalſugine partes,
Cæruleæque trahit ſecum nil fæcis habentes.
Utque per argillæ venas qui permeat amnis,
E ſcatebris quamquam ſalſus, dulceſcit: ab ipſo
Sic pelago lenes guttatim exſugere rores
Fictilia in Nerei potuere latentia campis.
Sed conſtare ſibi non hæc te judice credam,
Quem mea formatum juvenili ætate fovebit
Exedra; Socraticæ dederit ſi culta Palæſtræ
Ingenio Natura tibi prævertere metas,

An-

(a) *Lanea principiò &c.* Hæc ex Plin. l.31. c.6., ubi ſic. *Quia ſæpe navigantes defectu aquæ dulcis laborant, hæc quoque ſubſidia demonſtrabimus. Expanſa circa navem vellera madeſcunt accepto halitu maris, quibus dulcis humor exprimitur.*

(b) *Pila etiam &c.* Refertur hoc etiam ab eodem loc. cit. his verbis: *Item demiſſa reticulis in mare concava e cerâ pila.* Inventum hoc tribuitur Ariſtoteli, qui *Meteor. l.2. tex.24.* ſic habet: *Si vas cereum formans poſuerit in mari, circumligans os talibus ut non illiqueſcat aquâ maris: quod enim ingreditur per parietes cereos fit potabilis aqua: tanquam enim percolatum, quod facit ſalſedinem, ſecernitur.*

(c) *Figlina vaſa &c.* Tertius hic modus a Plin. etiam loco cit. habetur: Putat enim eo pacto dulceſcere intra vas figlinum Aquam maris, ut hanc credidit dulcem in Fontibus reddi ab argillâ. Duos hoſce modos reprobat Cabeus *T. 2. in Tex.24. Philoſophi:* Primò quia nõ videt quomodo partes ſubtiliores aquæ poſſint ceram pervadere. Secundò quia experientia docet, ſalem in vas teſtaceum etiam penetrare.

(a) *Hinc*

Annorumque moras; alium vis indita menti
Explicat, & facilem signat benè provida callem.
Hinc fortasse [a] magis modus ille arridet, amaros
Dulcia Nereidum vertendi in pocula fluctus;
Æquoreo vitream si postquam expleveris urnam
Gurgite: & impositi dein hæc tibi tegmine coni
Clausa, liquet vapidos subjectis ignibus imbres;
Tunc penitùs Vitri fundo sal omnis in imo
Hæret iners, superas impar ascendere in auras,
Nativo lentore tenax; tunc purior altum
Pars petet, & duro posthac immunis ab haustu
Blandusiæ liquidos imitabitur altera mores.
Ignotos hâc arte Tagi parat accola potus,
Puppibus Eoam dum circuit Amphitriten;
Hâc Tamesis qui Fonte madet; sic nautica longam
Fallit turba sitim, pontum cum nulla coërcent
Litora: longinquis nec aquandi copia terris.
Nec me quorumdam [b] latuere inventa, sequestro
Qui sabulo sordes, Saturni aut calce [b] marinas
Eluere, effusoque volunt detergere aceto,

Dum

(a) *Hinc fortasse &c.* Modus facilior vertendi aquas salsas in dulces exponitur, quem refert Cabeus *T.2. in Text. 26. Meteor. Arist.* Per vitreum elambicum, ut ajunt, igne supposito. Id a Lusitanis in Indicis navigationibus usu receptum asserit. Apud Anglos itidem in more positum narrat Boyle in *Tract. de Salsedine Maris sect. 1. c. 2.*: confirmatque ex literis celeberrimi olim Navarchi Riccardi Havvkii Equitis, qui sub Elisabethâ Classi Indicæ præfuit. Hoc ipsum ex relatione Linschotani approbat G. G. Leibnutzius *In Meditatione de separatione salis, & aqua dulcis.* Ut *In Act. Erud. Lips. An.* 1682. *pag.* 386.

(b) *Nec me quorumdam &c.* Quatuor alii modi eluendi aquas marinas. Primus, percolando illas per sabulum; ut laudatus G. G. Leibnutzius loc. cit., *Ex actis Lipsia* relatis. Secundus, Saturni calce, hoc est Cerussâ aceto exstillato calcinatâ. Tertius, mixto Lithargyro, qui a Plin. lib. 33. cap. 6. Argenti spuma dicitur; & triplicis, ut idem ait, generis est: Chrysitis, quæ fit ex Auro: Argyritis, quæ ex Argento: & Molybditis, quæ ex Plumbo. Quartus denique ex eodem, per Cadmiam, sive Cadmeam (quam & Calaminam, seu Lapidem calaminarem dicunt) non metallicam, de quâ *In Not. lib. 1. pag. 6. lit. e.*, sed lapidosam, metalli expertem: quæ repetitur in metallorum fodinis: subflava, non admodum dura: luteum, dum accenditur, emittens fumum. Per hanc igitur in aquas infusam dejecto sale ad imum vasis, depurgatur liquor.

(a) Vos

Dum salibus tractim stillans secernitur, & dum
Mitior, atque alium ducit maris unda tenorem.
Et procul a cyathis quandoque Lithargyros [b] egit,
Flavaque amaritiem Cadmea [b] injecta removit.
Classica sic fessis aberunt incommoda nautis,
Cum potûs prædura nimis penuria cogit
Penè extrema pati. structâ sic tutior Alno
Institor in Sindas vehitur; semotaque longè
Alter io Alcides auro loca fœta, novasque
Hesperidas, Phasimque Argûs petit æmula Pristis.
At medio quæsita salo me dulcis aquarum
Copia deficiat quamvis: vicinaque nullos
Arva ferant fluvios, nec amico torrida nimbo
Ora levent, ubi summa sitim collegerit æstas:
Non opus est tantis ut multa laboribus emptos
Ars latices fundat, purosque resolvat in amnes.
Est alio quod fonte bibat, quò navita currat:
Nulla licèt liquidum tellus mansuescat in usum,
Et nusquam injussi manent prope cærula rivi.
Vos placidi propter [a] salientes litora ponti
Testor, Aquæ, Centum gelido quæ gurgite Cellis [b],
Et salebras deductæ inter, nemorumque latebras
Imbriferas reserastis opes; defossa repostis
Dum veniens peregrina Cavis huc labitur, atque huc
Pendula centenos summittitur unda per arcus.
Ut saliunt! lætoque sonant ut murmure Fontes
Arte liquescentes nullâ! præit ilicet artem

Vel

(a) *Vos placidi propter &c.* Fons nimirum aquæ dulcis ad Centum Cellas per Aquæ-ductus 23. milliarium spatio elapsis annis adductus operâ nunquam satis hactenus pro merito laudati Eminentissimi Principis Benedicti Pamphilii S.R.E. Card. amplissimi.

(b) *Centum . . . Cellis &c.* Centum Cellæ. Ital. *Civita Vecchia*, Urbs Pontificiæ ditionis in D. Petri, ut ajunt, patrimonio, ad maris Tyrrheni litus sita: Trajano Cæsare Conditore celebris; hinc *Portus Trajani* dicitur a Ptolemæo, ut in Not. Cluver. *Introd. Geogr.* l. 3. c. 26. Centum Cellæ ab eodem Trajano dictæ a Centum cellis totidem triremibus excipiendis in portu paratis.

(a) *Dum-*

Vel ductu Natura suo; fœcundaque blando
Illa sinu scatebras, nullo impellente, ministrat.
Non, mihi si doctas & Smyrna, & Mantua vires
Sufficiat, veteresque iterum ferat altera lauros,
Altera fatidicis animet præcordia flammis,
Digna loqui te posse rear, cui prona jubenti
Fluxit humus, tumidisque lacus erupit ab antris,
O decus, o nostri pignus memorabile plectri,
Pamphilide, Heroum soboles: quem jure sub ortum
Fulgentem gentilis honos excepit in ostro;
Quem Vaticanis jam destinat alma Tiaris
Relligio: solioque volens immittit avito.
Dumque vocat reduces [a] consueta ad tecta Columbas,
Quæ ramo instructæ volitent felicis olivæ,
Omina pacis amat prætendere: cum fera terris
Aufugiet clauso tandem Discordia Jano.
Quæ tamen huc dociles flexu manus apta sequaci
Elicuit Latices? Tyrio-ne hæc flumina cantu,
An Geticâ venere lyrâ? num capta loquaci
Murmure Lesboi traxerunt carmina plectri?
Num tibi, purpurei lux o clarissima Cœtus,
Aurea Palladiis quo floruit artibus ætas
Auspice, num Thebæ, Rhodopei an Thracia Vatis,
An chelyn ingenti cum fœnore cessit Arion?
Te siquidem rupes, aliòque recedere jussas
Vincentem cautes, expugnantemque revulso
Vertice, te Fontes, & vitrea Stagna sequuntur.
Difficili nec saxa jugo, præruptaque cursum
Culmina, non valles, nec inhospita tesqua morantur.
Immemor unda sui, primosque oblita penates
Mil-

(a) *Dumque vocat reduces &c.* Reduces appellat Auctor Columbas: & versu præcedenti Vaticanum solium avitum: ut INNOC.X.P.M. ex eâdem familiâ significet, quæ Columbam ore olivam gestantem habet in Gentilitio Stemmate.

(1) Am-

Mille per anfractus, & montivagos labyrinthos
Carpit iter durum: & patrio se litore credit
Posse frui, quà læta tuo sub numine currat.
In te Cæsareos iterum præsentit honores,
Trajanum sibi nacta suum; quo Præside priscum
Ut stetit, æternum per Te sic rursus in ævum
Stabit opus: fatique minas contemnet, & iras.
Labere per virides fortunatissime campos,
Et Laticum, Fons alme, decus; tua dona Viator
Hauriat. hæc jugi dum pleniùs ubere fundes,
Quàm bene Pamphilidos censu prædivite gentis
Ingenium referes, Dominique imitabere mores!
Hunc ego clara Patrum vincentem exempla suorum
Concinuisse velim; totumque Helicona moventem
Me redeunte die, sero me vespere Titan,
Et memori exciperet certantem carminis œstro
Sebethum, Tiberimque novo conjungere plausu.
Ignarâ sed fila manu tractamus; inerti
Magna pudet tenuare lyrâ. Te magna canentem
Facta parem poscunt, Phœbeis addite fastis
Anniade; [a] solenne tuis nam grandia Musis,
Et resono Heroas modulari pectine: quando
Non tibi vulgares aptavit Fama cothurnos.
Hoc itidem auspicio felix, & ovantior altum
Calliopea petet, terrasque exosa relinquet:
Carminaque ad numerum lituo majore sonabit.
Parce, precor, Nymphe: mora longior arcuit oris
Si qua tuis: vatemque aliò dedit ire vagantem
Te procul, Inarime; placitâ me compede vinctum
Traxit amor: voluitque trahi captiva voluntas.
Tam mihi, tam Phœbo, fulget qui murice Princeps

 Dul-

(a) *Anniade*. Denotat hic Auctor P. Aloysium de Annâ Societ. Jesu olim in Neapol. Collegio Poëtices Professorem.

(a) *Nam*

Dulcè ſapit, tardos ut non tractare liquores
Poſt ego pertæſus verear: nam nectaris inſtar
Mox etiam propriis ſubamari e Fontibus amnes
Quærendi accedent, & triſtis origo ſaporis.
At non hìc, ſenſum Liquidi cur vexet amaror,
Cauſſa diu repetenda ſubeſt; nam ſalſus [a] ab igni,
Viſceribus qui ſerpit humi, ſi ferveat imber,
Phaſiaci referet contrita abſinthia Ponti,
Abrotonumque ferum, & mordentia Centaurea.
Vulcano ſiquidem cum ſæpe incenditur acri
Lympha, nec indomiti congreſsum ſuſtinet hoſtis:
In tenuem exhalat ſenſim reſoluta vaporem;
Dumque minor, reſidique latens uligine torpet:
Et fovet exſuccas tenui conamine fibras;
Tum verò has inter fluitat qui plurimus, & qui
(Vicino velut igne rogus, velut inter ariſtas
Neglectæ quandoque faces) Sal ardet: amaras
Hòc magis inſperſâ faciet ſalſugine: raptis
Quò magis exarſit ſubjecto in fomite flammis.
Vivida ut effuſus circùm præcordia ſanguis,
Dum nimis incaluit, tunc fervet amarior: atram
Vertitur in bilem; & multâ jecur intumet irâ.
Noſtra etiam [b] ſalſi torquebunt guttura potus,
Deficiat ſi flamma, & penè oppreſſa reſidat.
Triſtis amaritiem Stagno tum quippe tepenti
Sentiet unda ſuam, pars ut ſubcruda reliquit;
Quam coquere imparibus nequeat cum viribus ardor
Debilis: aut ſuperet Mixti cum fortior illo
Durities, tetro tunc lympha humore redundat:

Aſpe-

(a) *Nam ſalſus ab igni &c.* Prima cauſſa Amaritiei in aquis, ab igne ſubterraneo nimis effervescente: qui cum liquores ſalſos exſiccet, in amaros convertit. Vide Bacc. l. 1. c. 18.

(b) *Noſtra etiam ſalſi &c.* Secunda cauſſa amaroris, ab exiguo calore, qui partes ſubcrudas relinquit. Conſule Bacc. loc. cit.

(a) *Flu-*

Aſperaque indocili perſtringit vulnere fauces.
Solibus haud aliter quàm cum non coćta malignis
Poma per Alcinoi ſylvas ſubacerba palato
Guſtantum ſapiunt: ſuccoſque oblita priores
Degenerant; decepta ſuum nec ſervat honorem
Cruſtumiis Pomona pyris, teneriſque Falernis.
  Flumina quin etiam [a] cæcas ſerpentia terræ
Per foveas: clauſiſque ſolo ſic obvia tractim
Effluviis, aliter potuere ſubinde recenti
Fermento redolere; aliaſque ingreſſa lacunas
Credibile eſt alio linguam percellere ſenſu.
Salſus enim venis qui fluxerat ante, recurſu
Inde novo ſe Gurges agit; diverſaque labris
Pocula mutato ſitientibus exhibet alveo.
  Troglodytûm juxta fines, quà Phœbus ab axe
Altior Æthiopas flagranti ſidere torret,
Mirificis [b] (nec vana fides) Lacus æſtuat undis,
Inſanumque vocant; vario mutabilis ille
Ingenio, varios certâ nam lege ſapores
Præſtat: & alternis nunc hos, nunc induit illos.
Quippe ubi Sol terras oriens afflavit, amaros
Dat latices: medio ſed cum micat altus Olympo,
Liquitur in ſalſos: cœlo ſi lumina ferus
Heſperus oſtendat, dulci tunc gurgite dulces
Vertitur in cyathos, vitiumque emendat aquarum.
  Unde autem Auſteri, [c] vel Acerbi copia roris,
Aut Acidi, aut Pinguis veniat: quî Dulcis, & Acer

T 2 Fon-

(a) *Flumina quin etiam &c.* Tertia cauſſa a mixturâ diverſorum corporum.

(b) *Mirificis &c.* Fontis hujus, ſive Lacus, quem Solis dicunt, meminit Plin. l. 2. c. 106., & l. 31. c. 2.: additque l. 31. c. 2. *Inſanum* vocari: & ter in diem mutari.

(c) *Unde autem Auſteri &c.* Reliquos ſapores ab igne provenire cum Philoſopho aſſerit Auctor: prout magis, vel minùs adurit; prout hæc, vel illa foſſilia in aquis exagitat.

(a) *Chal-*

Fontibus accedat sapor additus; invia quamvis
Difficiles aditus, inconcessosque recessus
Abdiderit Natura, brevi tamen ordine pandam.
Terrenas nam clausa subit quæ flamma cavernas,
Ipsa eadem multos non uno e corpore succos
Exprimit. hinc Pingues dabit illa, Bitumine Sulfur
Cogit ubi exurens: ubi volvit Hydrargyron, Acres.
Hinc Acidos reddet Chalcantho incocta Trichitis. [a]
Qui sapor at mordax, aut qui perhibetur Acerbus,
Quique etiam Austeros effert potantibus amnes:
Hunc lapidum mixtura, hunc & Ferraria, [b] largè
Quà scatet exundans, atque hunc perfecit Alumen.
Pura sed a primo quæ vena eruperit ortu,
Hanc dabit illimi, fluvioque argilla salubri;
Qualem sæpe solo circùm pubente solemus
Despicere attrito stringentem jugera sulco:
Mulcentemque animi jucundo murmure curas.
His alii adjungent se se (prout dissita multæ
Temperies lymphæ sive hæc, sive illa) sapores.
Misy [c] etenim multâ dum se Chalcitide [c] miscet;
Tum Fortes volvuntur aquæ. Styptiria [d] Fontes
Imbuit, effusi vel creta Bituminis? albent,
Plenaque spumosi reddunt mulctralia lactis;
Lactis ut irriguos miratur Cardia [e] campos.
Stagna tibi vinosa fluent, ubi Stagna fodinis
Orta metalliferi spargat pars illa vaporis,

Quæ

(a) *Chalcantho incocta Trichitis.* De utroque Fossili, Vide *Not. l. 1. pag. 6. lit. b.*, & *pag. 22. lit. c.*

(b) *Ferraria &c.* Ferraria, nimirum Ferri fodina.

(c) *Misy ..... Chalcitide &c.* Misy, de quâ Plin. lib. 34. c. 12., Metallicum recrementum, cum Chalcitide natum. Chalcitis, de quâ etiam Plin. loc. citat., recrementum ejusdem generis, crassius Misy. dicitur etiam Arramentum rubrum, & Pyrites ærosus, æris speciem præferens.

(d) *Styptiria.* Styptiria, Alumen est, ut in *Not. l. 1. pag. 23. lit. d.*

(e) *Cardia &c.* Cardiæ Aqua calida saporis lactei in Chersoneso Thraciæ, ut Bacc. l. 1. c. 12.

(a) *Lym-*

Quæ violenta magis, quæ permeet acrior undas.
Hâc temulentus aquâ Macedûm Lyncestis [a] oberrat
Pascua: fœcundo quas qui cratere meracas
Ebibat, hic madido succumbet victus Jaccho:
Ebriaque incertis flectet vestigia plantis.
Tales Bacchei [b] spargentes limina Templi,
Fundentesque merum Latices sub frigora Jani,
Andron Fama canit Patri sacrasse Lyæo.
Sed neque sensiferûm species, nec multa saporum
Nomina, non caussæ quæ fiat, meus audet Apollo
Concinuisse; velit si quisquam hæc noscere, noscet
Hic priùs, & numero poterit comprendere certo,
Quot lacrymis irroret humum Titonia conjux,
Dum dolet Argolico confossum Memnona ferro;
Aut, ubi somniferos torquet nox humida cursus,
Sidera quot Vesper nocturno accendat Olympo.
Quid me igitur placido raptum de litore molles
Trans Arabas novus ardor agit: sparsasque per æquor
Cycladas, & Rheni trans ostia, transque nivalem
Æmathiam, & patrio voluit deducere cœlo?
Una (licèt tellus mihi nulla externa petatur)
Ænaris una meis quæsitam versibus addet
Ora fidem: collecta suis nam plurima servat
Æriferis fermenta Cavis, & plurima flammæ
Semina: quæ liquidas passim subeuntia venas
Innumeros promunt diverso ex igne sapores.
Horum ubi per notas repetes primordia caussas:
Quod nempe, ingenitâ dum se virtute refundit,
Fossile perficiat: fracto vel acumine turbet;

Sin-

(a) *Lyncestis &c.* Lyncestis Macedoniæ fluvius, cujus Aqua epota ebrios reddit: ut Plin. l.2. c.106.: & Ovid. *Metam. lib. 15. Fab. 5.*

(b) *Tales Bacchei &c.* Fons in Andro Insulâ, prope Templum Bacchi; eidem sacer: qui, ut Plin. loc. cit., quotannis Nonis Januar. vini sapore fluebat.

(a) *Nam*

Singula mox oculis subjecta fidelibus ultro
Inspicies, se se dum sensibus obvia pandent.
Namque Color, namque ipse Sapor, Frigusque, Calor.
Atque idem non semper Odor, Pondusq; Notanti (que,
Certa dabunt documenta, quibus clarescere origo
Possit, & affectæ manent quo corpore lymphæ.
Avia sed quando non se Natura liquorum
Prodidit; &, multo quamquam tentata labore,
Haud mixtura liquet; cum qui subtilior imbres
Halitus illimes afflat, ceu corporis expers,
Intentas oculorum acies, & lumina fallat;
Abdita tunc alio e latebris molimine quæram
Eruere, & penitas conabor discere fibras.
Nam mihi, Septembres postquam venere Kalendæ: (a)
Tunc, priùs æquales Titan quàm fecerit horas;
Et totidem luci, totidem diviserit umbris;
Non percepta soli tunc vestiganda liquentis
Dona; sed ante, tuos pluvio quàm nubila cœlo
Acta superfusis inspergant imbribus agros.
Ergo, renascenti noctem cum dispulit astro
Lucifer (intacto nam tum fluit unda meatu,
Quem Natura dedit) riguo te Fonte lebetem
Explevisse velim, subjectisque urere prunis.
Perveat ille tamen justo sic tempore, donec
Dimidio siccentur aquæ: ne fortè recedat
Omnis, & in vacuas abeat ne spiritus auras
Indeprensus adhuc. reliquæ pars coctilis undæ
Protinus excitos exhalat ab igne vapores.
Tunc & odoratu subitò sensisse licebit,
Quæ gremiò Ænarie foveat: quibus imber abundet
Fossilibus: Nitrum-ne magis, tetrum-ne Bitumen,
An

(a) *Nam mihi Septembres &c.* Hos, & alios modos ad investiganda Fossilia aquis immixta, habes penès Bacc. l. 2. c. 4.

(a) App.

An ne Apyrum,[a] an faturos diffundat Alumine odores?
Ipfe etiam, medio qui tum fubfidet aheno,
Limus iners tibi figna feret; dum pondere preffus
Labitur, & lapfu fubter ftagnante refiftit.
Æquoreâ fedenim latices falfugine fœti,
Albentem pofuere fcobem: qui fulfura celant,
Putida liventis linquunt purgamina fæcis.
Qui Cyprio multùm ære fcatent, hi forde refidunt
In viridi, æftivis quæ Solibus ufta nigrefcit.
Dant rubra immixti ferro: dant livida plumbo
Recrementa; aliis, aliifque metallica fubfunt:
Ut fuffecta fuis emergit vena fodinis.
Sic demum edoctus, certo velut indice, difces:
Quos tulit illa habitus, patrioque e gurgite mores.
Id tamen [b] at multis expertâ indagine folers
Affequar: immundos bibulo fi gaufape rores,
Quod teretem affimilet converfo turbine conum,
Excipiam; proclivis enim eluctabitur omnis
Tunc humor, guttifque ibit per cola profufis:
Multaque confperfo ftagnabit glebula fundo;
Quæ tibi quæfitum fua per veftigia tandem
Una dabit fpecimen. ramentis namque retectis
Mixtaque conftabunt, & aquæ natura patebit.
Sat mihi præterea notæ [c] experientia Virgæ
Exploratæ aliis vetitas deprenfa per artes,
Auctu-

(a) *Apyrum*. Vide *Not. pag.* 23. *lit. e.*

(b). *Id tamen &c.* Modus ad dignofcenda eadem Foffilia per Filtrationem, ut ajunt.

(c). *Sat mihi præterea &c.* P. Gafpar Schottus Societ. Jefu in fuo *Thaumaturgo Phyfico*, five, *Magia Univerfalis Naturæ, & Artis, Par.* 4. *l.* 4. *Syntag.* 4. *De Sympath., & Antipath. quarundam Plantarum c.* 1. *De Sympathia virgæ coryleacea cum metallis*, ufum hujus virgæ in metallis quærendis reprobat: Multofque refert id ipfum fentientes: inter quos Agricolam, Athanafium Kircherium, aliosque. Nec vim a naturâ inditam ad id recognofcit in virgis: fed vel Cafui, vel Dæmonis operæ attribuit. Metallofcopi verò pro licito ufu ftant; multa tamen requirunt, ut Virga virtutem exerat; inter cætera, ut bicornis fit, ut pugno ambarum manuum conftringatur &c.

(a) *Vi-*

Aucturis male parta sacro patrimonia censu;
Nusquam tuta tamen, nunquam tractabilis ullâ
Visa manu, admisso faciet quam crimine sontem.
Scimus, ut arboreo dissecti e stipite rami
Indicis officium subeant: cum nempe bicornis
Virga manu regitur, pugno constricta tenaci.
Sic facili ostendet ductu quà multa metalli
Vena latet, diti vel quà tumet ubere tellus;
Fossor ubi effractis violento vulnere ferri
Visceribus terræ latet obrutus: unde reverti
Si liceat, fosso redeat male concolor auro.
Novimus indocti plausum captantia vulgi
Plurima, quæ triviis vanus dispergat Aruspex.
Ut corylo argentum respondeat: æraque monstret
Fraxinus: ut plumbo piceaster adhæreat albo:
Ut ferri immersum caveis tibi denotet aurum
Virgula. nam plures postquam descripserit orbes
In gyrum revoluta, acie tum versa quiescit,
Atque affixa hæret, partique obvertitur illi,
Quæ sperata diu, quæsitaque dona recludet.
Parrhasiam qualis Magnetica fertur ad Arcton
Cuspis ubi, & notis indulget amoribus: unum
Illa polum repetens, unam circumvaga metam
Quærit amans, Helicemque suam, sua gaudia, poscit;
Donec ad optatos cœli conversa Triones,
Sidere læta suo, votisque immota fruatur.
Secta metalliferas ita quærere Virga latebras
Dicitur, injusso rapitur quò nescia motu.
Hoc Natura parens, aut hoc præsentia ramos
Ingenio induerint cantamina: tu tamen usus
Hos fuge; namque dolis isthæc obnoxia semper
Alea; nec magicas præstat prædiscere fraudes,
Tænariosque dolos, percussaque fœdera Diti:
Primigenas retegant ut cognita balnea partes.

Sat

Sat tibi continuo Veterum ſudore paratis
Ulter exemplis: varias & noſcere cauſſas,
Quo gens culta modo multos experta per annos
Edidicit ſolidis olim deprendere ſignis.
Quid male turbineam fragili tentare Charybdim
Puppe ſuper Piſcator amat, qui tuta propinquo
Solvere lina mari potuit, prædâque potiri?
Demens! ad rectam qui non explorat amuſſim
Sedulus Inventa, & fidei ſuſpecta requirit.
At quibus arridet ſubtiliùs intima rerum,
Et ſedet hæc animis acie luſtrare magiſtrâ:
Aucta recèns aliam dedit his induſtria mentem.
Vitrea [a] (namque operi genus id magis apta putan-
Ærea dum, ſimili vel quæ compacta metallo (tur:
Vaſa, recremento fallunt tentamina multo)
Vitrea bina legunt: capiant quorum altera lympham:
Altera, quos fervens exhalat lympha, vapores.
His anguſta nimis longo extenduntur hiatu
Colla, ſinuſque capax diſtortum turget in orbem.
Tum denſo leviſse luto: tum naiada Vitro
Ingerere, immiſſos Foculi quod perferat ignes,
Profuerit. gemini hinc atque hinc ſimul utraque vaſis
Oſcula nectuntur, cœno ſed perlita: ne qua
Forte interclusos effundat rima liquores.
Hos habili ſubjecta manu Fornacula tandem
Excoquit. excitis ſpumant dum Vitrea bullis
Turgida, quæ gravidam præbent humoribus alvum:
Fœta vaporato ſtabunt tunc altera fumo:
Quò facili irrumpet per colla innexa meatu.
Excipulo gelidus qui circumfunditur aër
Fumiferam in guttas tunc ſolvet frigore nubem.

V Hæc

(a) *Vitrea &c.* Deſcribitur hic Vas ſtillatorium, ut ajunt, vulgò *La Storta*.
(a) *Præ-*

Hæc ubi, diſcuſsâ craſſi contage madoris,
Fluxerit in veterem Liquidi converſa figuram;
Arripe tunc, & rapta manu ſejunge remoto
Vaſa luto: pateris & mox inverge: profundent
Illimes terſo penitùs purgamine rores
Illa: ſed hæc denſo ſordebunt plurima limo.
His actis, deprenſa brevi documenta ſequentur
Tempore; quamque liquor noſtris vim naribus halat,
Quodque ſapit, tacto promet tibi ſigna palato:
Abditaque evenient genitalis corpora venæ.
Hos autem ſtillandi uſus, præceptaque claris
Divorum auſpiciis ad nos delata recenſet
Primitus antiquo vel Fama antiquior ævo.
Ætnæo hæc olim (ſi rite audita recordor)
Ignipotens Inventa prior Vulcanus ab antro
Extudit; æthereo fulmen dum forte Parenti
Cudit agens, triſidoque armat fera nubila telo.
Namque Omole, & totis afflata Ceraunia ſaxis
Ut tremerent, ruerentque gravi concuſsa ruinâ
Mænala: flammiferi tunc ſemina ſulfuris, atras
Miſcuit & pluviæ partes, & grandinis iras
Terrificas, Cœli, tempeſtatumque frementum
Sibila, & Alpino fœtas Aquilone procellas.
Interea admotis per ahena undantia flammis
Fuſa liquent dum cuncta, fluit ſubtilior inde
Spiritus; hunc tumidæ ſparſum fulgoribus æthræ
Fulminis infundit radiis, manibuſque ſuburget;
Lethiferum donec Steropis, Brontiſque caminis
Exit opus, quo ſacra Jovis vel dextra ſuperbit.
Verùm ubi nullus odor jacto ſuffimine, nullus
Vel ſâpor: indicium quæſiti Foſſilis edit;
Non alia in primis, multove frequentior uſu
Corporis immixti te certum regula reddet:
Alterius denſata ſitu, ſecretaque vaſis

Pur-

Purgamenta suo quàm si rimabere cœno,
Tunc etenim poterunt oculo discreta sagaci
Sub sensum cecidisse: notas hinc denique certas
Prodere, & occultæ speciem docuisse fodinæ.
Præsertim igniti [a] si quando lamina ferri
Partibus his, fundo quæ dudum hæsere sub imo,
Spargatur; tum Sulfur olens exspirat, & auras
Inficit; at Nitrum, vel quæ Chalcanthon, Alumen
Vel referunt, albo discissa hæc polline sidunt.
Salsa crepant sparsim fragmenta, Argilla quiescit,
Et Cinis, & Gypso Calx mersa: at cætera fæcis
Pars fluit in tenuem sensim resoluta liquorem.
Et licèt undantis non his manifesta metalli
Conditio patuisse modis tibi possit: aceto
Dilue relliquias, validi seu munere Bacchi,
Quod tibi stillicidj fervens labor extrahet, ut ter,
Vel quater ustrinæ violentum senserit ignem.
Olli ubi miscueris sordem, tunc sorde relictâ
Pura metalliferæ constabunt semina stirpis.
Quod sequitur, non unus aquas, non semper & idem
Afflat Odor. Tetro pariet nidore mephitim, [b]
Pollutasque premet nares graveolentior, ipsum
Plurima si putruit pars non digesta sub ortum:
Primaque nativo fœdavit corpora tabo.
Hinc rivos delata inter processit, & altè
Corripuitque Lacus, & olenti vestiit ulvâ.
Nec fluxisse semel lethali imbuta veneno
Dicitur; Herculeos ut quondam fluxit in artus
Didita, Nesseo venit quæ sanguine pestis.
Hoc mage, non cocti si depurganda metalli

 Ex-

(a) *Præsertim igniti &c.* Experientia hæc ex Bacc. l.2. c.3.

(b) *Tetro pariet nidore &c.* Teter Odor, Primò, ex Aristot.4.*Meteor.*, ex defectu concoctionis partium mixtarum in aquis. Secundò ab excrementis metallorum non coctis ab igne. Tertiò a sulfure, bitumine, &c. ut Bacc.l.4.c.6

(a) *Asphal-*

Excrementa rotet, Lacubus vel ſulfura vivax
Flamma bitumineis interſerat; ilicet omnis
Deperit illuvie virtus labefacta; putrique
Tabe ſalutiferum deperdunt Balnea robur.
Cerne, Palæſtinis Arabem qui finibus arcet,
Fluctibus obductum torpentibus Aſphaltitem; [a]
Cerne, licet, diæ vel nunc veſtigia flammæ,
Ultricis ſcelerum flammæ, quibus impia quondam
Fulmineaſque faces, meruitque & Numinis iras
Progenies (at tu Numen maleſana timeres)
Camporum in medio, piceæ ferruginis inſtar,
Putidus ille, ſitu lucem contriſtat inerti.
Arva Dicarcheo quondam funeſta Colono,
Bajarumque ſinus, Cumarum & terruit agros
Mortifero pædore gravis: dum paſcua circùm
Inquinat, & Volucrum vetat ire impune per auras
Agmina, qui reſonat facti de nomine Avernus. [b]
Nec minùs Amſancti [c] polluto vortice valles
Obruit unda nocens, turpi dum marcida fluctu
Eluctata ruit per hiulcæ viſcera terræ:
Infernaſque aperit fauces, atque oſtia Lethes.
At meminiſſe velit qui cætera, cætera mecum
Expediet Phœbus; Martis Symæthia [d] lucos

Seu

(a) *Aſphaltitem &c.* Aſphaltites celeber Judææ Lacus in Pentapoli, ubi olim Sodoma, nunc *Mare morto*. Nihil præter bitumen gignit, ut ipſum nomen ſonat: ἄσφαλτος quippe Latinis bitumen. De hoc Plin. lib. 5. c. 16., & Strabo l. 16.

(b) *Avernus*. Avernus, Lacus in Campaniâ, inter Bajas, & Puteolos. Etiam nunc *Lago d'Averno*, & *Di Tripergola*. Avernus porrò ab Ἄορνος, ex α privativo, & Ὄρνις, Avis: hoc eſt ſine avibus; talem enim olim expirabat mephitim, ut ſuper illum aves impune volare non poſſent; quod tamen inter fabulas reponit Strabo. Nunc verò non ita. Vide *l. 6. p. 303.*; cauſſamque diſcriminis reddit Servius in *Æn. 6.*

(c) *Nec minùs Amſancti &c.* Amſancti Vallis, vulgò *La Valle di Fricenti*: ut ex Sanfelicio Ferrar.: Locus in medio Italiæ apud Hirpinos, aquis adeò peſtiferis ſcatens, ut accedentes perimat; ex quo inibi fictum Inferorum ſpiraculum.

(d) *Symæthia &c.* Symæthus Siciliæ fluvius, Indig. *Jarretta*, & aliis *Fiume di S. Paolo*: inter Catanam, & Morgantium. Illum Virg. Æn. 9. circa Martis Lucum fluere aſſerit.

(a) *Flu-*

Seu circùm, gemini seu flumina pigra Palici. [a]
Seu quà finitimæ non æqua Pientia [b] genti
Stagna fovet, miseris vel non innoxia brutis.
Adde super Laticesque Gelæ, [c] Cyanesque lacunas [d]
Persephones furto celebres: quà Tartara, & Orci
Antra novo quondam patuere adaperta barathro.
Namque ferunt, [e] deprensa trucem Proserpina Ditem
Cum fugeret, Nymphas, Cyanemque in vota vocasse.
Tum Cyane, insontis casum miserata puellæ,
Nequidquam imbelli Plutona repellere dextrâ
Nititur, & tenues infirmo pectore vires
Opposuisse; moræ sedenim Saturnius ibat
Impatiens: validoque movet dum sceptra lacerto,
Tum Cyanes percussit aquas; exterrita furvos
Excepit Nymphe patrio cratere jugales.
Tunc via Cocyti facta ad regna horrida Fontem
Per medium: latè tunc Fons Phlegetonte refuso
Lurida Tænarii retulit contagia Stagni.
Ex illo, tacitis dum fletibus ora liquescunt,
Ossaque mollitis abeunt evanida membris
In latices, lymphâque fluunt pro sanguine venæ:
Hæsit aquis Cyane, nec se se agnovit in illis;

Quas

(a) *Flumina pigra Palici &c.* Palicorum Lacus, Indig. *Lago di Naptbia*, teste Fazello, inter Leontinos, & Menas in Siciliâ, a Palicis gemellis fratribus, Jovis, & Thaliæ filiis nuncupatus: superstitione, ac Poëtarum fabulis celeber. Consule Bacc. l. 4. c.8.: Scatet nunc tribus fontibus, quos *Naphtias* Incolæ dicunt: frigidas quidem, & putidas habet aquas, sed aliquibus morbis salubres.

(b) *Non aqua Pientia &c.* Pientia, Ital. *Pienza*, a Pio II. P. M. dicta: olim Corsinianum; in colle, & agro Senensi: ubi lacunæ frigidæ ebullientes aquâ animantibus omnibus noxiâ: ut Bacc. loc. cit.

(c) *Laticesque Gelæ &c.* Gelas Siciliæ Fluvius, vulgò *Fiume di Terra Nova*: ut Cluver. lib. 3. cap.41., non longè ab Urbe olim Gelâ, ubi nunc *Alicata*, teterrimum odorem emittens. Vide Plin. l.4. c.6.

(d) *Cyanesque lacunas &c.* Duos asserit Bacc.l.4. c.8. esse Fontes in Siciliâ sub Cyanes nomine, non procul a Syracusis, qui nunc Indigenis *Pisma & Pismotta*; Proserpinæ lacum alii appellant.

(e) *Namque ferunt &c.* Habes hæc omnia penès Ovid. *Metam. l.5. Fab.6.*

(a) His

Quas male fœdatas Erebei aspergine fellis
Odit adhuc, refugitque graves. hinc horrida vultu
Nec dilecta suo posthac arrisit Anapi.
Sed madidos quamquam tabo, illuvieque malignos
Terra Lacus, Fontesque sinu depromat inertes;
Non aliis contra deerit sua gratia Stagnis;
Cum vel odoratos videas hæc undique nimbos,
Et Cilicum lectas redolere fragrantia messes.
His fruitur: [a] sensus his blanda lacessere fertur
Fonte suo felix Regio, quæ culta renidet
Euphratem, Tigrimque [b] inter, queis nomina debet.
Hìc etenim [c] quondam peregrini ut litoris hospes
Forte sedet, ripasque premit Saturnia Juno:
Tunc ripæ, Hyblæis afflati & floribus amnes
Spiravere novos, primo ceu vere, vapores.
Has etiam Ausoniis [d] vel nunc illustria terris
Æmiliâ tibi sparsa viâ dant Oppida lymphas,
Multa ubi conseritur lacrymato camphora gummi.
Sic celebres olim Bajano in litore Fontes [e]
Commemorant, gratam fundentes naribus auram.
Et pariles, duplici pulsata Pelasgia [f] ponto,
Agricola excultæ quà conserit arva Methones, [g]
Præbet ab effossis putei penetralibus imbres:

Quos-

(a) *His fruitur: &c.* Describitur hìc Fons Chaburæ in Mesopotamiâ: de quo Plin. l.31. c.3. *Unus*, inquit, *in toto Orbe traditur Fons aquæ jucundè olentis in Mesopotamiâ Chabura: Fabulationem afferunt, quoniam eo Juno perfusa sit.*

(b) *Euphratem, Tigrimque &c.* Mesopotamia scilicet, a μέσον τῶν ποταμῶν, hoc est, media inter amnes, Euphratem, & Tigrim. Vide Cluver. *Introd. Geog. l. 5. c. 23.*

(c) *Hìc etenim &c.* Vide Not. super. *lit. a.*

(d) *Has etiam Ausoniis &c.* In viâ Æmiliâ, inquit Bacc. l.3. c.13., Sub Aquario oppido, aqua, quæ bibitur in Balneis Camphoram redolet. fusiùs tamen idem l.5. c.4.

(e) *Sic celebres olim &c.* Hoc ipsum ex eodem lib. 1. c. 13.

(f) *Duplici pulsata Pelasgia &c.* Pelasgia, Peloponnesus nimirum, Jonium inter, & Ægæum mare extensa. Ital. *La Morea*: quæ Pelasgia olim a Pelasgis incolis dicta est, ut Pl. l.4. c.4.

(g) *Quà conserit arva Methones &c.* Methone, vulgò *Modòn* in Peloponneso. Hìc, P. Arduino Soc. Jesu teste, in Not. l.31. c.3. Plinii, Puteus est aquæ Cyzicenum unguentum redolentis; aitque meminisse

illius

Quos inter talis volvit se fluctus odorum,
Cyzicos Æmoniis qualem jactabat ab oris.
Ipse etiam (quò luxus iners, mollisque voluptas
Non subit irrumpens?) genio blandita nepotum.
Certat Achæmenios imitari ars æmula rores:
Et segetes balinea docet retulisse Sabæas
Artifici medicata manu. Te namque severos
Oblitam Curios: claràque a stirpe parentum
Degenerem, his olim fama est te, Roma, [a] pudendis
Indulsisse modis; balano Nymphæa liquenti,
Mercibus aut Syriæ tunc cum maduere profusis.
Barbarico Arsacidûm tunc & rorantia costo
Labraque, & infectis sparsere sedilia muris.
Plurima sæpe suo Narcissina, [b] Susina [b] succo,
Irinaque, [b] & Cyprino [b] Mendesia [b] mixta fragranti
Magmata, in Asiacas verterunt balnea Thermas.
Romanos rerum Dominos dum vincere Tellus
Asia, & imbelli potuit submittere cultu.
Non tamen in Latiis carpenda licentia Stagnis
Tam mihi! cum serpens penetrarit in horrida Martis
Castra lues. jam tunc unguenta [c] exotica partum
Jus sibi quæsierant, nullo prohibente, sub armis;
Indignata nefas Soboles Mavortia quando
Horruit imbutos nardo, myrrhâque madentes
Profluere indecores durâ sub casside crines.

Quin,

---

illius Pausaniam In Messeniacis circa finem, & Athenæum l.4. pag.284.

(a) *Te, Roma, pudendis &c.* Apud Suetonium cap.37. de Cajo Caligulâ: Et de Heliogabalo apud Lampridium legimus amborum jussu delibutos balneorum parietes unguentis: ut odorem in corpora, quæ lavabantur, transfunderent. Testatur hoc idem de Cajo Principe, aliisque Plin. l.13. c.3.

(b) *Plurima sæpe suo &c.* Hæc, & alia multa unguentorum genera habes apud Plin. lib.13. cap.1.. Et Narcissina quidem, quæ ex Narcissi radicibus: ut idem lib.21. cap.19.; Susina, quæ ex liliis conficienbantur: Susa enim lilia Phœnicû linguâ appellantur. Irina, quæ ex radice Iridis, vulgò *Giglio pavonazzo.* Vide Pl.l.13.c.1.,& alibi. Cyprina, quæ ex Cypro. Mēdesia, quæ ab Urbe Mēdesio in Ægypto.

(c) *Jam tunc unguenta &c.* Consulatur Plin. l.13. c.3.

(a) *Nam*

Quin, bellatrices septem quæ collibus Orbem
Submisere Aquilæ, festis plerumque diebus
Turpatas fuso macularunt unguine plumas.
Scilicet hæc decuit victrices pompa: subactis
Gentibus, hæc merces, hæc præmia digna manebant.
  Fluxa sed artifici non hìc Myrothecia quæram
Luxurie: Natura suis dum provida me nunc
Allicit exspirans, captumque oblectat in undis;
Fluminaque Eoas Arabum redolentia fruges
Tot mihi Orontæo perfundunt nectare campos.
  Nec modò fatidicâ loquitur quæ Pythia lauro,
Non quærenda Tripus, ut odori caussa liquoris
Reddita, se tandem manifesto in lumine prodat.
Nam bene digestis [a] & rerum summa latentum
Partibus, & serpens terræ intra viscera præstat
Cuncta calor: tectis ingens dum clausa caminis
Corripit igne solum fornax, latebrasque perurit.
Tum commota diu, flammâque agitata perenni
Fossilia halantem fluido coguntur in alveo
Deposuisse animam, & bene olentis munera vitæ.
Ipse etiam, radios jaculatus ab æthere, Titan
Excoquere, & gratos poterit concire vapores,
Quos Nabathæa suis peperissent germina sylvis.
  Quæ tamen ut nullis pateant obducta tenebris,
Ars tibi, quæ flammis floresque exstillat, & herbas,
Hoc dabit exemplar, Verique in imagine figet.
Haud etenim absimili sub terram more, modoque
In scatebras infertur odor, quo sæpe rosarum
E foliis, calthâve humor factitius haurit.
Tunc ubi veris opes, per apricæ Chloridis hortos,
Aut juga Cecropij dextrâ populatus Hymetti,
Mes-

(a) *Nam bene digestis &c.* Caussa Odoris in aquis a perfectâ partium coctione per ignem subterraneum, vel per Solem.

(a) *Dum*

Messuit; inclusasque cavo Myropola metallo
Et gemere, & lento jussit torrerier æstu.
Sic vapor inde fluit, cum per frigentis aheni
Se convexa rapit, sursumque per aëra gliscit
Fumidus; effuso nam circùm algore solutus
(Quà via per vacuum patuit siphone foramen)
Guttatim Ambrosiæ riguos decurrit in imbres;
Quos neque thuriferis dives Panchaia lucis
Consita, Idumæo nec jactant balsama trunco;
Non Laser, aut miti pretiosius ambar amomo.
Lilia tunc violis, & bacchare zingiber, & tunc
Narcissusque, thymumque, & crispo cortice gaudent
Cinnama nativum phialis erumpere nectar,
Et saliunca, rosæque, & odoriferæ calaminthæ.
At non delicias Phœbo vacat ire per omnes,
Flora, tuas; sistamus. erit quàm grata laboris
Meta reversuris iterum, cum crastina primùm
Surget Eos! tunc poscet ebur, numerosque requiret
Inarime, & patrias rursum revocabit ad oras.
Interea tacitasque fides, citharamque silentem
Excipe, Lysiadûm PRINCEPS; tibi plectra resignat
Delius, ut fato per te meliore fruatur.
Auspiciis sic læta tuis & grandior ibit
Nomine: sic alios, Duce te, Phœbea recludet
Phœmonoë latices; vel quos meus haurit ab alto
Gurgite, patriciam dum proluit Annibal [a] urnam;
Austriaci seu clara canat præsagia partus: [b]
Seu Magni exortes CAROLI [c] velit ille triumphos

(a) *Dum proluit Annibal urnam &c.* Dux nimirum D. Annibal Marchesius, e Camerotæ Marchionibus, Patritius Neapolitanus, Auctoris olim in humanioribus disciplinis Auditor.


(b) *Austriaci seu clara &c.* Unum e laudati Ducis Operibus italo metro conscriptis, cui Titulus: *Poema per la nascita del Serenissimo Leopoldo Arciduca d'Austria, e Principe dell'Asturie.*

(c) *Seu Magni exortes CAROLI &c.* Alterum ejusdem Poëma, libris octo comprehensum, & inscriptum: *Carlo Sesto il Grande.*

(a) *Cri-*

Torquati vulgare tubâ, quos Cæſar ab ortu,
Quos tulit invictis noſtra hæc ad tempora ſignis.
Sive tubam Æſchyleo libeat mutare cothurno;
Atque iterum infelix ſcenæ reddatur ab Orco
Criſpus; [a] & attonitis circùm ſpectetur Achivis
Sanguine Achilleos placare Polixena [a] manes.

(a) *Criſpus &c.* Tragædias ejuſdem innuit Auctor: quarum prima, *Il Criſpo*: qui iterum ſcenis redditus dicitur, cum primò in illas a P. Stephonio Soc. Jeſu adductus fuerit. Secunda verò *La Poliſſena*.



INA-





Ant. Baldi In. et del. F. VI And. Maillar Sculp.



INARIMES

LIBER IV.



Oſtquam libratis non uno examine cauſſis
Eruta lympharum patuit Natura: ſuiſque
Exhibuit ſe nota Cavis; da, Phœbe, latentes
Scire poteſtates, & vitæ munera lymphis
Indita; Pæonios ut Stagna recludat in uſus
Inarime, medicoſque ferat Mortalibus imbres.
Tu mihi,quem Proavûm titulis famulantibus ambit
Partus Honor: propriis geſtit quem Gloria factis
Demeruiſſe; quibus læti vel ab æthere poſſint
Majores creviſſe tui: FORTISSIME REGUM,
Annue; quæque ſitim relevet, quæ mulceat æſtum,
Hæc quoque regales inter quæſita penates
Fonte tuo mihi vena cadat: potumque miniſtret
Blandiùs; æthereo cui non certaverit hauſtu

Immortale licèt dia inter fercula nectar.
Interea Latiis, age major Apolline, plectris,
Carminibusque fave: plectris bene cognita quando
Gaudet ovans, & carmen amat, quæ carmine virtus
Digna gerit: testesque cupit sibi jungere Musas.
Quæ mora? dum crebro repetit tua nomina plausu,
Ænariæ te redde meæ; solioque potitam
Redde chelyn; nam forte tuis tractata Camœnis
Grandior heroo didicit sonuisse cothurno.
Vestiganda tibi validæ miracula lymphæ,
Ni rennas; reparent ut amico balnea vires
Effluvio; ut vitium venis calor excoquat ægri
Corporis, & Thermis exsudet inutilis humor;
Utque calorificæ morbis medeantur Arenæ.
Quamquam o quid dubios Divûm sine numine calles
Ingrediar: nulloque priùs vestigia gressu
Trita velim premere, atque audaci insistere cœpto?
Tu modò, tu facili saxa inter inhospita cursu
Sterne viam: raptumque solo duc ardua tecum
Per loca, non humili per te subeunda curuli;
Te sequar, o nostræ meritò laus altera gentis,
Hesperii primùm, Cœli nunc Sidus Eoi,
Et decus, & castris honor addite Loyoleis,
Saberide: Oceani pulsis quem sæpe procellis,
Quem Stygii domitorem Erebi, Ditisque potentem
Gangaridûm fines, primique cubilia Solis
Indigetem sensere; aris cui plurima fumant
Thura: vel Arctoum fluctu quà Caspia Taurum
Perluit, auriferum vel quà Thetis haurit Hydaspem.
Ergo age, te tanti Numen, fidumque laboris
Auctorem accipiant Musæ. virtute tumentes
Hinc alià Inarimes fluxisse salubriùs Amnes,
Auspice te, discant. neque enim tua Numina pri-
Sentiet: imperio nam te venerata jubentem (mùm

Pa-

Paruit unda tuo : [a] tunc cum ſalſuginis expers
Temperat in medio prædulcia pocula ponto :
Enectoſque ſiti reficit : morboſque repellit,
Virtutem inſinuans. Tuque o, cui prima labantes
Firmat humi Tellus concuſſa tremoribus Ædes,
Borgiade; meritis Siren quem laudibus auctum
Rite ſuos inter celebrat, patria agmina, Divos:
Et tutelares obnoxia ſubſtruit aras. [b]
Tu quoque luctantem ſub iniquo pondere Vatem
Auſpiciis dignare tuis; atque omine dextro,
Alme, præi; mecumque Ægros miſeratus anhelos,
Da, precor, Ænariæ medicos ceciniſſe liquores.
Sed jam pennigero vectum per nubila dorſo,
Dum loquor, Inarimes volitans deduxit in Actam
Pegaſus: optatam præpes terit ungula metam.
Salve clara parens medicaminis Inſula: lymphis
Clara tuis: patrii tibi res, & Fontis honores
Ingredior: notas auſus contingere Thermas;
Pergameaſque [c] fero celebrata ad balnea leges.
Non ego nunc primùm tetigi tua litora: remis
Icta mihi hæc aliàs, aliàſque hæc unda phaſelo
Ingemuit: dum feſſa ſenex jactaret Opheltes [d],
Brachia, remigio fidens æquare Melanthum. [d]
Ah quoties teneræ primævo in flore juventæ,
Cum vix Palladias poſſem ſtudioſior artes
Excoluiſſe: aditus, & opacâ nocte ſilentes

Co-

(a) *Paruit unda tuo &c.* Conſule Lect. 2. Noctur. in Feſto S. Franciſci Xaverii, ubi ſic: *Tantum marina aqua ſigno crucis convertit in dulcem, quantum quingentis vectoribus, qui ſiti adigebantur ad mortem, diu ſuffecit: quâ in varias quoque regiones aſportatâ, Ægri plurimi ſubitò ſanati ſunt.*

(b) *Et tutelares &c.* Neapolis quippe D. Franciſci de Borgiâ patrocinium contra motus terræ experta, inter ſuos Patronos illum adſcripſit anno 1695.

(c) *Pergameaſque fero &c.* Hoc eſt Galeni medici, cujus Patria Pergamus.

(d) *Opheltes &c. Melanthum &c.* Nomina Portitorum, quibus uſi ſunt Pulcharellius Pæon. l. 1., & Giannettaſ. Nauticor. 4.

(a) Po-

Conor inire vias, latebrisque educere verum!
Multa movens animo, latices novisse salubres,
Ænaris Ora tuos, stabili fert corde voluntas.
Et licèt exiguam toties delusa secet spem
Hactenus, incœptisque magis mens ægra fatiscat;
Perstat adhuc, & magna audax invadere tentat.
Sæpe Pithecusas scrutatum balnea pernix
Cymba petit, repetitque: orsisque audentior ipsis
Sæpe redux iterum servata remetior. obstet
At labor, & cassis quamquam Sors invida votis:
Mutato tandem risit non aspera vultu.
Litoreâ tacitus nam dum spatiabar in umbrâ:
Ecce mihi ante oculos torto succinctus amictu
Pæonium in morem grandi Podalirius [a] ævo
Clarus: Apollineâ quo non præstantior alter
Et tractare manu, atque abstergere vulnera lymphis.
Limniace hunc olim genitum Vibonide, [b] litus
Tyrrhenum juxta: doctumque Machaonis artes
Excepisse sinu fertur: multosque per annos
Ipsa suos Fontes, vim Fontibus ipsa repostam
Inarime docuisse. Homines hunc Delius ultra,
Evectumque super patriæ fastigia sortis
Sustulit abripiens. olli sic abdita rerum,
Liminaque humanis patuere impervia plantis.
Tum verò, æquoreæ residens in margine ripæ,
Ut me conspexit properantem, & nota petentem
Litora, procedit: testatus gaudia risu

Ex-

(a) *Podalirius &c.* Auctor sub Podalirii personâ Julium Jasolinum Medicum Vibonensem repræsentat: qui ætatem penè omnem in Ænariâ consumpsit; miramque assecutus cognitionem Balneorum ab aliis, & ab ipso recèns inventorum, eruditam de his conscripsit Historiam; a quâ cum Poëta multa, & præcipua eruerit, meritò se doctum a Podalirio adhuc Adolescentem fabulatur.

(b) *Limniace hunc olim genitum Vibonide &c.* Vibone quippe, Ital. *Monteleone*, in Brutiis natus est Jasolinus. Apposite Matre Limniace genitus dicitur: utpote qui de Balneis tam solerter egit: *Λίμνη* porrò Stagnum Latinis sonat.

(a) *Atr-*

Excipit, & dictis senior compellat amicis.
Qui genus? unde domo? quis amor me finibus illis
Intulerit? caussasque rogat; dextrâque prehensum
Et fovet amplexu, & collo dat brachia circùm.
His equidem incensus studiis, hoc denique victus
Officio: meritas, dixi, tibi reddere grates
Non opis est nostræ, rerum dulcissime. quæ te
Tam facilem votis hominum dant aurea rursum
Secula? quæ talem Ænariæ sors appulit oris?
Fortunate Senex, si quid mea plectra, lyræque,
Aut mordenda olim laurus mihi Delphica spondet:
Pierio extendes redivivum carmine nomen
Deiphobes ultra Soles, Pyliamque senectam.
Per me namque redux, solidoque perennior ære
Stabit honor: partæque feres præconia laudis.
Et mea Pegaseo fortasse insignis ab œstro
Inarime, cantuque vicem, fidibusque rependet.
Nam mihi, ut æqualem Pyladi devinxit Orestem,
Pirithoo sincera fides ut Thesea, major
Te modò junget amor: felix ut originis auctor
Indigenam cœlo junxit Natura sub uno.
Non alios alio siquidem sub Sole calentes
Incolimus fines: læto nos ubere nutrit
Parthenope; & variâ quamvis regione locorum,
Uno eadem gremio Genitrix complectitur ambos.
Vitales primùm jucundi luminis auras
Hausimus, egelidis quà flexibus errat Aternus: [a]
Et famulam prono tibi gurgite subjicit urnam,
Inclyta Samnitum Princeps; quæ nescia fati
Vestinos [b] inter cineres, Amiternaque propter
Ru-

(a) *Aternus &c.* Fluvius amœnissimus ad Aquilæ mœnia decurrens. Indig. *Aterno*: qui deinde aquis auctus, mutato nomine, *La Pescara* dicitur; Arcique præsidio munitissimæ dat nomen.

(b) *Vestinos inter cineres, Amiternaque propter &c.* Regiones nimirum veteres,

Rudera, præteritæ reparas dispendia Famæ.
Hìc natale solum, & genti cunabula nostræ
Sors dedit; unde Aquilis victor sua tela ministris
Cæsar in Odrysium poterit fudisse Tyrannum.
Sed mihi non patrio senium componere tecto
Posse datum: rapuit vix pubescentibus annis
Extera me Tellus, aliasque abduxit in oras:
Hospita lunato Siren quas aurea portu
Exhibet, & vitreo circùm cratere coronat.
Hinc ego pacatis freta per Neptunia ventis
Vela dedi; toties avibus tentata nefastis
Hæc iterum Balinea petens: si forte dedissent
Sidera nunc laticum scrutari Arcana latentum.
Namque (fatebor enim) fatis huc actus iniquis
Non semel: hìc Thermas, ignotaque balnea quamvis
Observata diu relegam: caussasque requiram
Tantarum ignotas rerum; tamen avius erro
Quàm procul, & fictâ deludor imagine Veri!
Non tamen abstineam; quas olim dura negavit,
Expediet Fortuna vias jam prospera. nec me,
Nec Natura suum frustrabitur irrita ductum.
Ingenitâ ad Fontes [a] rapior dulcedine: lymphas
Sponte sequor; nostro (si quidquam credimus astris)
Natali inflexâ nam cum præluxerit urnâ,
Quærere cognatas compellit Aquarius artes;
Blandaque ad has tanti violentia sideris urget.
Quare age (quandoquidem valido præcordia thyrso
Spes quatit insiliens: laudisque arrecta cupido
Acrior in pectus prædulcem incussit amorem)

Pan-

teres, ubi nunc Urbs Aquila Samnitum Princeps: ex Amiterni, & Furconii, celeberrimarum olim Urbium, reliquiis.

(a) *Ingenitâ ad Fontes &c.* Non abs re hoc de se Auctor: natus est enim mense Januario sub Aquarii sidere: quod cum præsit iis, qui sub ipso lucis usuram accipiunt, ideò operam suam in Aquis suâpte Naturâ locare dicuntur a Manilio *lib. 4. v. 259. & seqq.*

(a) *Est*

Pande viam, cæcosque aditus: nequa invida frangat
Nox iter: atque animum longè a ratione vagantem,
Aversumque procul studia in contraria vertat.
His mihi quæ dudum felicibus imperat oris
Per te Nympha, meas non aversata Camœnas,
Det latices libare suos, viresque salubres
Noscere: queîs toties armis exuta, dolisque
Atropos, exhausto renovavit vellera fuso.
Tum Senior: Puerum quando te cura remordet
Digna viro: & forti moliris grandia nisu:
Ipse adero: rerumque libens occulta recludam
Protinus, & notis per me lætabere caussis.
Magna licèt, reliquis nondum concessa, reposcas:
Magna feres; magno tandem potieris honore
Victor, & Ascræis volitabis ad æthera pennis.
At dubiam posthac anceps sententia mentem
Ne trahat in diversa: cavis te Stagna latebris
Subter humum, primo quà diffunduntur ab ortu,
Accipient venientem; humanis invia quamquam
Gressibus, actutum nullis secreta patebunt
Obiicibus: moti procumbent cardine postes.
Namque specus inter dum te per inhospita ducam
Limina, mortales hebetat quæ plurima sensus
(Hoc mihi quippe datum est,hoc posse indulsit Apollo)
Eripiam nubem ex oculis; sic denique claris
Cuncta sub aspectum venient patefacta figuris.
Tunc erit, ut, mecum lustraveris omnia postquam,
Omnia venturis liceat transmittere seclis.
Et modò qui medicos per me tibi suggeret usus,
Ille dabit numeros, & plectra sonantia Phœbus;
Cum tibi, Dircæas ducenti ad nostra Sorores
Balnea, Chalcidico plaudet Sebethus ab amne.
Hæc ubi dicta: manum Senior tenditque, fovetque
Lætior: atque unà gressum celerare coëgit

Quà per inexplicitos flexu, dumosque tenaces
Semita densatis scopulorum absconditur umbris.
Est locus [a] in pontum quà prominet, astraque dorso
Pulsat, ab æquoreâ primùm quæ nomina Rupes
Traxit Acu; reduci lustrat dum cærula curru,
Flammifer hanc primo Titan aspergit Eoo.
Hìc rigidas inter cautes, abruptaque saxa
Panditur, & vasto ad terram discedit hiatu
Antrum immane, ingens: pelago quod sæpe tumenti
Verberat unda frequens, multoque interluit æstu.
Hàc iter occultæ stratum per devia terræ
Corripimus; virgâ siquidem, quam forte gerebat,
Tunc Senior percussit aquas, quæ gurgite fuso
Vestibulum, & sacri fluitantia limina Tecti,
Obsedere. biceps partito pendula fluctu
Unda jugum, & vitreas erexit in aëra moles
Hinc, atque hinc, quà calle viam laxavit aperto.
Tunc pariter gressi siccis vestigia plantis
Flectimus: & vacuo tandem succedimus antro.
Non tamen hìc resides, lentique ad cœpta moramur;
Namque aditus vecti præter latebrosa subimus
Ostiaque, & portis ingentia septa reclusis.
Hinc exaudiri resono labentia cursu
Flumina, sulfureique Lacus: Fontesque sonare
Raucisoni, & rapidis passim crepitantia flammis
Æra, metalliferos quæ per Nymphæa vapores
Insinuant facili, quà fert via pervia, lapsu.
Tunc se se ante oculos pendentia pumice claustra
Explicuere; patent amplâ testudine sursum
Atria, quæ nullâ cogentibus arte ministris
Extuderat Natura, acie dum singula lustro,
Ipsa mihi placido se præbuit obvia vultu

Ina-

(a) *Est locus &c.* Ital. *Il Promonto-rio dell'Aguglia:* ut Jasolin. l. 1. c. 3.

(a) *Mo-*

Inarimè, patriis quæ præſidet alma cavernis,
Imperioque regit Nymphas, nutuque coërcet.
Hunc etenim Inarimæ Berecynthia mater honorem
Detulit, expertes thalami quòd duxerit annos:
Reſpueritque procos, tædaſque innupta maritas.
Poſtquam introgreſſi, atque ima in penetralia ven-
Hìc iterum mirâ defixus imagine rerum, (tum eſt:
Spectabam diverſa locis Balinea; flagrabat
Ignis, & æſtifero circùm redolentia fumo
Foſſilia. hinc dulci fallentes otia cantu
Nymphæ aderant operi intentæ; pars plurima prunis
Pabula ſufficiunt; pars æra liquentia fundunt,
Et refluis miſcent, quæ cuique eſt copia, labris.
Sulfure ahena replent aliæ, laticeſque miniſtrant.
Nec mora, nec requies, totis adnixa lacertis
Exequitur data penſa cohors, mandataque curat.
Lux veluti Octobres cum jam tulit annua Soles,
Totaque Lenæo Mala Theſtylis [a] ardet in oſtro;
Impigra tunc vigilis vernarum turba coloni
Juſſa facit; gravidâque legens de vite racemos,
Pars pede profubigunt, cellis pars dolia, parſque
Expediunt de more cados, verſandaque forti
Præla manu, pars cola adhibent ferventia muſto.

His animum arrectus, jamdudum exquirere cauſſas
Ardebam: ſtudiis mihi mens incenſa ferebat
Compellare Senem, & Naturæ arcana doceri.
Ille autem (neque enim ſuſpenſum in limine primo
Paſſus amor) tenero mecum ſic pectore fatur.
Quæ luſtranda tuis ſuberunt obtutibus, inquit,
Cuncta tibi retegam; tactas non hactenus ædes
Ingredere: & noſtro felicior utere ductu.

(a) *Mala Theſtylis*. Voce hâc uſus eſt Pulcharellius l. 1. Car. 12. *Ad Auditorem ſuum in Veſuviano degentem*, ad explicandam eam Veſuvini Agri partem, quam Noſtrates *Mala teſta* dixere: fertiliſſimis fœcundam vinis.

(a) Chry-

Hæc ait: & cœtus vadentem passibus æquis
Nympharum trahit in medios, turbamque sodalem
Quà propior per opaca soli, terræque latebras
Et legere, & varios posset prædiscere vultus.
Nunc age,& Ænaridum pubem, Nymphasq; sorores,
Quasque colant leges, & quæ data munia, noſces.
Illa, viden? multo cui palla renidet ab auro
Textilis: atque auro crepitant crinesque, sinusque:
Ante alias opulenta fluit Chryseis:[a] & aurum
Eliquat, auriferæ venas imitata fodinæ.
Proxima sorte tenet post hanc quæ Stagna: metallo
Dives & ipsa suo: & cultu Chryseide tantùm
Illa minor: patrias vincens argentea ripas
Labitur, & pleno se jactat Hydrargyris[b] alveo.
Inde aliæ, quas Fama polo jam sustulit: & quas
Non una edomitis exornat laurea morbis.
Cernis ut atra genas Chalcantias[c] induat atram
Najadas in faciem, furvoque obnubat amictu?
Nec te ferali metuenda supercilio frons
Terreat, aut Chalybe[d] pressum formidine turbet.
Quamvis illa truces nimiùm pennata per hostes
Pervolitet: flammasque inter, pyriasque favillas
Funeraque, stragesque ferat, violentaque regnis
Excidia; effuso non hìc in sanguine cædes
Aggerat, & nocuas ultrici clade ruinas.
Luctisonum quamvis devecta per æthera, fato
Præpete jam, celeres Libitinæ adjunxerit alas;
Hìc veteres exosa neces, fœdasse madentes

Hor-

(a) *Chryseis*. Sub Nympharum personis hìc a Podalirio varia Fossilium genera exprimuntur; ea scilicet, quæ in aquis Ænariæ deprehendi diximus *l.1*. Et primò sub Nymphæ Chryseidis nomine, a Χρυσός, Aurum intellige.

(b) *Hydrargyris &c.* Hydrargyris, pro Argento nimirum; ut fusiùs in *Not. lib.2. pag.101. lit. b.*

(c) *Chalcantias &c.* Chalcantias Chalcanthum denotat: Ital. *Vitriolo*.

(d) *Chalybe &c.* Chalybe pro Ferro.

(a) *Alu-*

Horret, & abſumptos fraternâ morte penates.
Ingenio diverſa, novi modò muneris Auctor
Auxilium vitale parat: ceu priſca retexat,
Atque illata olim penſet fera damna: ſalubri
Dum ferro reſpergit aquas: quibus illita robur
Corpora, & amiſſum reparent impune tenorem.
At quæ nam tumidis undantia labra caminis
Et procul incendunt, mordax & Alumine Nitrum,
Sulfuraque, & multo glomerant nidore Bitumen?
Noſco equidem: genitrix ſe prodit Alumias,[a] almo
Natarum [b] ſtipata choro: Sipyleja qualis
Felix prole parens, dum non ſibi viſa, renidet.
Olli ſalſa ſinu ſociam ſe Nitrolis [c] addit,
Leucogeeque [d] ſoror, tetroque Aſphaltis [e] odore.
Præterea in mediis peregrino ſplendida luxu
Barbaricam oſtentat gazam, patriique liquatas
Æris opes fundit Veneri gratiſſima Chalcis, [f]
Et Cyprii quondam Chalcis Dea litoris: at nunc
Inarimes inter cultu non ultima Nymphas.
Hanc prope, poſthabito quæ tandem huc Acide ceſſit,
Sal jacit, & ſucco Fontes perducit amaro
Nerine Galatea. [g] nigro quæ ſaxea vultu
It Comes, & Chalyben ad ſe trahit una rigentem:
Illa, licèt duris animet præcordia ſaxis

Aſpe-

(a) *Alumias &c.* Alumias pro Alumine.

(b) *Natarum &c.* Plures quippe ſunt Aluminis ſpecies: ut habes penès Plin. l. 35. c. 15.

(c) *Nitrolis* Nitrolis Nitrũ deſignat.

(d) *Leucogeeque &c.* Ad ſignificandum ſulfur: ita ex Plinio, qui l. 35. cap. 15. *Leucogeos* dixit Colles in Campaniâ inter Puteolos, & Neapolim: e quibus præſtantiſſimum ſulfur effoditur: & Noſtrat. *La Solfatara* appellant: a Λευκὸς Albus, & γέα Terra. Leucogeen Nitrolis ſororem vocat, quòd Nitrum *Sal Sulfureum* dicatur. Vide Lexic. Med. V. *Nitrum.*

(e) *Aſphaltis &c.* Aſphaltis, hoc eſt Bitumen, quod Græcis Α'σφαλτος.

(f) *Chalcis.* Chalcis pro Ære Cyprio, vulgò *Il Rame*, a Χαλκὸς Æs. *Veneri gratiſſima*, quòd Inſula Cyprus Veneri ſacra, prę cæteris hoc ære abundet: unde etiam nomen deſumpſit.

(g) *Nerine Galatea &c.* Ad exprimendam ſalſuginem aquarum, quæ, cum a mari proveniat, pro ipsâ præcipua maris Nympha poſita eſt.

(a) *Ma-*

Aspera, proh quanto Magnesia [a] carpitur igni
Infelix! & quanta fibris incendia nutrit!
Illa trucem quamvis, Chalyben tamen illa sequacem
Deperit, & rigidæ quamvis indulget Amanti;
Mutuaque alterno jungunt commercia nexu.
O mihi si Clarias plectro sors alma dedisset
Increpuisse fides! celebres Magnetis amores,
Versaque in obscuras cecinissem corpora rupes.
Tu tamen o, fausto cui murmurat aura susurro
Castalis, & faciles veniunt ad carmina Musæ:
Si tibi nativis eductum Fossile terris
Carmen erit quondam, Chalybes ne despice casus
Dicere; inextinctos nec te Magnetidis ignes
Pœniteat retulisse, & fata extrema duarum.

Illæ autem [b] quæ clausa colunt Hydreumata, [c] quales,
Quàmque salutiferas inspirant Fontibus auras,
Cadmieque, Ochreque, atque Armenis, atque Pyrite!
Omnes Ænarides, claræ virtutibus omnes.

Talibus effatus, gressum festinat; euntem
Ponè sequor; tum Stagna notat mihi nomine; & inde
Abdita secretis aperit medicamina venis.
Utque salutares ad Parvi Gurgitis Ædes
Venimus: o quales isthæc, ait ille, liquores
Tecta dabunt! quàm grata ferent Mortalibus ægris
Pharmaca! dein dextrâ fluvios, [d] lævâque recenset,

Spe-

(a) *Magnesia*. Magnesia pro Magnete, Ital. *La Calamita*; cujus notissimam hic cum Ferro sympathiam expressurus Auctor, alterum sub Magnetidis, sub Chalybes alterum Nymphæ personâ repræsentat; innuitque commentam utriusque metamorphosim: quam pollicetur se prosecuturum vel in Opere *De Fossilibus*; vel in eo etiam, quod de *Magnete* meditatur, & pari metro alligatum spondet se editurum, si, Deo dante, per vires, tempusque licebit.

(b) *Illa autem &c.* Quæ nam Fossilia exprimantur sub sequentibus Nympharum nominibus, patet ex vocibus ipsis. Vide *Not. lib. 1. pag. 6.*

(c) *Hydreumata.* Consule *Not. l. 2. pag. 74. lit. b.*

(d) *Dein dextrâ fluvios &c.* Nomina Fontium horum habes passim in 1. *lib.*

(a) Neo

Speluncæque imas, Cytharæque, & Nitrolis undas.
Hinc thalamos, Sinagalla, tuos: Argenteaque addit
Balnea: quæque aurum rorantia fusile mittunt:
Et caput unde oriens patriis e sedibus effert
Castilion; Fontana docet quà lympha feratur,
Quàque abeat Nitrosa, & quà declivius erret
Balneolum: Scatebrasque alias ex ordine pandit.
Virtutem sic passim omnem, sic ille latentem
Monstrat opem, memorans quâ quisque insignis aquæ
Instantem capiti queat avertisse procellam. (Fons
Atque ait: optatam per me tua fervida metam
Vota satis tenuere; licet novisse repostos
Ænaridum Fontes, & Fontibus indita vitæ
Munera; quæ peperit, ferat hæc tibi præmia virtus:
Quandoquidem nostros meruisti primus amores.
Vade age, & illustrem medicis fer ad æthera lymphis
Inarimen. nec sola suos det Olympica [a] Vates
Acta, Sophoclæo tractent qui barbiton œstro:
Et varios plectro cursus, pelagique recursus,
Et piscandi artes, & Martia prœlia dicant,
Seu Campo, seu velivolis tentanda carinis.
Nec Botane [b] Euboico tantùm de litore plaudat
Eulalio dilecta suo; vel Sequana Cycnos [c]
Jactet agens, quos Flora novo præfulgida cultu
Ornat odoratis, lauri pro germine, sertis.
Tu, quoque, Pieridum tunc cum dignabere cœtu,
Ne renue ad nostras paulùm secedere ripas:

Æna-

(a) *Nec sola suos det Olympica &c.* Designatur hìc Parthenius Giannettasius Soc. Jesu, qui ab orâ Olympiæ (vulgo *Chiaja*) Vatem Olympicum se dixit. Vide *Not. l. 1. pag. 15. lit. e.* Et ejusdem Opera poëtica, Nautica nimirum, Halieutica, Bellica, & Naumachica recensentur.

(b) *Nec Botane &c.* Botanicorum, sive, *Rei herbariæ Institutionis Libros quatuor P. Francisci Eulalii Savastani Soc. Jesu*, cultissimam poësim redolentes, intellige.

(c) *Vel Sequana Cycnos &c.* Elegantissima Carmina *De Hortorum Cultu* P. Renati Rapini Soc. Jesu Turonensis denotat hìc Auctor.

(a) Cul-

Ænariamque chely, memorique attollere cantu.
Forsan erit (nec vana reor) præcepta secutus
Cum mea, tunc reduces hæc nostra ad litora Musas
Phœbus aget: cultisque iterum Jovianus [a] in Hortis
Alter io excipiet, tectisque locabit avitis.
Ægrorum te turba frequens, te carmine Chiron
Pæonias referentem artes, usuque docentem
Consulet; & vitæ per te tutamine fretus,
Parcarumque minas, strepitumque eludet Averni.
Dixerat: exorti dignas pro munere grates
Solventem æthereis tum me Podalirius oris
Restituitque alacrem, atque ad limina nota reduxit.
Ex illo, expletis audacia major ab annis
Crevit; & hærentem calcaribus æmula virtus
Impulit ah quoties non segnibus! ergo age tandem
Rumpe moras, dixi; resides impellere nervos,
Et juvet indecori sordentes pulvere lauros
Excutere, & rursum desuetæ imponere fronti.
Pollicitas sic redde fides; [b] sic plectra sepulto
Vel Cineri desponsa refer. sacra Manibus iisdem
Solve, decet; steriles ne devius inter arenas [c]
Inarimes ignotâ erret Podalirius umbrâ.
Per te vivat adhuc post fata superstes: & olli,
Quos licet, emeriti per te referantur honores.
Nunc locus Ænariæ miseris quæ pharmaca Tellus
Exhibeat populis, medicosque ostendere Fontes,
Gratum opus Invalidis. Vos o, documenta Magistri
Dum sequor, occultas generatim discite vires,

Quos

(a) *Cultisque iterum Jovianus in Hortis &c.* De Hortis in Ænariâ Joviani Pontani Vatis celeberrimi, dictum satis *lib. 1. pag. 37.*

(b) *Pollicitas sic redde fides &c.* Allusum ad id, quod Auctor commentus est; se nempe Podalirio spopondisse, suis illum celebratum iri carminibus, cum ait *pag. 167., Fortunate senex &c.*

(c) *Ne devius inter arenas &c.* Poëticè dictum: quòd existimabant Veteres Defunctorum Animas, sive Umbras, ut vocabant, in sepulcris conditas circùm illa vagari.

(a) *Ille*

Quos jucunda manet redivivæ gratia lucis.
Hesperias quâ parte oras, Solemque cadentem
Respicit, a Parvo qui stat mihi Gurgite dictus
Fons calet: & multo fluitans se prodit in auro
Aurigenam; Terræ madidus salsugine, tristi
Prædurum Asphalto Chalybem, Magnetaque miscet.
Ille quidem [a] longo cameratis ordine tectis
Multiplices partitur aquas, & plurima format
Balnea, quêis varium dat nunc discrimina nomen.
Quis tamen undarum vitalia munera fando
Explicet? ante Syrus saxo speculatus ab alto
Pastor Idumæâ numerabit in arbore frondes,
Quàm referat Pimplea tuas, Fons inclyte, laudes.
Vidimus (ecquid enim morbi non vidimus? oris,
Numina, proh tantam Latijs avertite pestem)
Vidimus, horrentes cum sæpe Abscessibus artus, [b]
Sive pedes, [c] sive ossa, [c] putri seu viscere pectus, [c]
Brachiaque [c] immundo turgerent obsita tabo;
Exarmata tamen, nostrisque exterrita lymphis
(Hydrophobi [d] quales visâ vix naiade) cursu
In Styga præcipiti Monstra hæc remeasse malorum.
Hac fera damna tenus Mors intulit invida, pigris
Duratum quando [e] fibris tumor abditus hepar

 Cor-

(a) *Ille quidem longo &c.* Balneum quippe Parvi Gurgitis in diversa tecta, atque adeò Balneorum usui accommoda cubilia distribuitur. hæc olim Jasol. Italicè dixit *Il Bagno dello Stomaco, Delle Gingive, Della Lebbra, De' Denti, e Di S. Maria del Popolo di Napoli.*

(b) *Abscessibus &c.* Abscessus est Tumor præter naturam, cujus materies collecta, ob caloris vitalis debilitatem, degenerat in pus, aut in saniem; vel quodam folliculo, & membranâ inclosa est: & speciem pultis, ut in Atheromate: vel mellis, ut in Meliceride: vel Sevi, ut in Steatomate repræsentat. Animadvertat prudens Lector, Nos de industriâ hic, atque alibi in Notationibus uti quandoque vocibus barbariem aliquam redolentibus, pro ut illas habet Lexicon Medicum; ut ita clariùs mentem nostram omnibus aperiamus locutionibus iis, quibus passim Medici utuntur.

(c) *Sive pedes &c.* Abscessus, qui varias corporis partes corripit.

(d) *Hydrophobi.* Hydrophobi, qui scilicet aquam expavent: ab *ὕδωρ* Aqua, & *φόβέομαι* Metuo.

(e) *Duratum quando &c.* Tumor Scirrhosus, ut ajunt, in Jecore; Ital. *Tumore scirroso di Fegato.*

(a) Pl.

Corripuit ; crudoque fluens humore nocentes
Ah nimiùm ſtomacho peperit Pituita [a] tumultus.
Nam bene, dum vitæ ſubtili pendula filo
Spes labat, uſuram gratæ Gens lucis ab uno
Fonte capit, ſpatijſque terit vivacibus ævum.
Quippe ſalutiferos poſtquam ſenſere liquores
Corpora, tunc habilis redijt vigor: aruit imâ
Ab radice revulſa lues; everſa ſupinis
Æſculus ut plantis, aut Populus icta bipenni.
Hìc quoque, dum gemeret Macie, [b] confectaque Pubes
Atrophiâ: [c] tegeret dum vix cutis arida coſtas:
Corporibuſque gravem vitioſa Cachexia [d] ferret
Illuviem, terſo penitùs ſqualore receſſit
Fronte procul pallor; tunc & vernantia rurſus
Ora colorato, quondam deformia, Pingui,
Florenteſque genæ reduci nituere juventâ.
Qualis ubi in Sylvis Volucris Panchæa Sabæis,
Aſſyrio quæ forte rogum ſibi ſtruxit amomo:
Illa renaſcentem fœcundo e funere lucem
Haurit ovans; ſeniumque ſuo poſitura ſepulcro,
Innovat effœtæ primæva exordia formæ.
Nec ſolas Juvenum vires reficitque, fovetque
Noſtra, ubi per teneros damno, noxæque patentes
Sternat iter ſibi lympha poros, clauſoſque relaxet.
Illa vel annoſos, & tardâ ætate trementes,
Confirmatque ſenes hebetes, quos viribus anni
De-

(a) *Pituita*. Pituita, Ital. *Flemma, Pituita, Catarro*: Humor frigidus in corpore; vel tumor crudus aqueus, excrementitius, ut volunt Recentiores.

(b) *Hic quoque dum gemeret Macie &c.* Ital. *Emaciati*, qui Atrophiâ laborant.

(c) *Atrophiâ*. Atrophia, Nutritionis defectus: quando ex alimento fructus non percipitur: ab α particulâ negativâ, & Τροφή Alimentum. Ital. *Emaciazione, Estenuazione, Magrezza*. Videatur Celſus *l. 3. c. 22.*

(d) *Cachexia*. Cachexia, Malus corporis habitus: cum aliquis tumido, molli, & malè colorato corpore præditus eſſe dicitur. Provenit illa a Succi chyloſi vitio. Dicta porrò a Κακή Mala, & Ἕξις Habitus. Conſulatur laudatus Celſus *l. 2. c. 1.*, & *l. 3. c. 32.*

(a) *Ore-*

Destituunt: Hecubas & curvâ fronte cadentes
Erigit; & Matrum pueros vel ab ubere raptos
Roborat instabiles, validosque ad fortia reddit:
Fatorum opponens non pervia pectora telis.
Sic olim Phrygias non elusure sagittas
Te tua Lethæo demersum gurgite Mater,
Æacide, nullâ violari cuspide credit
Posse: sed attritos abiturum impune per hostes.

Torpet iners, stomachumque Ægri non ulla ruentem
Ars juvat? (incocti siquidem sub pondere languet
Ille cibi) vel nulla placent convivia luxu
Splendida: nec Siculâ pervellit Apicius offâ?
Tunc stomachum lautæ peragentem obsonia mensæ
Restituent: avidamque, vetus dum surget Orexis,[a]
Stagna famem exacuent; detergent obvia dentes
Fercula; tunc malis quascumque audacibus escas
Diripies, patulisque voles nec parcere quadris.

At si Transversum tumidi distendere Septum[b]
Tympanici[c] incipiant: corpusq; Hyposarca[d] pererret;
Vel sedem irrumpens[e] descendat aquosus in unam
Hostis, & Ascites[f] utero fera bella minetur;

(a) *Orexis*. Orexis eadem ac cibi Appetitio: ab ὀρέγομαι Appeto.

(b) *At si Transversum &c.* Septum Transversum, idem ac Diaphragma: quòd mediam, & infimam regionem corporis, hoc est thoracem, & abdomen dividat, quasi medium septum: estque musculus rotundus obliquus, in medio membranosus, ut ajunt, in circumferentiâ carnosus, palmarium respirationis organum.

(c) *Tympanici*. Tympanici, qui Tympanite laborant. Ital. *Timpanitide*: Species Hydropis sicci, cum flatus totam abdominis, & thoracis regionem distendunt.

(d) *Hyposarca*. Hyposarca, prima species hydropis, totum corpus infestans: cum Humidi substantia tenuis, & copiosa, & cruditates in totâ inferiore thoracis regione coacervantur; habitusque totus pituitâ plenus redditur: quæ vestigium impressi digiti in parte affectâ retinet: cum languore, pallore, ac difficili respiratione. Ab ὑπὸ subter, & σάρξ caro. Alia etiam sortitur nomina, ut sunt *Leucophlegmatia*, *Anasarca*, *Episarcidium*, *Undimia*, *Hyposarcidium*, *Catasarca*.

(e) *Vel sedem irrumpens &c.* Ascites enim, ut Celsus *lib. 3. c. 21.*, habetur, *cum intus in unum aqua contrahitur*.

(f) *Ascites*. Ascites, Hydrops utricularius, ab Ἀσκός Uterus; Cum in membranâ abdominis interiore (Græcis

Continuò hìc solers culpam compesce, priusquam
Pestis acerba ruens latè descendat: & altè
Hæreat, & durâ victrix dominetur in alvo.
Infixum nam frustra imis conabere venis
Vincere fatiferum sero medicamine virus.
Non aliter, teneram quàm cum conanime nullo
Quisque licèt summâ queat ab tellure cupressum
Vellere; si ramis robusta accesserit ætas,
Nulla ruet valido tentet quæ dextera nisu.
Quare age, principijs obstet solertia: radix
Tunc abolenda mali, cum non extenta per omnes
Invaluit partes, nec substitit illa medullis.
Tantum operæ morbis pretium fecere levandis
Pharmaca solicito quondam properata ministro.
Sed quàm præterea certam, fœdissima quando
Repere per corpus contendant Ulcera, Parvus
Gurges opem præstare potis! Chironia [a] tollet,
Quæque intestino [b] maculant præcordia tabo,
Et quæ Grajugenûm Perinæon [c] nomine dictum,
Matricemque petunt, naresque, atque ubera passim
Inficiunt, renumque premunt invisa meatus:
Humanis urethra [d] fluens quos usibus aptat:
Quosque verecundæ, [e] discinctaque verba perosæ,
Par-

cis Peritonæum dictum) & omento humor serosus, velut in utre, continetur. Unde Hydrops aquosus dici potest; ab illo enim intumescit abdomen, vel crura, & scrotum, a collectione, & eruptione extra vasa serosarum, & lymphaticarum portionum. Vide Cels. loc. cit.

(a) *Chironia*. Χειρώνιον Epitheton ulceris maligni, inveterati, ægrè cicatricem ducentis. Dictum a Chirone Centauro, qui primus omnium illud sanasse dicitur.

(b) *Quæque intestino &c.* Ulcera nimirum Intestinorum.

(c) *Et quæ Grajugenûm Perinæon &c.* Perinæon, sive Inter-fœmineum: pars illa, quæ in corpore humano jacet duobus feminibus interposita; A περιναίειν circumnatare: quòd humore soleat quasi circumnatare.

(d) *Urethra*. Urethra, a græco οὐρήθρα, canalis, per quem urina labitur. Ital. *Collo della vescica*.

(e) *Quosque verecundæ &c.* Alios scilicet canales, ac meatus, quos reticet Auctor, ne modestiæ leges transiliat: vestigiis vel Ethnici inhærens, Cornelii Celsi nimirum: qui verecundiæ potius suæ, quàm aliorum eruditioni con-

Partheniæ renuant adhibere ad carmina Divæ.
Quin etiam, hinc Rhagades, [a] tactiſque erraticus Her-
Exulat hinc lymphis; nec ab his tentata, tumori (pes [b]
Freta ſuo, ſe Struma [c] teget: diro ulcere [d] quamquam
Marceat. Aſthma[e] procul; Varix[f] procul aufugit, omnis
Et Phacos, [g] & laceros urgens Iſchuria [h] renes:
Cedit & expulſum Stagno Cacoethes [i] eodem.
Nec Dyſentericus, [k] qui ſanguine profluit, humor,
Aut Colon, [l] aut tenſum ventoſa incommoda [m] Flatu
Torquebunt uterum. numquam tibi frigida, [n] triſtes
Aut contra ærumnas nunquam flammata [o] creabit
Temperies: humeros ſi cum tutatur amictu
Caſtula, [p] roriferos, Niphe, [q] patiare calores.

Hæc

---

conſulens, hæc habet *l.6. c.18. Apud nos*, inquit, *fœdiora verba ne conſuetudine quidem aliquâ verecundiùs loquentium commendata ſunt: ut difficilis hac explanatio ſit ſimul, & pudorem, & artis præcepta ſervantibus*.

(a) *Rhagades*. Rhagades a Ῥαγὰς, latinè fiſſura, vel labiorum, vel manuũ, vel etiam ſedis, pro cujus rimis hic præſertim uſurpatur.

(b) *Herpes*. Herpes, Ital. *Erpete, Formicat* ab ἕρπω ſerpo. Tumor eryſipelatis, cum puſtulis, a portionibus ichoroſis, & lixivioſis, ut ajunt, ſanguinis, in habitu corporis ſubſiſtentibus, corrodentibus, & exulcerantibus.

(c) *Struma*. Struma, Ital. *Scrofola, Coccia, Gangola, Gozzo &c.* Tumor ſcirrhoſus glandularum, vel in collo, vel ſub alis, vel alibi, a collectione, & induratione materiei congelantis.

(d) *Diro ulcere &c.* Ital. *Scrofole ulcerate*.

(e) *Aſthma*. Aſthma, creber, & moleſtus anhelitus, propter organorum anguſtias.

(f) *Varix*. Varix, Ital. *Vena dilatata*, præſertim in cruribus.

(g) *Phacos*. Phacos, impetiginis ſpecies. Ital. *Macchie di faccia*.

(h) *Iſchuria*. Iſchuria, Ital. *Ritenzion d'urina*. A ἴσχω contineo, & οὖρον urina.

(i) *Cacoethes*. Cacoethes, ulcus malignum, inſanabile. A κακὸς malus, & ἦθος mos. Ital. *Ulcere maligno ribelle*.

(k) *Dyſentericus &c.* A Dyſenteriâ, Ital. etiam ſic dicta: Inteſtinorum difficultas, cum inflammatione, & exulceratione, & ſordium cruentarum excretione.

(l) *Colon*. Colon, non hic pro Inteſtino medio inter Cæcum, & Rectum, ſeu pro Ventre inferiore, qui excrementa recipit: ſed, cum Scrib. Larg. n.122., & Q. Seren. Sammon. &c. ſumitur pro Colicæ morbo: cum ſcilicet conſtipatâ alvo, & tumente ventre inſtar tenſæ chordæ, fœcum rejectio per os, atque alia eventa ſubſequuntur.

(m) *Ventoſa incommoda*. Ital. *I flati*.

(n) *Nunquam tibi frigida &c.* Ital. *Temperie fredda dell'utero*.

(o) *Nunquam flammata &c.* Ital. *Infiammazione d'utero*.

(p) *Caſtula*. Caſtula, Palliolum, quo Puellæ veſtibus exutæ cooperiebantur in Balneo modeſtiæ gratiâ; Ut ex Jo: Hekelio in Not. Auſonii Popmæ *De differentiis verborum* l.1. V. *Caſtus*.

(q) *Niphe*. Niphe, Nomen muliebre, utpote Nymphæ: appoſitè de-

ſum-

Hæc præter, postica suo nec pondere Sedes [a]
Damna feret labens; jugi diluta fluento
Illa, relaxati poterit sphincteris, ad ima
Dum ruit, instantem sospes prohibere ruinam.
Duritiem sic ipse suam dimittet in undis,
Gingivas qui forte tumor, vitiataque linguæ
Septa premit. Vis fracta minas Arthritica [b] ponet:
Torpida seu durâ religatas compede plantas [b]
Vinciat: articulos toto seu corpore vexet [b].
Sentiet hìc demum, seque hìc gemet improba victam
Syphilis, [c] Idalio exitium meditata veneno.
Spes tamen, in dubio vitæ discrimine, nunquam
Firma magis, certo quàm tanti Gurgitis uti
Perfugio, hostilem thorax ubi saucius ictum,
Excepitque altè telum; [d] quod sæpe, refractum
Parte sui, insedit, latuitque in viscere: quales
Sub terram effosso talpæ latuere cubili.
Quàm facili tunc Fonte fluet medicina! retectis
Tum bene vulneribus, nexu quæ zona tenaci
Obligat, æstiferos sine laxior innatet inter
Plaga lacus, plenisque patens exhauriat oris.
Nec semel epotâ [e] mollitum najade vulnus,
Stagnorum aut licuit conspersum obducere limo. [f]

Pro-

sumptum ab Ovid. 3. Metam:, a Νίπτω, *Lavo*.

(a) *Postica suo &c.* Podicis procidentia, cum scilicet Intestinum rectum cum dolore prominet extra podicem: relaxato, vel resoluto Sphinctere, hoc est musculo, qui Intestinum rectum claudit.

(b) *Vis . . . . . Arthritica*. Ab Arthritide: Ital. *Dolori articolari*: ab ἄρθρον Articulus: sive in unâ tantùm parte: sive per omnes corporis articulos diffusâ.

(c) *Syphilis*. Syphilis, Morbus Gallicus nimirum; quem sub hoc nomine Hieronym. Fracast. celeber Medicus, ac Poëta Veronensis expressit in libris Poëtico stylo conscriptis, hoc titulo: *De Morbo Gallico*. Syphilis quidem, ut putat Reies, quòd συνφιλία indicet veluti partum amicitiæ, & concordiæ Venereæ.

(d) *Excepitque altè telum &c.* Exprimuntur ea vulnera, quæ Ital. *Penetranti* dicuntur.

(e) *Nec semel epotâ &c.* Ex Jasol. *l. 2. c. 13.* haustu etiam utilis aqua hæc ad sananda vulnera.

(f) *Stagnorum &c.* Jasolino *Illotazione*: cum nimirum luto e sedimento

Fon-

Profuit immissos clystere [a] impellere rores,
Quâ via vulnifico detecta foramine ducit.
Namque sinûs intra suberant quæ fracta recessus
Ossaque, & occulti fugientia spicula ferri
Erupere: nocens se purgat in aëra clausum
Virus, & exhausto coijt marcore cicatrix.
Vera cano: [b] vanis non lusit eburnea spectris
Janua: non falsi misere insomnia Manes.
Facta fidem pariant: Annalibus eruta priscis
Tuta fides. Miseræ pertæsus munera vitæ,
Tabentesque genas, & languida membra trahebat,
Lethiferum servans tacito sub pectore vulnus
Antimachus: [c] clarum Antimachus cui nomen, & in-
Spectatæ virtutis honor, generisque vetustas. (gens
Hunc generasse Capys Nymphâ Crateride blando
Sirenum in gremio Sebethi ad fluminis undas
Fertur, Avis, Atavisque, & priscâ stirpe potentem.
Saucius ille olim violentæ cuspidis ictu
Rixarum in medio: ferro thoraca recepto,
Prima latens jugulo quà costa adnectitur, ensis
Hauserat: effractoque chalybs mucrone, repostis
Abditus institerat latebris: ut lumina prorsus
Falleret, & medicæ se se subduceret arti.
Dumque dies, alterque dies procedit: acerbo
Seminecem sensu sternit dolor; obruta luctu

Lin-

Fontis collecto, totum vulnus linitur.

(a) *Clystere.* Clyster, Ital. *La Siringa*, a κλύζω abluo.

(b) *Vera cano &c.* Celebris hæc Historia miræ curationis; quam, præter cæteros, refert Jasolinus *l. 2. c. 13.*, testis oculatus, cum illi præfuerit.

(c) *Antimachus.* Antimachus, sub hoc nomine venit Simeon Capycius Patricius Neapolitanus. *Antimachum* appellat Auctor, ab ἀντὶ contra, & μάχομαι pugno; rixatus enim ille in ipsâmet Ænariâ lethale vulnus accepit, ubi prima costarum ossi jugulari, ut ajunt, adnectitur; effractoque gladio, hujus mucro palmo in longum protensus, & digitis latus duobus, hæsit medius inter octavam, & nonam costarum per totum anni, & septemdecim dierum spatiũ ab accepto vulnere; donec pridie Nonas Aprilis anno 1581. aquæ Parvi Gurgitis vi erutus emersit tandem; capularisque Capycius sanitati redditus.

(a) Pr-

Lingua silet; mærent pressis vultusque, genæque
Luminibus, cervix collo inclinata recumbit.
Non secus ac placidi vada propter Lyda Caystri
Languet Olor: plumbo incautum quem durus adacto
Venator, jaculove ferox procul æthere ab alto
Deijcit, & patriâ moribundum extendit arenâ.
Tunc etenim clauso mordax sub viscere ferrum
Continuò fera signa dedit: namque illita sputo
Sanguineo exundant, saniemque madentia putrem
Ora vomunt; duris hinc Intestina laborant
Torminibus; manat postica per ostia teter
Interdum cum fæce cruor; febris ingruit; arctis
Faucibus immissas vix reddit anhelitus auras.
Septima purpureis properans Aurora quadrigis
Jam rursum extulerat media inter sidera Phœbum;
Tum malè consultum (neque enim spes ulla salutis)
Antimacho exclamant. & jam fatalia Parcæ
Fila legunt; pulsis cum lux undena tenebris
Nulla tulit veniens lapsis solatia rebus,
Post decimam sed quarta malignior; arida tactu
Membra stupent, torpentq;fibræ, atq;immobilis hæret;
Dextra suum nec tentat opus; tum lurida vultus
Proluvies, maciesque genas consumpsit inanes.
Jamque tibi extremas vitæ denunciat horas
Atra dies; lethi jam vis inimica propinquat;
Et tecum juvenile decus, flosque integer ævi,
Antimache, & miserûm pereunt frustrata parentum
Gaudia. proh quales inopino funere fletus
Elicis, & quanto cogis tabescere luctu!
Te juga Pausilypi, patrio te litore Siren,
Te Megare, & resonis flebat te Vesbius antris:
Sebethusque suo gemitum Pater edidit alveo.
At Libitina tuum juraverit aspera quamvis
In caput insultans, durum sibi nacta nocendi
Tem-

Tempus, inexhaustis non te tamen abstulit annis
Invida, nec potuit; namque exaudita secundo
Vota polo; incolumis felicia tempora vitæ
Ducis: & annosam datur extendisse senectam.
Ipsa quidem te blanda fovet, te sospitat undis
Inarime: raptumque rogo subducit, & urnæ.
Quippe impacati, dum mitibus inscia flecti,
Gliscit adhuc morbi violentia, ne quid inausum,
Aut intentatum Phœbi superesset in arte:
Ociùs accisas Parvo tum Gurgite præstat
Res tegere, & (spondet si quid medicina) tueri.
Interea tabens iteratâ aspergine vulnus
Proluitur, partesque humor pervadit in imas.
Donec, ab induciis solet ut fiducia pacis
Prœlia post, vitæ spes tandem affulgere visa est;
Visa, sed (heu miserum!) malè credula lusit hiantes.
Nam licèt in speciem, fictèque obducta cicatrix
Appositis coëat medicatibus: & sua nusquam
Signa oculis retegat commissæ injuria rixæ;
Læsa tamen Juveni tacitè præcordia carpit
Infrænis sine more dolor: penitùsque reductas
Labitur in venas, & cæcâ tabe pererrat,
Exitium fatale ferens. Jamque æthere ab alto
Annuus emensum cœli remeaverat axem
Cynthius: & denis superaddita Solibus, Orbi
Adveniens septena dies ostenderat ortum.
Tempus erat, trepidæ quo primùm Portitor Helles
Aurato attigerat cœlestia limina cornu;
Cum subitò apparens infecit pustula summam
Tetra cutem: exilis tum prodita rima dolosi
Vulneris; emergunt sua per vestigia fraudes
Tabificæ, & propriâ deprenditur hostis in arce.
Ilicet ad cubitum nudatis rite lacertis
Impiger, inserto Chiron tentare specillo

Aggreditur, quà vulnus hiat; tum cognita morbi
Cauſſa, ſalutari tactum dum cuſpide ferrum:
Quod medium hærebat, coſtaſque increverat hærens
Inter, ubi octavam ſibi nona ex ordine nectit.
Ergo inſtaurari repetito balnea ductu
Juſſa iterum: infirmo fixum queîs pectore telum
Excuſſiſſe queant. nec longum tempus, & undis
Coſtarum laxata viam compago latenti
Dat chalybi: & facto patuit ceu limite callis.
Inde ubi rimoſas ferri explorare latebras,
Et tectos ſubijſſe aditus volſella tenaci
Dente premens potuit: dextrâ tum ſpicula Chiron
Solicitat; cœptum felix Fortuna ſecundat:
Numinaque arrident fauſtis præſentia votis.
Namque manum facilis, niſumque ſecuta Magiſtri
Exijt, & toto ceſſit de corpore cuſpis.
Dardanio ut quondam Regi lethalis arundo
Protinus ambroſiæ vitalibus oblita ſuccis
Excidit: indigno Nati cum territa caſu
Gnoſsiacâ retulit dictamnum Mater ab Idâ.
Tum qualis, tum quanta ſinum pervaſerat, enſis
Eruta pars docuit: digitis nam lata duobus,
Et ſolido in longum dodrante extenſa patebat.
Quid memorandum æquè totum hæc vulgata per Orbem
Stagna ferunt? Papulas [a] eadem reſerata rubentes,
Tuberaque affectæ Sedis, [b] ſcrotique Tumores [c]
Diſcutiunt. tactu corpus licèt horrida, & omnem
Pſora [d] cutem obnubat, Pſoræ tamen imbribus horror
Ob-

(a) *Papulas &c.* Papulæ, Ital. *Gotta rubea*, *brosacea* vocantur a Jaſolino.

(b) *Tuberaque affecta Sedis*. Condylomata, de qnibus in ſeqq., Calloſæ nimirum carnis accretiones in Sede.

(c) *Scrotique Tumores*. Teſtium ſcilicet in Scroto.

(d) *Pſora*. Pſora, Scabiei ſpecies: nempe cutis aſperitas: A ψῶ, ſcalpo.

(a) *Oſſa*

Obruitur jactis, nec vires sustinet undæ.
Ossa etiam [a] infectis putrem vitiata medullis
Si cariem sensere, situque abrosa nigrescant;
Inflatum justo si plus aut turgeat hepar, [b]
Aut calor accendat non segniter; actus eodem
Jactetur seu forte lien, seu viscera morbo,
Dum furit Ætnæis veluti fornacibus ignis;
Quid residi cunctere manu? tam sæva malorum
Agmina quid dubites victrici extinguere lymphâ?
Terga dabunt, molita fugam, mihi crede: solutis
Ut dubii funesta inter certamina Martis
Ordinibus, fugiunt Equitum, Peditumque phalanges.
Nequidquam, hunc membris Æger modò perferat a-
Nequidquam nocuo pallebit concolor auro (mnem,
Icterus; [c] & laceros incassum perdita renes
Lithiasisque, [d] & Tænarijs educta Nephritis [e]
E latebris, duro mordebunt ilia rictu.
His ego fœcundis vos indulgere fluentis
Præmoneam, Lucina tori queîs gaudia, Matrum
(Crudelis!) queîs dulce negat cognoscere nomen.
Sic, ubi destituant, lactis neque dona Parentes
Ulla beent, vacuisque inhians dependeat Infans
Uberibus, nec posse sitim restinguere detur:
Quæsitum huc tanti Genitrix lenimina luctûs
Adveniat; plenis manabit lactea rivis

Aa 2 Co-

(a) *Ossa etiam &c.* Ital. *Spina ventosa*: cum nimirum ossa nigrescunt, & abraduntur inter articulos a materie acri, & corrodenti.

(b) *Inflatum justo &c.* Ital. *Tumore, ed Infiammazione di Fegato, di Milza, e delle Viscere*.

(c) *Icterus*. Icterus, Ital. *Itterizia, Morbo Regio, Mal dell'Arco*: cum toto corpore nativus color in flavum, a flavæ bilis diffusione, mutatur. Vide Celsum *lib. 3. c. 24.*

(d) *Lithiasisque*. Lithiasis, Ital. *Mal di Pietra, Calcoli, Renella*: a λιθος Lapis, & ἄση fastidium.

(e) *Nephritis*. Nephritis, Ital. *Dolori Nefritici*: pro omni morbo, quo renes laborant: a Νεφρός Ren. Renum scilicet obstructio, & inflammatio, cum vehementi dolore: cui conjuncta Urinæ difficultas, cum fibrosis excretis, vel arenosis, vel sanguineis.

(a) Me-

Copia tunc: uterique moras tunc ſolvet opertis
Et thalami referet meritos Hymenæus honores.
 Cætera quid memorem, Lunari ut diſſona gyro
Fœminei emendet tibi Fons purgamina ſexûs,
Parca ubi vel nimiùm, nimiùmve fluentia currant?
Folliculo excreſcens ſic dum Meliceria, [a] pulti
Aut ſuppat miſeros Atheroma [b] obſederit artus;
Hos tibi præcipiam, ſive his obijſſe propinquos
Aſtutum Latices. [c] quin, his mordacia vinces
Phymata: [d] quæque furens inflixit vulnera membris
Uſa Cupidineo Conjux Vulcania telo.
 Hoc valeat quæ Fonte frui, non illa remotas
Longinquo ſibi quærat aquas ſub ſidere: quamquam
Turgida divexet lymphâ obfirmatus inerti
Membra tumor (Scirrhon [e] veteres dixere Pelaſgi.)
Seu diſtenta [f] gravet, veniſque tumentibus idem
Ubera demittat: Parioque ſimillima ſaxo
Duret, in exitium miſeræ fœcunda parentis.
 At diverſa premit quando Fortuna malorum,
Seque feram ſtomacho exhibuit: [g] diverſa frequenti
Blandimenta malis parat Ænaris Ora lavacro:
Quod revocare tuum poſſet, Tirynthie, robur.
Hinc

(a) *Meliceria*. Meliceria, Abſceſſus cum folliculo: Ital. *Meliceride*: a melleo humore, quo intumeſcit: a μέλι mel, & κηρὸς favus, quaſi favus mellis. Conſulatur Celſ. *l.5.c.26.*, *&* 28., *& l.7.c.6.*

(b) *Atheroma*. Atheroma, Abſceſſus etiam cum folliculo: ſed pulte veluti oppletus: Ital. *Ateroma*.

(c) *Sive his obiiſſe propinquos &c.* Balnea nimirum, quæ ſunt prope Parvum Gurgitem: vulgò, *Il Bagno della Lebbra*, *Di S. Maria del Popolo*, *Delle Gingive*, *e De' Denti*: quæ Morbo Gallico præſertim utilia, & Furunculis.

(d) *Phymata*. Phymata, Furunculi, ſeu tubercula erumpentia: a Φύω naſcor.

(e) *Scirrhon*. Scirrhos, a Græco Σκίῤῥος: Ital. etiam *Scirro*: Tumor durus, renitens, in glandulis obortus: proveniens a ſucci lymphatici atra-biliatis, ut ajunt, acido-auſteri, & congelantis ſubſiſtentiâ, & collectione.

(f) *Seu diſtenta &c.* Scirrhus in uberibus mulierum nimio lacte diſtentis, & duratis.

(g) *Seque feram Stomacho &c.* Pro omnibus morbis, qui Stomacho officiunt, ſalubre in primis Balneum, quod ex hoc Indig. *Dello Stomaco* appellant

(a) *Hinc*

Hinc malè concoctis [a] si turbida sæviat escis
Nausea: sive dapes, epotaque murrhina cogat
Evomuisse: cibique tenax [b] non amplius, inter
Ditia non alitur tabens chrysendeta corpus;
Nec Scarus Eoi, Lucrini aut Ostrea fluctûs
Ulla gulam irritant, mensisque acipenser opimis;
Si clandestino tumeant præcordia flatu: [c]
Iliave insultans singultibus interruptis [d]
Sæpe dolor quatiat; clamosaque rugiat alvus; [e]
Sive diu te Tussis [f] habens vetet anxia Cœlo
Liberiore frui, pectusque tenaciùs arctet;
Ne dubita, Herculeæ victor velut alter Echidnæ,
Monstra tot elides generosior, hæc ubi lustres
Balnea, quæ noster reseratque, & præstat Apollo.
Ora quoque [g] exhalant acidam cum putida nubem
(Namque, calor victum quem non fermentat, acescit
Sæpe cibus, ructuque gravi contaminat auras.)
Enervis cum languet, iners aut Æger anhelo
Pectore, consumptis tabo vix ossibus hæret;
Tunc Ferrugineos [h] inferre canalibus imbres
Ne pigeat, Nymphæque super Furnellidos, & quos
Gur-

(a) *Hinc malè concoctis &c.* A Nauseâ, & vomitibus a malâ ciborum concoctione ortum trahentibus, vindicabunt Balnea, vulgò *Del Succellaro*, *Di Piaggia*, ò *Carta Romana*, *Dello Stomaco*, *Di Fornello*, *Mezza Via*, *Castiglione*, *e Del Ferro*; quæ duo postrema Stomachi cruditati consulent.

(b) *Cibique tenax &c.* Morbum hunc a Cachexiâ præsertim creatum ut expellas, utere Balneis, vulgò *Del Ferro*, *e Dell'Ulmitello*.

(c) *Si clandestino &c.* Inflationibus præcordiorum opportuna Balnea vulgò, *Di Castiglione*, *San Montano*, *e Fornello*.

(d) *Iliave insultans &c.* Stomachi singultus facile a Balneo *Dello Stomaco* vincuntur.

(e) *Clamosaque rugiat alvus*. Ad sedandos stomachi rugitus, ac dolores, apta, quàm quæ maximè, Balnea *Dell'Ulmitello*, *Dello Stomaco*, *Castiglione*, *Mezza via*, *e Fornello*.

(f) *Sive diu te Tussis &c.* Ut tussi medicinam facias, adhibe Balnea, vulgò *Del Surcellaro*: Eadem etiam, cum pectoris angustiæ libere spiritum ducere non sinant.

(g) *Ora quoque exhalant &c.* Contra acidos ructus a malâ cibi concoctione, Balnea vulgò *Di Castiglione*, *e Dell'Ulmitello* usu venient.

(h) *Tunc Ferrugineos &c.* Ex dictis nuper in Not., & lib. 1., habes quæ nam sint hæc Balnea.

Gurgite Castillon, quos Subcellaria præbent
Arva, vel exiguâ quos Incola dixit ab Ulmo.
Ipsa etiam a Stomacho repetunt celeberrima nomen,
Romanisque Plagis, Montano & sacra renident
Indigeti quæ Stagna, velim te corpore toto
Auctor ego subiisse: dabunt iterata salutem,
Atque intestinis poterunt occurrere turbis.[a]
Horrida sed Boreæ teneras ubi flamina fauces,[b]
Vel Cauri premat aura nocens; agitabilis Uvas
Si gravet, & vento tonsillas obstruat aër,
Guttura dum stimulis angit flammata Synanche;[c]
Vel si deciduo[d] Trachea[e] humore laboret,
Asperaque attacto feriat pulmone meatus;
I, pete Romani[f] quam dat Plaga litoris, & quam
Exhibet Argenti,[f] vel Coctilis Unda[f] medelam.
His quoque te quondam properantem pharmaca mor-
Sensit acerba lues: & te dedit improba pœnas (bis
Vindice, quem (memini si quæ Podalirius olim
Narrabat studio recolens mihi vera) Nitrosæ[g]
Naïades dixere suo de nomine Fontem.
O mihi si veteres, Nereo indulgente, liquores

Eli-

(a) *Atque intestinis &c.* Intestinorum doloribus, atque Inflammationi præsto erunt Balnea *Dell'Ulmitello*, *e Fornello*.

(b) *Horrida sed Boreæ &c.* Faucium inflammationibus, quâcumque ex causâ, & Uvæ (Ital. *L'Ugola*) relaxatæ, & Tonsillarum, subveniunt Balnea *Di Piaggia*, *ò Carta Romana*, *Del Cotto*, *ò sia Delle Cajonche*, *e Dell'Argento*.

(c) *Synanche*. Synanche, Ital. *Schinantia*, Latinis *Angina*: Morbus in faucibus, propriè ex musculorum inferiorum inflammatione. A Κυνάγχη, deducto ab ἄγχω strangulo. Consulatur Cels. *l. 4. c. 4.* Synanchen curant Balnea *Dell'Ulmitello*, *Castiglione*, *e Fornello*.

(d) *Vel si deciduo &c.* Gutturis distillationes persanabunt Balnea *Di Piaggia Romana*, *Delle Cajonche*, *ò sia Del Cotto*, *&* olim *Il Nitroso*.

(e) *Trachea &c.* Trachea, Ital. *Aspra Arteria*, *ò sia Canna del Polmone*. A Τραχὺς *Asper*. Tracheam igitur si distillatio gravet, occurrendum illi Balneis *Di Piaggia Romana*, *e Dell'Ulmitello*.

(f) *I, pete Romani &c.* Balnea videlicet *Di Piaggia Romana*, *Dell'Argento*, *e Del Cotto*.

(g) *Nitrosæ Naïades dixere &c.* Balneum nempe *Del Nitroso*, quod maris æstus absorbuit, ut diximus lib. 1.

(a) *Plem-*

Eliceres iterum: & reduci te gurgite possem
Inter litoreas salientem cernere ripas!
Tunc ego te tumidâ mallem Pleuritide [a] quando
Anguntur latera, & febri inflammantur acutâ;
Aut prædura. [b] nimis solvenda est alvus; & atræ
Bilis ubi exundans, [b] acidusque efferbuit humor:
Vos etiam multo suffusi corpora felle: [b]
Instabilesque genu, vix languida membra trahentes: [b]
Lurida quos tenuat Macies: [b] quos Rheumata contra
Insiliunt: [b] Pituita premit vel salsa: [b] vel urgens
Calculus: [b] obseptos inter seu glarea renes, [b]
Utier his iterum Stagnis, iterumque monerem.
Nec gemeres uteri, Clymene, disrupta latratu [b]
Infelix, dum nata mali contundere vires
Defluerent, membrisque agerent aspersa venenum.
In melius rerum verso tum cardine, nullam
Vel Scabiem [b] assiduè, Psoram [b] vel adunca recurvo
Scalperet ungue manus; nec luctu prædita mœror [b]
Vulturis insomni foderet præcordia rostro.
Insuper his alios si Fontibus addere Fontes, [c]
Lixivjque, Aurique velis, Fontanaque Stagna,
Et quibus a Cellis ductum cognomen adhæret,
Et venas, Solicete, tuas, & nomina præbet
Queis

(a) *Pleuritide &c.* Pleuritis, a πλευρά, Membrana costas subcingens: Dolor lateris vehementissimus, cum tussi, febre acutâ, at sputo citiùs, vel tardiùs subsequente, ab inflammatione ejusdem membranæ, obortâ ab impedito sanguinis biliosi ibidem per venas recursu. Ital. *Stantuaen, Mal di punta*. Pleuritidem olim emendabat Balneum Nitrosi.

(b) *Aut prædura &c.* Exonerandæ alvo: Atræ Bili (hoc est humori acido, melancholico, excrementitio in Pancreate collecto) expellendæ: Ictero laborantibus Debilibus, ac Tabe consumptis reficiendis: Catharro, & Pituitæ Salsæ expurgandæ: Calculis renum, & vesicæ frangendis: Arenulis e renibus dejiciendis: Quibuscumque uteri fœminei morbis, nimirum Torsionibus, Strangulationibus, sive Præfocationibus: item Matricis doloribus sedandis: Scabie, vel Psora Infectis: ac denique Melancholicis levandis, idem Balneum Nitrosi deserviebat.

(c) *Insuper his &c.* De quibus Balneis hic sermo, abundè patet ex lib. 2.

(a) *Lym-*

Queîs Specus, & lymphas Dojano e litore:[a] nunquam
Tuſſis[b] anhela latus, nec fauces anget obeſas.
Tabida non poſthac pulmonem incommoda: poſthac[c]
Aſperitas[d] non dira fibras, nec pectora lædent.
At neque difficiles[e] cœli ſpirabilis auras
Parturies: nullo ferient Suſpiria motu
Diſſultantem animam, duræ patientia ſortis
His tua fumiferis caleant ſi corpora labris.
Hìc indiſtinctis raucùm[f] ſi diſſona verbis
Ora ſonent, vetitum poterit patuiſſe ſonoræ
Vocis iter: nodo ſolvi sic lingua tenaci.[g]
Hæc eadem (Argenti modò claudat Aquator, & Auri,
Coctilideſque undas, Lixivj & Stagna: recluſis
Et te, Caſtilion, & vos, Vada Ferrea, venis,
Et Latices, Pontane, tuos ſuperaddat) iniquo
Invalidos caſu arcebunt, rapientque periclis.
Scilicet ora croco[h] ſeu cum pallentia morbi
Arquati fera ſigna dabunt: Cacochymia[i] vultum
Seu

(a) *Lymphas Dojano e litore.* Idem, quod aliter *Bagno dell'Ulmitello* vocant.

(b) *Tuſſis anhela &c.* Pro morbo hoc in uſu medico ſunt Balnea *Di Piaggia Romana*, *Della Spelonca*, *Del Cotto*, *Di Soliceto*, *e Del Succellaro*.

(c) *Tabida non poſthac &c.* Malis omnibus, quæ Pulmoni officiunt, proderunt Balnea *Di Fontana*, *Dell'Argento*, *Dell'Oro*, *Di Piaggia Romana*, *e Dell'Ulmitello*.

(d) *Aſperitas &c.* Balnea *Di Piaggia Romana*, *ed Ulmitello* Ægrum a pectoris morbis, atque ab Aſperitate præſertim aſſerent.

(e) *At neque difficiles &c.* Difficultatem ſpirandi, & Anhelitum ab Aſthmate ortum, tollent omnino Balnea *Di Soliceto*, *Di Fontana*, *Del Cotto*, *Della Colata*, *Di Piaggia Romana*, *e Dell'Ulmitello*: cujus præſertim aqua utilior erit ſi epota.

(f) *Hìc indiſtinctis &c.* Ravi, ſive Raucitate afflictos ſanitati reſtituent, vocemque reddent ſonoram Balnea *Di Piaggia Romana*, *Dell'Oro*, *e Dell'Argento*.

(g) *Nodo ſolvi ſic lingua &c.* Si qua linguæ impedimenta, Ulcera, Tumores &c. diſſolventur ab aquis *Di Piaggia Romana*, *Succellaro*, *Dell'Ulmitello*, *e del Cotto*.

(h) *Scilicet ora croco &c.* Ital. *Iterizia*, *ò ſia Mal dell' Arco*: cui auxilio erunt tria poſtrema balnea enumerata.

(i) *Cacochymia.* Cacochymia; a Κακός Malus, & Χυμός Succus: vitium humorum vitalium. Cacochymiæ quidem diverſę ſpecies, Billioſa, Cholerica, Pituitoſa, Phlegmatica, Seroſa, Atrabiliaris, ſive Melancholica: pro quâ præcipuè hic appoſita: cum de Lentiginibus ab Atrâ Bile provenientibus loquamur: Et hæ quidem a Pontani

Seu vitiet: Lentigo [a] decus ſeu detrahat ori.
Multum adeò hinc lucri: multa his ſe ſe efferet undis
Indita vis, lumbi quando tentantur, adactum
Et lateri ut calcar tabes [b] affixa nefaſtos
Ire dies cogit: concretaque Arena meatus [c]
Obſtruit: aut renes, [d] veſicæ [d] aut ſepta maligne
Et petit, & dirum morſu depaſcitur ulcus.
Proderit undoſos olli exploraſſe receſſus
Hos quoque, viſceribus lapidoſam inoleſcere fæcem [e]
Qui dolet, & ſaxis queritur creſcentibus Æger;
Cum fruſtra ūrinæ collapſum profluus humor [f]
Arctato ſibi quærit iter pervadere ductu.
Sic, ubi per latos nimiùm diffuſa canales
Gutta fluat, maculetque toros: humentiaque inter
Stragula Micturiens [g] graveolenti in ſorde jacebit.
Sive improvisò [h] conſperſâ ſindone currant,
Et tractim injuſſæ manent per lintea ſtillæ:
Vellicat exuſtos tunc cum Stranguria, [i] & ingens
Ureteras [k] habet ſtimulis mordacibus ardor.

tani Balneo, præ cæteris, delentur.

(a) *Lentigo.* Lentigo, Ital. *Lentiggine, Maccòie del volto, Volatiche.* Id genus maculas tergunt penitùs Balnea *Di Fontana, Caſtiglione, Ulmitello, e Succellaro.*

(b) *Et lateri &c.* Ab iiſdem Balneis ſperanda ſalus, cum Lumbi doleant: & præſertim a Balneo Solliceti. Laterum verò, ac Renum dolores arcebit, præter Balneum Solliceti, Balneum *Dell'Ulmitello, e Di Pontano.*

(c) *Concretaque Arena meatus &c.* Ital. *Renella, Oppilazion delle Reni:* prçter duo, quç diximus, malo huic ſuppetias ferent Balnea *Di Succellaro, Caſtiglione, e Piaggia Romana.*

(d) *Aut renes, veſica aut ſepta &c.* Ad Renum ulcera, præſcribenda Balnea *Dell'Ulmitello, e Piaggia Romana, Del Ferro, e Fontana*: quæ duo poſtrema veſicæ exulceratæ levamen afferent.

(e) *Viſceribus lapidoſam inoleſcere &c.* Ital. *Mal di Pietra.* Labem hanc eadem Balnea expellent, quæ Arenam expellere exiſtimantur.

(f) *Cum fruſtra urina &c.* Laborantes Iſchuriâ, Ital. *Ritenzion d'urina*, ſanos faciet Balneum *Di Caſtiglione, Succellaro, e Di Pontano*: & hujus quidem Aqua hauſtu utilior.

(g) *Stragula Micturiens &c.* Micturientibus præcipienda Balnea *Del Ferro, e Piaggia Romana.*

(h) *Sive improvisò &c.* Urinæ ſtillicidium Balneum *Di Succellaro* inhibet, ejuſque ardorem: quem etiam Baln. *Di Fontana* extinguit.

(i) *Stranguria.* Stranguria, Urinæ Stillicidium: a ςράγξ Gutta, & οὖρον urina: ſive a ςραγγάω, & ςραγγίζω guttatim exprimo.

(k) *Ureteras.* Οὐρητῆρες ab οὖρον urina, & τηρέω ſervo: quaſi urinam ſer-

Scitis ut (ante neces ageret dum ſæva, metumque
Tiſiphone) hìc furiis potuere obſiſtere Lethes
Tot languentum Acies; ubi, Dipſade durior, auctâ
Sæpe ſiti, renes furiata infeſtat: & artus
Eliquat, atque acri Diabetes [a] membra veneno,
Exſuccaſque trahit conſumpto humore medullas.
Qui tamen a Parvâ ticulum ſibi vindicat Ulmo,
Quàm celeber Fons ille fluit! quàm certa petenti
Auxilia impendit: ſtillans Ophthalmia [b] quamvis
Effluat, humenti ſeu Phlegmate pectus abundet!
Hi tibi quæ Rores pellendis commoda morbis
Pharmaca, quas valeant vires depromere: teſtes
Hepatici, [c] durùmque gemens Arthriticus, & qui
Abſceſsu arroſis, & ſcabris unguibus horret.
Aſpera vos teſtes & quos Arteria vexat
Faucibus excreſcens, aut rubris Ecthyma [d] bullis:
Aut animas graviter ſpirantes inficit Oze. [e]
Addam etiam præceps ſomnum quos polluit inter,

No-

ſervantes. Sic dictæ a Græcis *Vena colore alba, qua a renibus ad veſicam feruntur: quòd per eas inde deſcendentem urinam deſtillare concipiunt*. ita Celſ. *l.4. c.11*

(a) *Diabetes*: Diabetes, Ital. etiam *Diabete*: demittendæ urinæ inexplebilis cupiditas, & retinendæ impotentia; a calidâ, vel ſiccâ renuoi intemperie: vel humore bilioſo, acri, ſalſo, & renes aſſiduè irritante. Tale quidem veneni genus renes, ac veſicam infeſtat, quale a Dipſade ſerpente funditur; ut enim Dipſadis morſu appetiti vehementiſſimè ſitiunt (unde & nomen Dipſadi factum a Διψάω ſitio) ita etiam Diabete laborantes. Affert præterea carnis, adipis, ac membrorum in urinam colliquationem: ob quam ſumma macies in toto corpore. Diabetes quidem a Διαβαίνω, Tranſeo: quòd ſcilicet corporis humor nullibi conſiſtat, ſed ſubinde de loco in locum tranſeat: non aliter ac aqua per ſiphones. Balnea *Del Ferro, e Pioggia Romana* cenſentur mederi huic morbo.

(b) *Ophthalmia*. Ophthalmia, ſumitur latè pro quocumque oculorum morbo: ab Ὀφθαλμιάω oculorum morbo laboro: ſtrictè pro horum inflammatione, cum lacrymarum profuſione, ut hic accipimus.

(c) *Hepatici*. Hepatici, hepate laborantes: ita Plin. appellat *lib.26.c.7.*, & alibi.

(d) *Ecthyma*. Ecthyma, ab ἐκθύειν, ferri cum impetu, vel erumpere: denotat Papulam ſupra cutem erumpentem. Hìc generatim pro iis maculis, quæ corpus ſuffundunt.

(e) *Oze*. Oze, oris fætor: ut Celſ. *l.3. c.11.* Ab ὄζω, Oleo.

(a) *Thy-*

Noxia ubi placidam turbat genitura quietem.
Læſa vel ulceribus, vel preſsa doloribus auris,
Tubera cum, parileſque Thymi [a] excrevere corymbis,
Haurit inexplicitas confuſo murmure voces?
Ne multùm, ne quære: aliis fortaſse negarit
Quam fera Sors, fractis hìc meta noviſſima rebus.
Namque infundibulo collecti ex imbre vapores
Affectam poterunt fumo pervadere partem.
Quod niſi profuerit; ſtratis tunc membra reclinet
In latus, atque aurem lymphis ſtillantibus Æger
Suppoſuiſse velit; latices dein funde calentes
Deſuper, & Gutto immiſsus ſine profluat humor.
Hos ubi non longo tibi temporis intervallo
Suſtinuit rores: age, protinus excute: eòdem
Inde alios, tractimque alios inverge recentes.
Ante ſed aut unam, aut binas non amplius horas,
Quàm velit appoſitis lautus conſidere menſis,
Incubuiſse operi expediet. ſic ordine certo
Hæc eadem repetes; repetentem talia Phœbi
Non ſemel orta dies videat; deſiſtere tandem
Non priùs incœpto liceat, quàm roſcida curſu
Luna ſuo peragrans medium confecerit orbem.
Proh quantum hæc eadem mihi robur aquatica pro-
Munera, cum turgens obſeſso lingua palato (dent
Hæreat, incertoque ſonos diſcrimine fundat!
Hic, tibi ſi crebrò motis cor palpitet alis,
Aſseret; hic ſolido toties adamante rigentem
Duriùs, aſpersâ ſplenem Fons mollìit undâ: [b]
Impliçitaſque vias ductu patefecit aquarum.

 Nec

(a) *Thymi*. Thymi, Ital. *Eſcreſcenze carnoſe*, qui more corymborum excreſcunt, & pendent; a quibus tinnitus, ſibilus, ac ſurditas in auribus: quibus morbis adeò utile exiſtimavit Jaſolinus Balneum *Dell'Ulmitello*, ut *Bagno dell'Orecchie* dixerit.

(b) *Splenem Fons mollìit &c.* Ital. *Durezza, ed Oppilazion di Milza.*

(a) *Oza-*

Nec quærenda aliis meliore ſalubrior hauſtu
Lympha fuit, tetrum cum fluxu ichoris odorem,
Atque Ozæna [a] putris ſaniem diffunderet: & cum
Non una obſtrueret nares Verruca [b] tumentes;
Sive Adenes,[c] Porrique [d] artus, ſeu marcida linguam
Ulcera corriperent; ſeu par Furunculus [e] ovi
Dimidio, jactis ſubter radicibus altè
Inficeretque cutem, & concreto corpora ſucco.
Iliacis [f] quoties agitata aſsultibus alvus
Infremuit: preſſitque furens ſine more Tenaſmus: [g]
His etiam, his tabes deſæviit utraque lymphis.
Nec non his turpi vel Condylomata [h] callo,
Et quæ præterea partes deturpat eaſdem
Puſtula: [i] quæque pudor prohibet meminiſse, recedunt.
Hinc ſperata ferent querulæ ſolatia Matres,
Albida ſeu nimiùm, ſeu purgamenta redundent
Menſtrua: ſive fluor [k] lapſu metuendus aquoſo.

Nec

(a) *Ozæna.* Ozæna Putridum ulcus in naribus, tetrum odorem emittens, cum profluvio ſaniei: ſerpens vel cum, vel ſine corruptione cartilaginearum, & oſſearum partium; proveniens a collectione, & fluxu ichoris, excrementi ſcilicet ſanguinei, vel lymphatici, acrioris, & corrodentis. Ab Ὄζω *Oleo.*

(b) *Verruca.* Verruca, Ital. etiam *Verruca*, Accretio carnis intra nares.

(c) *Adenes.* Adenes, Strumæ nimirum: Ital. *Scrofole*. Ab ἀδω ſatio: quòd tonſillæ, ſive glandulæ ſint, quæ ſæpius humore illapſo ſatiatæ, & expletæ tument: quod proprium Strumarum eſt.

(d) *Porrique.* Porri, ſpecies Verrucarum per corpus diſperſarum.

(e) *Furunculus.* Furunculus, Tumor ex craſſis humoribus in carnoſis plerumque partibus conſiſtens; aliquando ſolam cutem occupat, aliquando pervicax altè jactis radicibus erumpit; illumque ovi dimidio ſupparem dicit Celſ. *l.5.c.18.*

(f) *Iliacis &c.* Exprimitur Paſſio Iliaca, Ital. *Colica*, *Doglia Iliaca*: ab Inteſtino, quod *Ileum* dicitur.

(g) *Tenaſmus.* Tenaſmus, Ital. *Tenaſmo*, *ò Pondi*: Noſtrat. *Premiti*: aſſiduum fere per alvum excernendi deſiderium, urgens cum dolore, præcipuè in Sedis extremo, cum excretis modicis, mucoſis, & cruentis, aut purulentis.

(h) *Condylomata.* Condylomata, Calloſæ carnis accretiones in partibus corporis, & præſertim in Sede. Dicta ſic quòd ad modum articuli promineant: Κόνδυλος enim digiti articulum ſonat.

(i) *Puſtula.* Puſtula, Ulcera nempe, Rimæ, aut Rhagades, Pondus, Proptoſis, ſive Procidentia Sedis.

(k) *Sive fluor &c.* Ital. *Flusso aquoſo*: ut Jaſolinus: a quo has, & alias hujuſmodi voces, in morborum generibus explicandis, deſumpſimus.

(a) *Seu*

Nec feret humanâ, Febris, te cæde furentem,
Vexantemque sinus, & pectora anhela prementem,
Exercere tuas Unda hæc crudeliter iras,
Seu Notha, [a] quatridui seu tu, Quartana, recursu.
Sæpe licèt vestros frangant Hydrea rigores
Cypria, [b] & a Medio [b] nomen sortita viarum.
Quem modò si quis amet postremum exquirere Fon-
Non illum Scabies, duri non damna lienis, [c] (tem,
Rejectæve prement vomitu fastidia mensæ.
Nec stomachum se se fundent contagia circùm,
Densatæ ut circùm se fundere castra cohortes
Obsidione solent. vallo non undique cinget
Asperitas inimica cutem. non crudus ab extis
Humor: [d] & ex oculo manabit plurima lippo
Lacryma: detortis veniet sua gratia Pætis.
Et quamvis obtusa acies caliget in ipso
Sole, superfusis tam denique cernet acutùm
Imbribus, Hæmonio queat ut contendere Lynceo.
Ipsa etiam, adductos si contrahat improba nervos,
Ponet hebes resoluta suis Convulsio [e] nodis:
Et solitos iterum peragent citò corpora motus.
Hostica ceu victus mordet qui vincula miles,
Nulla valet vetito vestigia figere gressu:
Namque pedes, nam lora manus post terga revinctas
Implicuere; feros at si pia dextera nexus
Solvat, & attritas liber premat ille catenas:
Continuò pedibusque viam, manibusque capesset

Ar-

(a) *Seu Notha.* Febris Notha, Ital. *Febbre spuria.*

(b) *Hydrea Cypria &c.* Ital. *Bagno di Citàra, e Di Mezza Via.*

(c) *Duri non damna lienis.* Ital. *Ostruzion di Milza.*

(d) *Crudus ab extis humor &c.* Pituita nimirum; humor excrementitius, crudus, aqueus, collectus præsertim in Ventriculo; qui voce *Extis* expressus est: Exta enim strictè cor, pulmonem, lienem, jecur, & ventriculum significant.

(e) *Convulsio.* Nervorum attractio, quæ & spasmus dicitur.

(a) *Sive*

Arma, instauratæ renovans certamina pugnæ.
Tu quoque felices partu, Matrona, propinquo
Experieris aquas, thalamisque fruere secundis.
Neve dehinc terrere malis; timor omnis abesto:
Sive genas Maculæ [a] turpent, seu nuncia fœtus
Signa ferant, stimulisque dolor præludat acerbis.
Ut tamen utilium felicior usus aquarum
Eveniat, fausti partem sibi seligat anni
Æger, Amyclæos ubi rustica turba racemos
Colligit, & lectas calcat pede vinitor uvas.
Apta etiam nostris hyemali frigore votis
Bruma venit, tardos inter numeranda Decembres.
Hoc erit ærumnis experto tempore virtus
Tempestiva nimis, capitis cui debita læsi
Cura, laborantisque Uteri custodia cordi est.
Quot mihi, dum veteris repeto præcepta Magistri, [b]
Quot mihi consumptis adhibenda salubriter Ægris
Pharmaca succurrunt! quot porrigit Insula rores!
Ille quidem Fontes mihi dum, viresque latentes
Indicat, edoctumque sagax per singula ducit;
O ades, & Clotho, me præceptore, furentem
Disce, Puer, quâ lege queas eludere, dixit.
Nulla mihi placeat medicina potentior, illam
Quàm si Castilion præbere, vel Aurea possint
Stagna, vel Argento, vel Ferro interlita, vel quæ
Nomen habent, Cytherea, tuum: quæve inter aquosas
Umbrasci valles, vel quæ Furnellide largo
Rupe fluunt ductu. nec qui confidit in hujus
Limus aquis fomenta tuis minùs apta parabit
Ille malis, ubi membra luto consperseris; ictos
Præ-

(a) *Sive genas Maculæ &c.* Ital. *Panni di faccia*: quæ præcipuè ora mulierum uterum ferentium deturpare solent.

(b) *Magistri &c.* Podalirii nempe, a quo se edoctum superiùs Auctor dixit.

(a) *Præ-*

Præcipuè nervos [a] si vis inimica coëgit
Ferre vel assiduos dextrâ indignante tremores:
Sive retardatos [b] occultâ compede motus.
Quàm bene se nostri vel Caligantibus [c] Imbres,
Quàm bene se proment Hirquis! [d] hæc sæpe madentes
Et sanie nares, [e] plenasque sonoribus aures [f]
Utiliter Nymphæa lavant; atque arida Matrum
Ubera distendunt; [g] præsertim hâc najade quando
Spargatur mollita Ceres: sparsamque subinde
Dente premant, mensisque velint adhibere paratis.
Læta minùs nec posse alios præsagia credam
Hìc capere, obtusum repetito verbere [h] languet
Dum caput: aut nimio deprensum frigore: [i] & udum
Prætumido exstillet sensim lentore: [k] fatiscat
Seu gravè, fumiferas cum fert Cephalæa [l] procellas,
Humidaque haud tenues paritura Coryza [m] labores.
Sic

(a) *Præcipuè nervos &c.* Paralysi laborantes, Ital. *Paralitici*, a Παραλύω dissolvo, debilito, Balnea *Di Fornello*, ejusque lutum, e *Del Ferro*, confirmant.

(b) *Sive retardatos &c.* Per Convulsionem nempe; ut ab hâc incolumis evadas, selige Balnea *Di Citàra*, *Della Colata*, *e la Doccia* in Valle Umbrasci.

(c) *Caligantibus &c.* Oculorum aciem purgant Balnea *Dell'Oro*, *Castiglione*, *e della Colata*.

(d) *Hirquis*. Hirqui, Oculi in utrúque angulum retorti: quibus opitulantur Balnea *Di Fornello*, *e Colata*.

(e) *Et sanie nares &c.* Ozæna, de quâ *pag.* 196. *lit.* a.: ab hâc ut convalescas, pete Balnea *Di Fornello*, *Castiglione*, *ed Umbrasco*.

(f) *Plenasque sonoribus &c.* Tinnitum discutiunt Balnea *Di Fornello*, *e Colata*.

(g) *Ubera distendunt &c.* Lactis Inopiam non experientur Fœminæ, quæ Balneo *Di Citàra* laventur; vel panem in aquas Balnei *Della Colata* infusum comedant.

(h) *Obtusum repetito verbere &c.* Caput doloribus expedire censentur Balnea *Di Fornello*, *Colata*, *e Citàra*.

(i) *Aut nimio deprensum frigore &c.* Frigidam distillationem, vulgò *Distillazione fredda del capo*, abigent Balnea *Di Fornello*, *Colata*, *e Castiglione*.

(k) *Et udum prætumido &c.* Vulgò *Intemperie fredda*, *ed umida di testa* ab hoc malo immunem reddent Balnea *Di Citàra*, *Fornello*, *e Valle d'Umbrasco*.

(l) *Cephalæa*. Cephalæa, Capitis diuturnus, ac difficilè solubilis dolor: A Κεφαλὴ Caput. Qui hoc vexatur, quærat Balnea *Di Citàra*, *Fornello*, *e Castiglione*.

(m) *Coryza*. Coryza, Humor e capite fluens, quasi Κάρα Caput, & ζέω bullio, ferveo: Latinis *Gravedo*, Catharri species, cujus materia peccans per nares secernitur. Hâc ne ulterius

Sic importunâ si quis vertigine [a] nutet,
Ad terramque fluat flexâ cervice; nec usquam
Fida, parumque tenax lasso labet icta cerebro
Mnemosyne, [b] & lapsam cæpere oblivia mentem.
Afflatum Herculeo [c] stupeat seu sidere corpus,
Cum lymphata furit versatilis Ira Dianæ:
Obruat his velox tabem, precor, obruat undis.
At quæ Romuleis repetunt sibi nomen ab oris
Balnea, [d] quot Vati titulis signanda refulgent!
Nam tua si perimat Chordapsos [e] in intima lapsus:
Si Dysenteriæ [f] patiantur viscera morsus,
Nec requies levet ulla fibras: & Recta fluendo
Intestina gravem pariant Proptosida: [g] venis
Sanguineum eliciat si dira Hæmorrhois [h] imbrem:
Lympha tot effrænos hæc una insurget in hostes,
Et premet, & victos furialibus exuet armis.
Cæsariem si forte cutis laxata decoram

Nu-

terius premaris, obeunda Balnea *Del Ferro*, *Della Colata*, *e la Doccia nella Valle d'Umbrasco*.

(a) *Sic importunâ &c.* Sospes erit a Vertigine, qui freqnentabit Balnea *Di Fornello*, *e Castiglione*.

(b) *Nec usquam fida &c.* Qui parùm fidâ memoriâ utuntur, ut malo finem imponant, accedant ad Balnea *Della Colata*, *Dell'Oro*, *Dell'Argento*, *e Fornello*.

(c) *Afflatum Herculeo &c.* Epilepsia nimirum, quâ cum Hercules laborasse dicitur, *Morbus Herculeus* ab ipso dictus est. *Comitialis* etiam, & *Sacer*, & *Puerilis*: Ital. *Epilepsia*, *Mal caduco*, *Mal di Luna*. Ab ἐπιλήπτομαι comitiali morbo laboro. *Ira Dianæ* quoque dictus est: quòd affecti hoc morbo, eo ad Lunæ motum affictantur: ejus motibus ita obnoxii, ut secundùm ejus phases, ut ajunt, vexentur. Opem ferunt Epilepticis Balnea *Di Fornello*, *e Colata*.

(d) *At quæ Romuleis &c.* Balneum *Di Piaggia*, ò *Carta Romana*.

(e) *Chordapsos*. Chordapsos, Ital. *Voivolo*, *Colica*, *Passione Iliaca &c.* Hæ quippe voces *Chordapsos*, *Volvulus*, *Colon*, *Eileos &c.* confunduntur a Medicis: ut habet Lexic. Medic. V. *Eileos*.

(f) *Si Dysenteria*. Dysenteria, Ital. etiam *Disenteria*. Cels. l.2. c.28. *Tormina* dixit. Non abs re positum *rodere fibras*, cum non sine Intestinorum exulceratione, & Vasculorum corrosione sæviat in ventre. Vide *Not. pag.* 181. *lit. k.*

(g) *Proptosida*. Proptosis, Ital. *Procidenza della Sede*: cum Intestinum Rectum extra sedem prominet: ut *pag.* 182. *in Not. lit. a.* dictû est. A προπίπτω Procido, Cado.

(h) *Hæmorrhois*. Hæmorrhois, Profluvium sanguinis ex venis, quæ sunt in Sede. Ab αἷμα Sanguis, & ῥέω Fluo.

(a) *Leu-*

Nudavit, dempsitque comas; vel palpebra sensim
Depilis, & frontem Leuce [a] deformat honestam;
Nec suus est oculis vigor inditus: obruta densas
Ipsa acies dubiâ patitur sub luce tenebras:
Vel suffusa [b] cadens lacrymari lumina cogit
Humor, in obliquos crebrò nutantia flexus:
Hypochysisque [c] diem abripuit, noctemque profudit;
Quæ mora? quid patrio detentum rure moratur
Dilectæ te prolis amor? quidve, obsitus ævo
Te genitor, lentisque tenent uxoria curis
Limina, vel vitreo gaudentes Fonte penates?
Alter ab Ænariâ saliet, decurret & alter
Fons tibi, longævæ qui præbeat aurea vitæ
Tempora inoffensis iterum producere lustris.
Huc, adigant si fata, virum comitetur euntem
Uxor, ubi effluviis [d] non respondentibus usa
Ingemuit, seu nulla meent, seu plurima: cursu
Nec certas uteri leges, Lunasque sequantur.
Nec mihi displiceant his infœcunda Parentum
Corpora mersa vadis, viduâ cum nullus in aulâ
Ludat adhuc, tenerisque puer petat oscula labris.
Hìc etenim optatæ tandem lætabile prolis
Omen erit: venient plenis connubia tædis;
Ipsaque jam vacuo toties exclusa cubili
Intrabit repetita larem: nova pignora promet
Fertilitas, multusque domum solabitur hæres.
Non secus ac gelidæ post horrida frigora brumæ,

(a) *Leuce*. Leuce, propriè Alba Vitiligo, Lepræ species: a λευκὸς albus.

(b) *Vel suffusa &c.* Vel quia Ophthalmiâ laborant, lippis nimirum oculis: vel quia Ægilopes, qui fistulâ lacrymosâ urgentur.

(c) *Hypochysisque*. Hypochysis, Ital. *Cateratta*, Latinè *Suffusio*: ab ὑπὸ sub, & χέω fundo. Cum pituita inter Uveam, & Crystallinum humorem coagulata prohibet spiritus ab oculis exire, & in eundem intrare.

(d) *Uxor, ubi effluviis &c.* Menstruis scilicet.

Queîs Specus, & lymphas Dojano e litore: [a] nunquam
Tussis [b] anhela latus, nec fauces anget obesas.
Tabida non posthac pulmonem incommoda: posthac [c]
Asperitas [d] non dira fibras, nec pectora lædent.
At neque difficiles [e] cœli spirabilis auras
Parturies: nullo ferient Suspiria motu
Dissultantem animam, duræ patientia sortis
His tua fumiferis caleant si corpora labris.
Hìc indistinctis raucùm [f] si dissona verbis
Ora sonent, vetitum poterit patuisse sonoræ
Vocis iter: nodo solvi sic lingua tenaci. [g]
Hæc eadem (Argenti modò claudat Aquator, & Auri,
Coctilidesque undas, Lixivj & Stagna: reclusis
Et te, Castilion, & vos, Vada Ferrea, venis,
Et Latices, Pontane, tuos superaddat) iniquo
Invalidos casu arcebunt, rapientque periclis.
Scilicet ora croco [h] seu cum pallentia morbi
Arquati fera signa dabunt: Cacochymia [i] vultum

Seu

(a) *Lymphas Dojano e litore.* Idem, quod aliter *Bagno dell'Ulmitello* vocant.

(b) *Tussis anhela &c.* Pro morbo hoc in usu medico sunt Balnea *Di Piaggia Romana*, *Della Spelonca*, *Del Cotto*, *Di Soliceto*, *e Del Succellaro.*

(c) *Tabida non posthac &c.* Malis omnibus, quæ Pulmoni officiunt, proderunt Balnea *Di Fontana*, *Dell'Argento*, *Dell'Oro*, *Di Piaggia Romana*, *e Dell'Ulmitello.*

(d) *Asperitas &c.* Balnea *Di Piaggia Romana*, *ed Ulmitello* Ægrum a pectoris morbis, atque ab Asperitate præsertim afferent.

(e) *At neque difficiles &c.* Difficultatem spirandi, & Anhelitum ab Asthmate ortum, tollent omnino Balnea *Di Soliceto*, *Di Fontana*, *Del Cotto*, *Della Colata*, *Di Piaggia Romana*, *e Dell'Ulmitello*: cujus præsertim aqua utilior erit si epota.

(f) *Hic indistinctis &c.* Ravi, sive Raucitate afflictos sanitati restituent, vocemque reddent sonoram Balnea *Di Piaggia Romana*, *Dell'Oro*, *e Dell'Argento.*

(g) *Nodo solvi sic lingua &c.* Si qua linguæ impedimenta, Ulcera, Tumores &c. dissolventur ab aquis *Di Piaggia Romana*, *Succellaro*, *Dell'Ulmitello*, *e del Cotto.*

(h) *Scilicet ora croco &c.* Ital. *Itterizia*, *ò sia Mal dell' Arco*: cui auxilio erunt tria postrema balnea ennumerata.

(i) *Cacochymia.* Cacochymia; a Κακὸς Malus, & Χυμὸς Succus: vitium humorum vitalium. Cacochymiæ quidem diversę species, Biliosa, Cholerica, Pituitosa, Phlegmatica, Serosa, Atrabiliaris, sive Melancholica: pro quâ præcipuè hic apposita: cum de Lentiginibus ab Atrâ Bile provenientibus loquamur: Et hæ quidem a Pontani

Seu vitiet: Lentigo [a] decus seu detrahat ori.
Multum adeò hinc lucri: multa his se se efferet undis
Indita vis, lumbi quando tentantur, adactum
Et lateri ut calcar tabes [b] affixa nefastos
Ire dies cogit: concretaque Arena meatus [c]
Obstruit: aut renes, [d] vesicæ [d] aut septa maligne
Et petit, & dirum morsu depascitur ulcus.
Proderit undosos olli explorasse recessus
Hos quoque, visceribus lapidosam inolescere fæcem [e]
Qui dolet, & saxis queritur crescentibus Æger;
Cum frustra ūrinæ collapsum profluus humor [f]
Arctato sibi quærit iter pervadere ductu.
Sic, ubi per latos nimiùm diffusa canales
Gutta fluat, maculetque toros: humentiaque inter
Stragula Micturiens [g] graveolenti in sorde jacebit.
Sive improvisò [h] conspersâ sindone currant,
Et tractim injussæ manent per lintea stillæ:
Vellicat exustos tunc cum Stranguria, [i] & ingens
Ureteras [k] habet stimulis mordacibus ardor.

 Sci-

tani Balneo, præ cæteris, delentur.

(a) *Lentigo.* Lentigo, Ital. *Lentiggine, Macchie del volto, Volatiche.* Id genus maculas tergunt penitùs Balnea *Di Fontana, Castiglione, Ulmitello, e Succellaro.*

(b) *Et lateri &c.* Ab iisdem Balneis speranda salus, cum Lumbi doleant: & præsertim a Balneo Soliceti. Laterum verò, ac Renum dolores arcebit, præter Balneum Soliceti, Balneum *Dell'Ulmitello, e Di Pontano.*

(c) *Concretaque Arena meatus &c.* Ital. *Renella, Oppilazion delle Reni:* preter duo, que diximus, malo huic suppetias ferent Balnea *Di Succellaro, Castiglione, e Piaggia Romana.*

(d) *Aut renes, vesica aut septa &c.* Ad Renum ulcera, præscribenda Balnea *Dell' Ulmitello, e Piaggia Romana, Del Ferro, e Fontana*: quæ duo postrema vesicæ exulceratæ levamen afferent.

(e) *Visceribus lapidosam inolescere &c.* Ital. *Mal di Pietra.* Labem hanc eadem Balnea expellent, quæ Arenam expellere existimantur.

(f) *Cum frustra urina &c.* Laborantes Ischuriâ, Ital. *Ritenzion d'urina*, sanos faciet Balneum *Di Castiglione, Succellaro, e Di Pontano*: & hujus quidem Aqua haustu utilior.

(g) *Stragula Micturiens &c.* Micturientibus præcipienda Balnea *Del Ferro, e Piaggia Romana.*

(h) *Sive improvisò &c.* Urinæ stillicidium Balneum *Di Succellaro* inhibet, ejusque ardorem: quem etiam Baln. *Di Fontana* extinguit.

(i) *Stranguria.* Stranguria, Urinæ Stillicidium: a στράγξ Gutta, & οὖρον urina: sive a στραγγάω, & στραγγίζω guttatim exprimo.

(k) *Ureteras.* Οὐρητῆρες ab οὖρον urina, & τηρέω servo: quasi urinam ser-

Scitis ut (ante neces ageret dum ſæva, metumque
Tiſiphone) hìc furiis potuere obſiſtere Lethes
Tot languentum Acies; ubi, Dipſade durior, auctâ
Sæpe ſiti, renes furiata infeſtat: & artus
Eliquat, atque acri Diabetes [a] membra veneno,
Exſuccaſque trahit conſumpto humore medullas.
Qui tamen a Parvâ titulum ſibi vindicat Ulmo,
Quàm celeber Fons ille fluit! quàm certa petenti
Auxilia impendit: ſtillans Ophthalmia [b] quamvis
Effluat, humenti ſeu Phlegmate pectus abundet!
Hi tibi quæ Rores pellendis commoda morbis
Pharmaca, quas valeant vires depromere: teſtes
Hepatici, [c] durùmque gemens Arthriticus, & qui
Abſceſsu arroſis, & ſcabris unguibus horret.
Aſpera vos teſtes & quos Arteria vexat
Faucibus excreſcens, aut rubris Ecthyma [d] bullis:
Aut animas graviter ſpirantes inficit Oze. [e]
Addam etiam præceps ſomnum quos polluit inter,

No-

ſervantes. Sic dictæ a Græcis *Venæ colore alba, quæ a renibus ad veſicam feruntur: quòd per eas inde deſcendentem urinam deſtillare concipiunt*. ita Celſ. *l.4. c.1.*

(a) *Diabetes*: Diabetes, Ital. etiam *Diabete*: demittendæ urinæ inexplebilis cupiditas, & retinendæ impotentia; a calidâ, vel ſiccâ renum intemperie: vel humore bilioſo, acri, ſalſo, & renes aſſiduè irritante. Tale quidem veneni genus renes, ac veſicam infeſtat, quale a Dipſade ſerpente funditur; ut enim Dipſadis morſu appetiti vehementiſſimè ſitiunt (unde & nomen Dipſadi factum a Διψάω ſitio) ita etiam Diabete laborantes. Affert præterea carnis, adipis, ac membrorum in urinam colliquationem: ob quam ſumma macies in toto corpore. Diabetes quidem a Διαβαίνω, Tranſeo: quòd ſcilicet corporis humor nullibi conſiſtat, ſed ſubinde de loco in locum tranſeat: non aliter ac aqua per ſiphones. Balnea *Del Ferro, e Piaggia Romana* cenſentur mederi huic morbo.

(b) *Ophthalmia*. Ophthalmia, ſumitur latè pro quocumque oculorum morbo: ab Ὀφθαλμιάω oculorum morbo laboro: ſtrictè pro horum inflammatione, cum lacrymarum profuſione, ut hic accipimus.

(c) *Hepatici*. Hepatici, hepate laborantes: ita Plin. appellat *lib.26.c.7.*, & alibi.

(d) *Ecthyma*. Ecthyma, ab ἐκθύειν, ferri cum impetu, vel erumpere: denotat Papulam ſupra cutem erumpentem. Hìc generatim pro iis maculis, quæ corpus ſuffundunt.

(e) *Oze*. Oze, oris fætor: ut Celſ. *l.3. c.11.* Ab ὄζω, Oleo.

(a) *Thy-*

Noxia ubi placidam turbat genitura quietem.
Læsa vel ulceribus, vel pressa doloribus auris,
Tubera cum, parilesque Thymi [a] excrevere corymbis,
Haurit inexplicitas confuso murmure voces?
Ne multùm, ne quære: aliis fortasse negarit
Quam fera Sors, fractis hìc meta novissima rebus.
Namque infundibulo collecti ex imbre vapores
Affectam poterunt fumo pervadere partem.
Quod nisi profuerit; stratis tunc membra reclinet
In latus, atque aurem lymphis stillantibus Æger
Supposuisse velit; latices dein funde calentes
Desuper, & Gutto immissus sine profluat humor.
Hos ubi non longo tibi temporis intervallo
Sustinuit rores: age, protinus excute: eòdem
Inde alios, tractimque alios inverge recentes.
Ante sed aut unam, aut binas non amplius horas,
Quàm velit appositis lautus considere mensis,
Incubuisse operi expediet. sic ordine certo
Hæc eadem repetes; repetentem talia Phœbi
Non semel orta dies videat; desistere tandem
Non priùs incœpto liceat, quàm roscida cursu
Luna suo peragrans medium confecerit orbem.
Proh quantum hæc eadem mihi robur aquatica pro-
Munera, cum turgens obsesso lingua palato (dent
Hæreat, incertoque sonos discrimine fundat!
Hic, tibi si crebrò motis cor palpitet alis,
Asseret; hic solido toties adamante rigentem
Duriùs, aspersâ splenem Fons molliit undâ: [b]
Implicitasque vias ductu patefecit aquarum.

 Nec

(a) *Thymi*. Thymi, Ital. *Escrescenze carnose*, qui more corymborum excrescunt, & pendent; a quibus tinnitus, sibilus, ac surditas in auribus: quibus morbis adeò utile existimavit Jasolinus Balneum *Dell'Ulmitello*, ut *Bagno dell'Orecchio* dixerit.

(b) *Splenem Fons molliit &c.* Ital. *Durezza, ed Oppilazion di Milza.*

(a) *Ora-*

Nec quærenda aliis meliore ſalubrior hauſtu
Lympha fuit, tetrum cum fluxu ichoris odorem,
Atque Ozæna [a] putris ſaniem diffunderet: & cum
Non una obſtrueret nares Verruca [b] tumentes;
Sive Adenes,[c] Porrique [d] artus, ſeu marcida linguam
Ulcera corriperent; ſeu par Furunculus [e] ovi
Dimidio, jactis ſubter radicibus altè
Inficeretque cutem, & concreto corpora ſucco.
Iliacis [f] quoties agitata aſsultibus alvus
Infremuit: preſſitque furens ſine more Tenaſmus: [g]
His etiam, his tabes deſæviit utraque lymphis.
Nec non his turpi vel Condylomata [h] callo,
Et quæ præterea partes deturpat eaſdem
Puſtula: [i] quæque pudor prohibet meminiſse, recedunt.
Hinc ſperata ferent querulæ ſolatia Matres,
Albida ſeu nimiùm, ſeu purgamenta redundent
Menſtrua: ſive fluor [k] lapſu metuendus aquoſo.

Nec

(a) *Ozæna*. Ozæna Putridum ulcus in naribus, tetrum odorem emittens, cum profluvio ſaniei: ſerpens vel cum, vel ſine corruptione cartilaginearum, & oſſearum partium; proveniens a collectione, & fluxu ichoris, excremēti ſcilicet ſanguinei, vel lymphatici, acrioris, & corrodentis. Ab Ὄζω *Oleo*.

(b) *Verruca*. Verruca, Ital. etiam *Verruca*, Accretio carnis intra nares.

(c) *Adenes*. Adenes, Strumæ nimirum: Ital. *Scrofole*. Ab ἀδω ſatio: quòd tonſillæ, ſive glandulæ ſint, quæ ſæpius humore illapſo ſatiatæ, & expletæ tument: quod proprium Strumarum eſt.

(d) *Porrique*. Porri, ſpecies Verrucarum per corpus diſperſarum.

(e) *Furunculus*. Furunculus, Tumor ex craſſis humoribus in carnoſis plerumque partibus conſiſtens; aliquando ſolam cutem occupat, aliquando pervicax altè jactis radicibus erumpit; illumque ovi dimidio ſupparem dicit Celſ. *l.5.c.28.*

(f) *Iliacis &c.* Exprimitur Paſſio Iliaca, Ital. *Colica*, *Doglia Iliaca*: ab Inteſtino, quod *Ileum* dicitur.

(g) *Tenaſmus*. Tenaſmus, Ital. *Tenaſmo*, *à Pondi*: Noſtrat. *Premiti*: aſſiduum fere per alvum excernendi deſiderium, urgens cum dolore, præcipuè in Sedis extremo, cum excretis modicis, mucosis, & cruentis, aut putulentis.

(h) *Condylomata*. Condylomata, Calloſæ carnis accretiones in partibus corporis, & præſertim in Sede. Dicta ſic quòd ad modum articuli promineant: Κόνδυλος enim digiti articulum ſonat.

(i) *Puſtula*. Puſtula, Ulcera nempe, Rimæ, aut Rhagades, Pondus, Proptoſis, ſive Procidentia Sedis.

(k) *Sive fluor &c.* Ital. *Fluore aquoſo*: ut Jaſolinus: a quo has, & alias hujuſmodi voces, in morborum generibus explicandis, deſumpſimus.

(a) *Stn*

Nec feret humanâ, Febris, te cæde furentem,
Vexantemque sinus, & pectora anhela prementem,
Exercere tuas Unda hæc crudeliter iras,
Seu Notha, [a] quatridui seu tu, Quartana, recursu.
Sæpe licèt vestros frangant Hydrea rigores
Cypria, [b] & a Medio [b] nomen sortita viarum.
Quem modò si quis amet postremum exquirere Fon-
Non illum Scabies, duri non damna lienis, [c] (tem,
Rejectæve prement vomitu fastidia mensæ.
Nec stomachum se se fundent contagia circùm,
Densatæ ut circùm se fundere castra cohortes
Obsidione solent. vallo non undique cinget
Asperitas inimica cutem. non crudus ab extis
Humor: [d] & ex oculo manabit plurima lippo
Lacryma: detortis veniet sua gratia Pætis.
Et quamvis obtusa acies caliget in ipso
Sole, superfusis tam denique cernet acutùm
Imbribus, Hæmonio queat ut contendere Lynceo.
Ipsa etiam, adductos si contrahat improba nervos,
Ponet hebes resoluta suis Convulsio [e] nodis:
Et solitos iterum peragent citò corpora motus.
Hostica ceu victus mordet qui vincula miles,
Nulla valet vetito vestigia figere gressu:
Namque pedes, nam lora manus post terga revinctas
Implicuere; feros at si pia dextera nexus
Solvat, & attritas liber premat ille catenas:
Continuò pedibusque viam, manibusque capesset
Ar-

(a) *Seu Notha*. Febris Notha, Ital. *Febbre spuria*.

(b) *Hydrea Cypria &c*. Ital. *Bagno di Citàra, e Di Mezza Via*.

(c) *Duri non damna lienis*. Ital. *Ostruzion di Milza*.

(d) *Crudus ab extis humor &c*. Pituita nimirum; humor excrementitius, crudus, aqueus, collectus præserrim in Ventriculo; qui voce *Extis* expressus est: Exta enim strictè cor, pulmonem, lienem, jecur, & ventriculum significant.

(e) *Convulsio*. Nervorum attractio, quæ & spasmus dicitur.

(a) *Sive*

Arma, instauratæ renovans certamina pugnæ.
Tu quoque felices partu, Matrona, propinquo
Experieris aquas, thalamisque fruere secundis.
Neve dehinc terrere malis; timor omnis abesto:
Sive genas Maculæ [a] turpent, seu nuncia fœtus
Signa ferant, stimulisque dolor præludat acerbis.
Ut tamen utilium felicior usus aquarum
Eveniat, fausti partem sibi seligat anni
Æger, Amyclæos ubi rustica turba racemos
Colligit, & lectas calcat pede vinitor uvas.
Apta etiam nostris hyemali frigore votis
Bruma venit, tardos inter numeranda Decembres.
Hoc erit ærumnis experto tempore virtus
Tempestiva nimis, capitis cui debita læsi
Cura, laborantisque Uteri custodia cordi est.
Quot mihi, dum veteris repeto præcepta Magistri, [b]
Quot mihi consumptis adhibenda salubriter Ægris
Pharmaca succurrunt! quot porrigit Insula rores!
Ille quidem Fontes mihi dum, viresque latentes
Indicat, edoctumque sagax per singula ducit;
O ades, & Clotho, me præceptore, furentem
Disce, Puer, quâ lege queas eludere, dixit.
Nulla mihi placeat medicina potentior, illam
Quàm si Castilion præbere, vel Aurea possint
Stagna, vel Argento, vel Ferro interlita, vel quæ
Nomen habent, Cytherea, tuum: quæve inter aquosas
Umbrasci valles, vel quæ Furnellide largo
Rupe fluunt ductu. nec qui confidit in hujus
Limus aquis fomenta tuis minùs apta parabit
Ille malis, ubi membra luto consperseris; ictos
Præ-

(a) *Sive genas Macula &c.* Ital. *Panni di faccia*: quæ præcipuè ora mulierum uterum ferentium deturpare solent.

(b) *Magistri &c.* Podalirii nempe, a quo se edoctum superiùs Auctor dixit.

(a) *Præ-*

Præcipuè nervos [a] si vis inimica coëgit
Ferre vel assiduos dextrâ indignante tremores:
Sive retardatos [b] occultâ compede motus.
Quàm bene se nostri vel Caligantibus [c] Imbres,
Quàm bene se proment Hirquis! [d] hæc sæpe madentes
Et sanie nares, [e] plenasque sonoribus aures [f]
Utiliter Nymphæa lavant; atque arida Matrum
Ubera distendunt; [g] præsertim hâc najade quando
Spargatur mollita Ceres: sparsamque subinde
Dente premant, mensisque velint adhibere paratis.
Læta minùs nec posse alios præsagia credam
Hìc capere, obtusum repetito verbere [h] languet
Dum caput: aut nimio deprensum frigore: [i] & udum
Prætumido exstillet sensim lentore: [k] fatiscat
Seu gravè, fumiferas cum fert Cephalæa [l] procellas,
Humidaque haud tenues paritura Coryza [m] labores.

Sic

(a) *Præcipuè nervos &c.* Paralysi laborantes, Ital. *Paralitici*, a Παραλύω dissolvo, debilito, Balnea *Di Fornello*, ejusque lutum, e *Del Ferro*, confirmant.

(b) *Sive retardatos &c.* Per Convulsionem nempe; ut ab hâc incolumis evadas, selige Balnea *Di Citàra*, *Della Colata*, *e la Doccia* in Valle Umbrasci.

(c) *Caligantibus &c.* Oculorum aciem purgant Balnea *Dell'Oro*, *Castiglione*, *e della Colata*.

(d) *Hirquis.* Hirqui, Oculi in utrũque angulum retorti: quibus opitulantur Balnea *Di Fornello*, *e Colata*.

(e) *Et sanie nares &c.* Ozæna, de quâ *pag.196.lit.a.* : ab hâc ut convalescas, pete Balnea *Di Fornello*, *Castiglione*, *ed Umbrasco*.

(f) *Plenasque sonoribus &c.* Tinnitum discutiunt Balnea *Di Fornello*, *e Colata*.

(g) *Ubera distendunt &c.* Lactis inopiam non experientur Fœminæ, quæ Balneo *Di Citàra* laventur; vel panem in aquas Balnei *Della Colata* infusum comedant.

(h) *Obtusum repetito verbere &c.* Caput doloribus expedire censentur Balnea *Di Fornello*, *Colata*, *e Citàra*.

(i) *Aut nimio deprensum frigore &c.* Frigidam distillationem, vulgò *Distillazione fredda del capo*, abigent Balnea *Di Fornello*, *Colata*, *e Castiglione*.

(k) *Et udum prætumido &c.* Vulgò *Intemperie fredda*, *ed umida di testa*: ab hoc malo immunem reddent Balnea *Di Citàra*, *Fornello*, *e Valle d'Umbrasco*.

(l) *Cephalæa*. Cephalæa, Capitis diuturnus, ac difficilè solubilis dolor: A Κεφαλή Caput. Qui hoc vexatur, quærat Balnea *Di Citàra*, *Fornello*, *e Castiglione*.

(m) *Coryza*. Coryza, Humor e capite fluens, quasi Κάρα Caput, & Ζέω bullio, ferveo: Latinis *Gravedo*: Catharri species, cujus materia peccans per nares secernitur. Hâc ne ulterius

Sic importunâ si quis vertigine [a] nutet,
Ad terramque fluat flexâ cervice ; nec usquam
Fida, parumque tenax lasso labet icta cerebro
Mnemosyne, [b] & lapsam cæpere oblivia mentem.
Afflatum Herculeo [c] stupeat seu sidere corpus,
Cum lymphata furit versatilis Ira Dianæ:
Obruat his velox tabem, precor, obruat undis.

At quæ Romuleis repetunt sibi nomen ab oris
Balnea, [d] quot Vati titulis signanda refulgent!
Nam tua si perimat Chordapsos [e] in intima lapsus:
Si Dysenteriæ [f] patiantur viscera morsus,
Nec requies levet ulla fibras: & Recta fluendo
Intestina gravem pariant Proptosida: [g] venis
Sanguineum eliciat si dira Hæmorrhois [h] imbrem:
Lympha tot effrænos hæc una insurget in hostes,
Et premet, & victos furialibus exuet armis.
Cæsariem si forte cutis laxata decoram

Nu-

---

terius premaris, obeunda Balnea *Del Ferro*, *Della Colata*, *e la Doccia nella Valle d'Umbrasco*.

(a) *Sic importunâ &c.* Sospes erit a Vertigine, qui freqnentabit Balnea *Di Fornello*, *e Castiglione*.

(b) *Nec usquam fida &c.* Qui parùm fidâ memoriâ utuntur, ut maio finem imponant, accedant ad Balnea *Della Colata*, *Dell'Oro*, *Dell'Argento*, *e Fornello*.

(c) *Afflatum Herculeo &c.* Epilepsia nimirum, quâ cum Hercules laborasse dicitur, *Morbus Herculeus* ab ipso dictus est. *Comitialis* etiam, & *Sacer*, & *Puerilis*: Ital. *Epilepsia*, *Mal caduco*, *Mal di Luna*. Ab ἐπιλήπτομαι comitiali morbo laboro. *Ira Dianæ* quoque dictus est: quòd affecti hoc morbo, eo ad Lunæ motum affligantur: ejus motibus ita obnoxii, ut secundùm ejus phases, ut ajunt, vexentur. Opem ferunt Epilepticis Balnea *Di Fornello*, *e Colata*.

(d) *At quæ Romuleis &c.* Balneum *Di Piaggia*, ò *Carta Romana*.

(e) *Chordapsos*. Chordapsos, Ital. *Volvolo*, *Colica*, *Passione Iliaca &c.* Hæ quippe voces *Chordapsos*, *Volvulus*, *Colon*, *Eileos &c.* confunduntur a Medicis: ut habet Lexic. Medic. V. *Eileos*.

(f) *Si Dysenteria*. Dysenteria, Ital. etiam *Disenteria*. Cels. l.2. c.28. *Tormina* dixit. Non abs re positum *rodere fibras*, cum non sine Intestinorum exulceratione, & Vasculorum corrosione sæviat in ventre. Vide *Not. pag.* 181. *lit.k*.

(g) *Proptosida*. Proptosis, Ital. *Procidenza della Sede*: cum Intestinum Rectum extra sedem prominet: ut *pag.* 182. *in Not. lit. a.* dictū est. A προπίπτω Procido, Cado.

(h) *Hæmorrhois*. Hæmorrhois, Profluvium sanguinis ex venis, quæ sunt in Sede. Ab αἷμα Sanguis, & ῥέω Fluo.

(a) *Leu-*

Nudavit, dempſitque comas; vel palpebra ſenſim
Depilis, & frontem Leuce [a] deformat honeſtam;
Nec ſuus eſt oculis vigor inditus: obruta denſas
Ipſa acies dubiâ patitur ſub luce tenebras:
Vel ſuffuſa [b] cadens lacrymari lumina cogit
Humor, in obliquos crebrò nutantia flexus:
Hypochyſiſque [c] diem abripuit, noctemque profudit;
Quæ mora? quid patrio detentum rure moratur
Dilectæ te prolis amor? quidve, obſitus ævo
Te genitor, lentiſque tenent uxoria curis
Limina, vel vitreo gaudentes Fonte penates?
Alter ab Ænariâ ſaliet, decurret & alter
Fons tibi, longævæ qui præbeat aurea vitæ
Tempora inoffenſis iterum producere luſtris.
Huc, adigant ſi fata, virum comitetur euntem
Uxor, ubi effluviis [d] non reſpondentibus uſa
Ingemuit, ſeu nulla meent, ſeu plurima: curſu
Nec certas uteri leges, Lunaſque ſequantur.
Nec mihi diſpliceant his infœcunda Parentum
Corpora merſa vadis, viduâ cum nullus in aulâ
Ludat adhuc, teneriſque puer petat oſcula labris.
Hìc etenim optatæ tandem lætabile prolis
Omen erit: venient plenis connubia tædis;
Ipſaque jam vacuo toties excluſa cubili
Intrabit repetita larem: nova pignora promet
Fertilitas, multuſque domum ſolabitur hæres.
Non ſecus ac gelidæ poſt horrida frigora brumæ,

(a) *Leuce*. Leuce, propriè Alba Vitiligo, Lepræ ſpecies: a λευκός albus.

(b) *Vel ſuffuſa &c.* Vel quia Ophthalmiâ laborant, lippis nimirum oculis: vel quia Ægilopes, qui fiſtulâ lacrymoſâ urgentur.

(c) *Hypochyſiſque*. Hypochyſis, Ital. *Cateratta*, Latinè *Suffuſio*: ab ὑπὸ ſub, & χέω fundo. Cum pituita inter Uveam, & Cryſtallinum humorem coagulara prohibet ſpiritus ab oculis exire, & in eundem intrare.

(d) *Uxor, ubi effluviis &c.* Menſtruis ſcilicet.

Incultis ubi vere novo sua gratia campis;
Et redit afflicto spes intercepta colono:
Namque ferax iterum reduci se prodit aristâ
Culta Ceres, fœtuque iterum beat ubere glebas.
Quis tumidos Choleræ [a] posthac horrescere motus,
Albentesque velit fluxus? [b] seu proluat haustu [c]
Guttura: debilibus sive utilis Unda fovendis
Partibus illa fluat: [c] phialisve coërcita roret: [c]
Ut tulerint morbi, & cauti præcepta Magistri.
Hæc pituitoso, salsoque humore refertos
Exonerat: lautæque abigit fastidia mensæ.
Cor tremit? aut veteri consumptas ulcere fœtor [d]
Turpat, & obsessas excreta caruncula [e] nares?
Hoc tibi se trudet panaces e litore; seque
Trudet idem si membra vorax exusserit ignis,
Aut liquor undanti fervet qui fusus aheno,
Ardentisque olei vel non innoxius humor.
Quin etiam, ignifero si plumbea læserit hostem
Glans explosa tubo, atque insederit intima fibris;
Exactusque altè violarit pectora mucro;
His Fontana [f] malis quamquam, Nymphæaque prosint
Coctilia [c] his quamquam: tamẽ hæc ne desere, quæ nunc
Cognita perpetuo probat experientia ductu;
Non semel e tectis quando divulsa latebris
Emersit pars fracta ossis, plumbive nocentis,

Ab-

(a) *Quis tumidos Choleræ &c.* Cholera, nomen deductum a χολάς Intestinum: quod vehementer bile excrescente, & infra, supraque erumpente, graviter Intestina torqueantur, vomitu bilioso, alvique dejectione.

(b) *Albentesque velit fluxus &c.* Ital. *Purgazion bianca*, morbus muliebris, ex Jasol.

(c) *Seu proluat haustu &c.* Triplex modus utendi his aquis; Primus Potu: Alter Fomentis: Tertius *In Doccia*: ut satis dictum est lib. 1.

(d) *Aut veteri consumptas ulcere &c.* Nempe Ozænâ: de quâ in Not. *pag.* 196. *lit. a.*

(e) *Excreta caruncula &c.* Sarcomata, Polypi, Verrucæ, alas narium opplentes: Ital. *Escrescenze carnose*, *Polipi &c.*

(f) *His Fontana malis &c.* Balnea *Di Fontana*, *e Del Cotto*.

(a) Go-

Abditaque inviso quæ mordent spicula ferro.
Nec minor ex iisdem quærenda est gratia venis,
Si malè duratis inter se nexibus ossa
Fracta olim, rursumque solo titubantia nutent;
Brachiaque, atque humeri, dubiis aut passibus ægra
Genua labent, pronam capiti latura ruinam.
Tum, licèt incertos qui firmat arundine gressus
Vix potis interdum vicino sistier alveo
Languidus, invalidis parvo post tempore plantis
Priscus ab integro veniet vigor: ossaque forti
Glutine durescent, calloque obducta coibunt.
Si tua perfundat, placido non æqua sopori,
Strata GonorrhϾ tabes: [a] nocturnaque turbet
Otia: & absumptum Macies terat arida corpus;
O age, quid cessas? sordentia subtrahe fœdo
Membra toro: & nostris contagem interfice lymphis.
Quàm bene quæsitam jecisse in Fonte salutem
Hoc potero, prædura sonos si lingua moretur
Reddere: cunctantes patitur si blæsa tumores!
Scissaque sic rimis pateant cum labra; vel acri
Tubere tollantur Parodontides: [b] obsita squamis
Vel superinsideat puerilibus Aphtha [c] labellis.
Quamquam sæpe alios [d] alio de gurgite rivos
Inarime emittat: grato qui munere Divûm
Nec virtute fluant, nec avitâ laude minores.
Hìc Cellaris Aquæ, [e] penoris quæ nomine gaudent

 Car-

(a) *Gonorrhœa tabes*. Gonorrhœa, involuntaria seminis ejectio, nocturno præsertim tempore, cum corporis macie. A Γονή semen, & Ῥέω Fluo; utrique sexui communis: Ital. etiam *Gonorrea*.

(b) *Parodontides*. Parodontides, Tubercula dolentia circa gingivas, & dentes. A παρὰ circa, & ὀδὼς dens. Vide *Lex. Med.*, *& Cels. l.6.c.3*.

(c) *Aphtha*, Aphtha, Ulcus, oris superficiem occupans, cum molesto caloris sensu; vel a Sero sanguinis acriori, vel in Pueris a lacte corrupto. Ab Ἅπτω, Accendo. Vide *Cels.l.2.c.1.*

(d) *Quamquam sæpe alios &c.* Nimirum præ cæteris Balneum, vulgò *Di Succellaro*, confert ad omnia enumerata oris, linguæ, ac Gingivarum impedimenta.

(e) *Hic Cellaris &c.* Ital. *Bagno Di Succellaro*.

(a) *Sive*

Carminis in partem veniant: queîs perdere Febres
Sorte datum, audacis post ignea furta Promethei;
Sive intermittant, [a] alternis sive diebus [a]
Hæ redeant, miserosve diu, noctuque fatigent. [a]
Adde laboranti [b] restinctum in Sede cruentum
Venarum effluvium: pulsumque impune dolorem,
Sanguineis [c] ubi parca notis excreta frequenter
Mucosâ cum fæce cadant. onus adde gravati [d]
Podicis excussum; quæque ora puerpera lædunt [e]
Indecores visu maculas, quasque egerit hepar, [f]
Quasque lien, [g] facili tersas cessisse fluento.
Hæc ubi lympha caput madefecerit, horrida nusquam
Area: [h] sed compto fundentur vertice crines,
Quos iterum certo discriminet ordine buxus.
Quàm felix sine nube dies fulgebit amico
Sidere! non somno posthac sementicus humor [i]
In medio, aut fluidi maculabunt pallia renes.
Hìc etiam, casu tunsis, aut verbere membris,
Concretus si forte cruor consperserit atrâ
Tabe cutem, diffusus abit, ceu fumus in auras.
Vos quoque Coctilides, [k] præsentia Numina, Nym-
Sæpe tulistis opem, laxata fatisceret inter (phæ,
Cum dentes gingiva; gravesque auctura sonores
Sæpe per occlusas Otalgia [l] serperet aures.

Ægro-

(a) *Sive intermittant &c.* Febres, quas Intermittentes, Tertianas, & Quotidianas vocant.

(b) *Adde laboranti &c.* Hæmorrhoides nempe, de quibus in Not. *pag.* 200. *lit.b.*

(c) *Sanguineis ubi parca &c.* Per Tenasmum scilicet, de quo in Not. *pag.* 196. *lit.g.*

(d) *Onus adde gravati &c.* Sedis Procidentia: Vide Not. *pag.* 200. *lit.g.*

(e) *Quæque ora puerpera &c.* Maculæ, quæ vultum mulierum, uterum ferentium turpant.

(f) *Quasque egerit hepar.* Ital. *Macchie di Fegato.*

(g) *Quasque lien &c.* Ital. *Macchie, che vengon dalla Milza.*

(h) *Area.* Area, hoc est Calvitium.

(i) *Sementicus humor.* Gonorrhœa, de quâ in Not. *pag.* 203. *lit.a.*

(k) *Vos quoque Coctilides &c.* Sub personâ Nympharum Coctilidum, poëticè Balneum, vulgò *Del Cotto, ò Delle Cajonche*, exprimitur.

(l) *Otalgia.* Otalgia, Aurium morbus, cum intus fiunt in illis sonitus.

ab

Ægrorum quoties iteratâ in vota precantum
Exhibuiftis aquas, oculis Suffuſio [a] lucem
Cum raperet; lacrymis ſeu quis lippiret obortis;
Sive obliquâ tuens tranſverſo lumina motu
Flecteret; obſcuramve offunderet Argema [b] noctem.
Ille ſed a noſtris non hìc reticendus amœni
Fontis honor Muſis, trito quem nomine gentes
Balneolum [c] dixere. uno hoc utatur Japis,
Auditum Gravitas ſi tarda obſtruxerit, optem.
Neve putes me falſa loqui, vim Fontis ab ortu
Diſce ſuo. hìc noſtrâ quondam ſub imagine terras
Euplœâ [d] incoluit genitus: dictuſque Parenti
Icmenus, [e] occulti ſignans præſagia fati.
Sparſus adhuc teneras primâ lanugine malas
Rara per Ænariæ tendebat retia ſylvas.
At rapido præceps fluvium tranſmittere ſaltu
(Ah malecaute Puer!) ripæ ulterioris amore
Dum cupit, inſtabili lymphis pede lubricus hæſit
In mediis; tanto fractæ diſcrimine vires
Non illum eripiunt; imbelli concita niſu
Brachia nequidquam verſat; comiteſque morantes
Nequidquam ingeminat; nec parciùs æthera votis
Solicitat; querulæ referunt ſuſpiria valles.
At gemitu e ſuperis commotus Juppiter aſtris
Indoluit; puerique vicem miſeratus iniquam,
Non tulit immeritum fato concedere. fletus
Comprime, ait, Puer alme; animos cape Numine dignos.

Fon-

ab Οὖς Auris, & Ἄλγος Dolor.

(a) *Suffuſio.* Suffuſio, Ital. *Suffuſione, Cateratta.* Vide Not. *pag.* 201. *lit.* c.

(b) *Argema.* Argema, propriè oculorum ulcus in iridis circulo, quem ſuffundit ſanguis venis fractis tenui plagâ, quæ deinde nigreſcit. Hìc tamen pro ulcere oculorum generatim poſitum eſt.

(c) *Balneolum.* Balneolum, Indig. *Il Bagnitello.*

(d) *Euplœâ.* Vide Not. *lib.* 1. *pag.* 16. *lit.* g. hìc pro Nymphâ accipitur.

(e) *Icmenus.* Icmenus, hoc eſt Humidus: ab Ἰκμὰς Humor.

(a) *Tunc*

Fons eris: Ipsi etiam quando, ceu Numina, sacro
Indigetum cultu Fontes celebrantur, & aris.
Pro lacrymis, meliore flues nunc ubere; cedent
Damna tibi in pretium; discrimine major ab ipso
Hâc mercede graves tandem solabere casus.
Si modò surda tuos sunt hæc frustrata vocatus
Litora: si ventis vox intercisa: paratum
Sentiet hìc surdâ quisquis dolet aure levamen.
Dixerat; extemplo Pueri solvuntur in imbres
Pectora: & in riguas mollitis brachia nervis
Extenuantur aquas: digitique, & crura liquescunt.
Hinc suus est humeris, suus est atque ossibus humor:
Et latera in fluidos abeunt manantia rivos.
Ex illo Fontes, ex illo clarior auxit
Ænariam: gratâque aures aspergine juvit;
Tinnitu cum forte sonant, frustraque profusas
Sibilus in mediâ voces intercipit aurâ.

Quid dicam exhausit Macies cum turpis, & ora
Pallor habet, lassumque ruit sine robore corpus?
Tunc mihi vel Retis, [a] tunc vel Ferrugine [a] tincti,
Aut liquidi placeant, præbet quos Nitrolis, [a] amnes.
Nec vos abnuerim Cypridi [a] dilecta, nec Auri [a]
Balnea, Fontanis [a] renuam nec turgida venis.
Præcipuè laxis tunc cum coma vulsa capillis
Aret Alopeciæ [b] vitio; dextræque resistit
Vel cum dura cutis, tractantemque aspera lædit.
Fœmineas vel multa genas notat Alphos: [c] eodem
Præsertim Lucina aperit si tempore partus.

Tum

(a) *Tunc mihi vel Retis &c.* Malis hisce, de quibus hìc sermo, subsidio erunt Fontes, vulgò *Della Rita*, *ò Della Rete*, *& Di Nitroli*: & Balnea *Del Ferro*, *Di Citàra*, *Dell'Oro*, *e Di Fontana*.

(b) *Aret Alopecia &c.* Alopecia, Capillorum defluvium: ab Ἀλώπηξ Vulpes: quòd Vulpibus accidat frequenter depilari: Ital. *Pelatina*.

(c) *Alphos*. Alphos, eadem ac Vitiligo: maculæ nimirum supra cutem subasperæ, & subalbidæ: ab Ἀλφὸς Albus; hìc pro maculis, quæ mulieres sub partum inficiunt.

(a) *Po-*

Tum decus, & nitidæ revirescet forma juventæ:
Ni modò pertæsam pigeat Stagnique, suique.
His obtritus aquis nullo se se obiice texit
Polypus, [a] & scabrum turpat quæ Mentagra [b] vultum.
Nec dein, albenti [c] qui sordidus humor abundat
Fæce, fluet Matrum genitali excretus ab arvo.
Ast ubi, nodoso [d] cohibens vestigia vinclo,
Ægra pedum junctura dolet: palmæque chiragris
Attractæ intumuere; lues [e] sive intima adhæsit
Quà femur inseritur cotylæ, [f] motumque retardat,
Et premit afflictas infirmo poplite suras;
Sive caput stillet, casuque Gravedo [g] frequentis
Stillicidj feriat: seu lenta morabitur alvus; [h]
Auspiciis clarata tuis, & nomine, quæ te
Indigetem, Montane, colunt, tunc Stagna requiram;
Quæque mihi saliunt Soliceti e Fonte, quibusque
Ipse suas præferre notas dat Clibanus, [i] Imbres.
Tunc, bene de pueris [k] vel quem meruisse fatemur,
Præ-

(a) *Polypus*. Polypus a Polypi similitudine: carnis quædam accretio in naribus, mollis, laxa, & colore varia; interdum palatum versùs, interdum extra vergens, & pluribus appendicibus adhærens. *Verrucæ* etiam, *Thimi*, *Marisca*, *Sycoses*, & *Ficus* vocantur: Ital. *Polipi*, *Escrescenze carnose*.

(b) *Mentagra*. Mentagra, Impetiginis species: Ital. *Impetiggine*. Summa cutis asperitas, cum prurigine multa, squamis, ac furfuribus.

(c) *Nec dein, albenti &c.* Ital. *Purgazion bianca*, ut Jasol.

(d) *Ast ubi, nodoso &c.* Podagricis conducit Balneum *Di Soliceto*, *S. Montano*, *Saragalla*, ò *Sinagalla*, e *Della Spelonca*: quę duo postrema etiam a Chiragrâ relevabunt.

(e) *Lues sive intima &c.* Ischias nempe, Ital. *La Sciatica*: Arthritidis species, coxendicis articulum occupans, adeò ut dolor ad poplitem, suraśque descendat. Præter eadem balnea, quæ podagrę succurrere dicta sunt, succurret etiam huic morbo Balneum, vulgò *Di Soliceto*.

(f) *Cotyla*. Cotyle, à Κοτύλη, Coxendicis cavitas, sive acetabulum, ubi femur, sive crus coxæ adnectitur: sedes propria Ischiadis.

(g) *Gravedo*. Gravedo, Ital. *Flussion Catarrale*. Sospitabunt Gravedinosos Balnea *Della Spelonca*, e *Sinagalla*.

(h) *Seu lenta morabitur alvus &c.* Malum hoc, vulgò *Stitichezza*, solvet Balneum *Della Spelonca*.

(i) *Ipse suas præferre notas &c.* Ital. *Il Bagno di Fornello*.

(k) *Tunc, bene de pueris &c.* Jasolino teste, *l.2.c.26.*, Balneum hoc idoneum opprimè puerorum morbis.

(a) Vere

Præsidium Sinagalla ferat: limove tepenti
Convulsos recreet duro vexamine nervos.
  Vere [a] tamen gratos, Autumni aut tempore rores
Speluncæ mihi saxa darent. tunc viribus impar,
Multà furens quamvis, algenti & flamine vivax,
Æolus [b] in tumidis non se defenderet extis.
Accersenda aliis sed nunc deperdita ripis
Pharmaca: dum latè pelago stagnante per agros
Nereus hausit aquas; [c] nostro mansuescere fletu
Nescius, Ægrorum precibus neque flectitur ullis,
Ut tandem absumptas clementior egerat undas.
O utinam injustâ pressos ditione remittat
Inarimæ patrios, quondam sua regna, liquores,
Redditaque imperio tandem potiatur avito!
  Nulla velut sparsis Vitiligo [d] subaspera guttis
Terrorem incutiet: summam seu profluat ichor, [e]
Perque cutem scateat, Capitelli accedere Fontes
Dum valeam, Cytharæque Amnes. Elephantia [f] cedet
His detersa Vadis; atque hæc Dothiena [g] repellent,
Divulsumque ab stirpe abigent; medicamina proment
Psorica; [h] nec pulso [i] posthac frustrabere somno
Excretis, Alvine, [k] tuis, dum sæpe premendo

Par-

(a) *Vere tamen &c.* His duabus anni tempestatibus aquas Speluncæ utiliores asserit idem *l.2. c.11.*

(b) *Æolus in tumidis &c.* Per periphrasim Morbus ille, quem Ital. *Ventosità fredde* appellamus.

(c) *Nereus hausit aquas &c.* Consule *lib.1. pag. 26.*

(d) *Vitiligo*. Vitiligo, Ital. *Impetiggine*, *Volatiche*. Hanc olim Balneum, vulgò *Di Capitello*, extinguebat.

(e) *Ichor*. Ichor, sanguinis Serum, seu sanies, & tenuius excrementum ex ulceribus effluens, carnemque exulcerans: ut apud Cels. *l.5.c.26.*

(f) *Elephantia*. Elephantia, Ital. *Lebbra*: sic dicta, quòd cutis leprâ Affectorum similis videatur corio Elephanti, maculis ad atrum colorem vergentibus, squamosis, & crassis.

(g) *Dothiena*. Δοθιὴν, Furunculus, sive Tuberculum ex crassis humoribus in carnosis plerumque partibus.

(h) *Medicamina proment Psorica*, Psoram quippe expellunt.

(i) *Nec pulso &c.* Unum ex eventis Torminum, Celso teste *l.4. c.15.*, est somnus interruptus.

(k) *Alvine*. Alvinus, qui alvo, & præsertim Tenasmo laborat: ut Plin. *l.21. c.27.*, & alibi.

(a) *Mari*

Parturiunt, sanieque movent aspersa dolorem.
Fallor, & incautum rapit error! imagine veri
Quæ malè correptam cæpere insomnia mentem?
Namque licèt, Venus alma suo quem jure tuetur,
Manet adhuc Fons ille: mari tamen alter iniquo [a]
Mergitur, & prisci fluxam sibi nominis umbram
Vix retinet, titulumque jacens ostentat inanem.
Quid tamen hìc vacuis fundam suspiria votis,
Unius ut durum funesto carmine casum
Prosequar? est alias vertat quò Musa querelas:
Et gemitûs nova caussa subest; cum penè sub ortum
Languentem aspiciat, Fontemque in Fonte requirat,
A Gradibus [b] qui nomen habet. sed parce profusis
Quisquis ades lacrymis; pleno si flumine rursum
Hic fluat: extemplo reduci virtute fugatam
Palpebræ emendet scabiem: jactoque solutas
Rore Paronychias, [c] & scabrum læviget unguem.
Tum quoque, cum pueros exercent morsibus, aut cum
Faucibus hærentes vitæ spiramina claudunt,
Obsessasque vias, Lumbricos eruat, & te
Ah nimiùm membris invise Dracuncule, [d] teque,
Phthiriasi: [e] hæc lapsis ubi nota Hydreumata seclis,
Non fœdo se se vidisset ab agmine victum
Sylla: [e] nec extinctum Pherecydem [e] Fama Tragædum,
Aut Alcmana [e] suum gemuisset Achaia Vatem.
Ilicet, obscuro quamquam per inhospita lapsu
Saxa diu lateas, sterilique premaris arenâ:

 Tol-

(a) *Mari tamen alter iniquo &c.* Capitelli quippe Balneum æstu maris obrutum penitùs, ut dictum est *lib.* 1.

(b) *A Gradibus qui nomen habet &c.* Vulgò *Bagno di Gradone*, penè deperditum.

(c) *Paronychias.* Paronychia, Reduvia nempe, Ital. *Pannereccio.* A παρὰ juxta, & ὄνυξ unguis.

(d) *Dracuncule.* Draçunculus, Jasolino *Dragoncello.* Licèt variam habeat significationem, hìc tamen sumitur pro morbo, qui habetur, cum ex cute non solùm pediculi, sed majora etiam animalia erumpunt.

(e) *Phthiriasi.* Phthiriasis, Morbus pe-

Tolle animos, Fons alme: novo dignabere cultu.
Te nullâ posthac abolenda ætate sequetur
Gloria: & ascitâ per me tibi laude frueris.
Carmina te, veteres revocabunt carmina in usus
Te mea: & Ægrorum certatim supplice poscet
Turba genu venerata; tuo sic gurgite vivet
Illa: nec insidiis Furiarum incauta patebit.
O quis io, assiduo dum mens stupet anxia luctu,
Defessum longo me demum errore viarum,
Sistat ubi Chalybe [a] fluitantibus imperat arvis!
Hìc ego, vix primo libem si limina gressu,
Tristitiam Æoliis tradam dispergier Euris.
Non iterum insiliet venis intercute lymphâ
Dirus Hydrops, quem longa satis firmaverat ætas.
Sæpe etiam, tacito quamvis Medicina timore
Musset, & ancipites inter terat otia curas,
Æger anhelanti dum pallidus ore cruenta
Excreat: his tandem si corpora terserit undis,
Incolumem patrios videam remeare penates.
Illum ego, quem stimulis urgens damnosa fatigat
Cypris, Acidalium dum versat in ossibus ignem,
Ignem ego conspersis hìc artubus: hìc ego fluxum
Nocturno edoceam semen restinguere cursu.
Sunt qui, membranæ disrupto viscera cinctu
Dum cecidere, graves his Fontibus Enterocelas [b]
Depulerint. assertâ hìc prole, & conjuge Conjux
Gau-

pediculatis: ἀπὸ τῶν φθειρῶν, hoc est a Pediculis: cum scilicet sub alis, in palpebris, & in pube gignuntur cuti arctissimè affixi pediculi plani, & altiores: Ital. *Piattole*. Morbo hoc extinctos L. Syllam, ac Pherecydem Syrum, Tragœdum, Philosophum, ac Pythagoræ Magistrum, testatur Q. Seren. Sammon. *De Medicina*; Plin. tamen, licèt idem de Syllâ asserat *l. 7. c. 43.*, *l. 26. c. 13.*, & *l. 11. c. 13.* etiam de Alcmane clarissimo Græciæ Poëtâ: de Pherecyde hoc negat: atque *l. 7. c. 51.*, *Copiâ Serpentium ex ejus corpore erumpente expirasse.*

(a) *Sistat ubi Chalybe &c.* Balneum vulgò *Del Ferro*.

(b) *Enterocelas*. Enterocele, Hernia Intestinorum: ab ἔντερον Intestinum, & κήλη Tumor scroti: quando Intestina prolabuntur in scrotum, ob Peritonæi fracturam.

(a) *Pa-*

Gaudet abortivi prohibere pericula fœtus.
Obſita turgebunt non ora Parulide, [a] poſtquam
Ora ſalutari [b] Chalybes qui colluit hauſtu,
Non ſemel aſperſit; ſive hoc madefacta Fluento,
Sæpe vaporiferos dum volvit ſpongia fumos,
Maxillas inter, denteſque immiſit hiantes.
Nec metuenda nimis veterano ſordida quamvis
Plaga ſitu, & fractis qui pes malè cruribus hæret:
Hæc modò (ſi certis aliquam conſulta merentur
Noſtra fidem monitis) properè Balinea reviſas
Ferrea; ni, lymphas renuenti apprimà calentes,
Fontano ſaliens arrideat Unda lavacro.
Quæ tibi præterea [c] felicem ad vota ſoporem
Conciliet: tumidaſque ruat de nare Mariſcas. [d]
Hæc alacrem reparat capitis cum dura vigorem
Frigore læſit hyems. Zonas [e] hæc ipſa ſequaces,
Ulceraque, abſterſo penitùs marcore, coërcet;
Præſertim quæ multa diu mulicbribus audent
Interfœmineis [f] moliri damna, Lociſque; [g]
Quæque renodatis [h] doctâ licèt arte Magiſtri
Partibus interdum coëant, tamen inſcia vinci
Vincla iterum ſolvunt, iterum diffracta fatiſcunt.
Si cerebro ſalſa exſtillet, jugulumque frequenter

 Fri-

(a) *Parulide*, Parulis eadem ac Parodontides, de quibus in Not. *pag.* 203. *lit.*b.. A παρà inter, vel prope, & Οὖλον *Gingiva*.

(b) *Ora ſalutari &c.* Conſulatur Celſus *l.6. c.13.*, ubi fusè de remedio hoc contra Gingivarum ulcera, & tubercula.

(c) *Quæ tibi præterea &c.* Recenſetur hìc Virtus Balnei vulgò *Di Fontana*.

(d) *Mariſcas*. Mariſcæ, Ital. *Creſte*. Conſule *Not. pag.* 107. *lit.*a.

(e) *Zonas*. Zona, ex Scribon. Largo *Compoſ.63.*, eadem ac Herpes, de quo in Not. *pag.* 181. *lit.b.*

(f) *Interfœmineis*. De his *pag.* 180. *lit.c.*

(g) *Lociſque*. Loci, Mulierum matrix.

(h) *Quæque renodatis &c.* Hìc de Cacoethe ſermo, de quo in Not. *pag.* 181. *lit.l.*: nec non de Ulcere, quod Dyſepulotum appellant: quòd ejus cicatrix vel nunquam, vel non ſine maximâ difficultate obducitur. A δυς ægrè, & ἀπουλόω ad cicatricem perduco.

(a) De-

Frigida gutta petat, vitæ & pejora minetur;
Eja age, tabentes effœti corporis artus
Hoc aude merſare vado: nimiùmque procaces
Hoc jecur, hoc renes, veſicaque temperet æſtus,
Dum calet: hoc alvus ducenda: & ventris adactâ
Hâc tibi clyſter aquâ flagrantes mitiget iras.
Denique ſi qua aliis [a] mihi parta incommoda Stagnis
Experiar; fundo veniens ubi teter ab imo
Et vapor emerſit, Laticeſque infecit, & auras:
Hìc, velut amne ſacro, Veterum de more, piatus,
Si qua mali ſuberunt, potero tunc ſemina ſoſpes
Prima renaſcentis primævo extinguere in ortu.
At celebranda meis [b] properas quàm ſerà Camœnis,
Cara mihi ante alias, miſeris & carior Ægris,
Caſtilioneas inter quæ laberis oras,
Naïas almà! tuo ponit ſi munere Mœror,
Et ſtagnans Pituitæ humor, [c] Morphæaque [d] ſummæ
Fixa cuti; a milio vel qui ſibi nomen adeptus
Cenchrias, [e] & crudo concreti in viſcere Vermes,
Obſtructique aditus quæ ſepit Arenula renis.
Tu Lentes, [f] turpemque fugas Lichena; [g] geluque
Durius hyberno ſplenis te vindice frigus

Ceſ-

(a) *Denique ſi qua aliis &c.* Peculiare hoc habet Balneum Fontanum, ut ſi forte aliquod incommodum in aliis Balneis Ægri experti ſint, in hoc reficiantur.

(b) *At celebranda &c.* Sub Najadis Caſtilioneæ nomine celebratur Balneum vulgò *Di Caſtiglione*.

(c) *Et ſtagnans Pituita &c.* Oedema intellige: Tumorem nempe frigidum, laxum, mollem, albicantem, ac doloris expertem, ab humore pituitoſo. Jaſolin. *Umore Edematoſo.*

(d) *Morphaeaque*. Morphæa, ita etiam Ital.: Lepræ ſpecies: a quâ ſolùm differt, quia hæc in carne, illa in cute. Ἀπὸ τῆς μορφῆς, a formâ, cum mutatur cutis in colorem non naturalem, ex ſanguinis corruptione.

(e) *Cenchrias*. Cenchrias, Herpetis miliaris ſpecies: Ital. *Erpete*. Cenchrias, quòd Græci *Milium*, Κέγχρον vocant.

(f) *Lentes*. Lentes, Ital. *Lentiggini*, *Volatiche*.

(g) *Lichena*. Lichen, Ital. *Impetigine*: cutis aſperitas cum prurito, ſquamiſq;: fortaſſe a λίαν, & ἔχομαι, quòd cuti tenaciter adhæreat.

(a) *An-*

Cessit, & Antiades [a] tumefacto pure madentes. [b]
Tu potes & cyathis dodrantem explentibus hausta,
Torminaque, [c] & nocuum toties expungere duri
Ventris onus; tectas inter tu viscera plagas
Vincere; vel saniem indociles [d] quæ semper hiulco
Ore vomant; nulloque velint mansuescere succo.
Tu lacrymas plerumque oculis pressisse cadentes,
Nutantemque aciem pulsis firmare tenebris.
Te facilem flammata petunt præcordia: putri
Quique Elephantiasi [e] corroditur obrutus: & qui
Cardiacâ [f] ingemuit tactus contage; vel oris
Sensit Achilleum [g] nunquam coëuntibus ulcus.
Te cubito, aut digitis, qui curvo aut poplite tensus
Hæret, & infarto motus humore recusat
Musculus: Ancylas [h] Grajo sermone vocarunt.
Non tamen hìc residem, fausto dum sidere cursum
Ægrorum miserata vices Fortuna secundat,
Te patiar trivisse moras: dum cætera Phœbus
Expediet: validasque viam tibi sternet ad undas:
Quas Venus alma [i], suum dum fletibus urget Adonin,
Hàc

(a) *Antiades*. Antiades, Ital. *Scrofole*, *Gangole &c.* ita enim, teste Celso *l. 7. c. 12.*, vocantur Tonsillæ, quæ post inflammationem induruerunt. Idem sensit Paulus Ægineta.

(b) *Pure madentes &c.* Strumæ exulceratæ.

(c) *Torminaque &c.* Consule Not. *pag. 200. lit. f.*

(d) *Vel saniem indociles &c.* Ulcera, quæ Dysepulota appellant: de quibus in Not. *pag. 211. lit. i.*

(e) *Elephantiasi &c.* Elephantiasis, Lepra nimirum. Consule Not. *pag. 208. lit. l.*

(f) *Cardiacâ &c.* Ital. *Passion di cuore*: a καρδία cor; quicumque enim aliquo cordis morbo laborant, Cardiaci dicuntur. Hìc pressiùs pro Palpitatione.

(g) *Sensit Achilleum &c.* Ulcus Chironium, ut in Not. *pag. 180. lit. a.* Ital. *Piaga insanabile*. Achilleum, quòd tale vulnus fuit Telepho ab Achille inflictum: unde & Telephium dictum est.

(h) *Ancylas*. Ancyle, Jasoliu. *Ancilosità*: ab Αγκύλος Aduncus; Articulorum contractio, quæ motus illorum difficiles reddit: ab humoribus infartis: quorum interventu musculorum tendo non obsequitur: idque potissimùm in poplite, cubito, ac digitis.

(i) *Quas Venus alma &c.* Originem Balnei Cytharæ, vulgò *Citàra*, per Paronomasiam cum Cytherea, poëticè commentus est Auctor, quòd Fons hic præ cæteris fœcunditati faveat.

(a) *Phre-*

Hàc ſtatuit fluxiſſe, animi fera ſigna jacentis.
Namque modum lacrymis,gravibuſque imponere curis
Fræna volens, conchâ fertur Dea vecta curuli
Errabunda ſuæ vertiſſe huc lintea cymbæ.
Dumque dolet memorans, dum litora triſtibus implet
Queſtubus, & largis irrorat lumina guttis:
Ite, ait, ex oculis juſtæ monumenta querelæ:
Ite, precor, lacrymæ, meritumque exſolvite luctum.
Sic Puero dare juſta decet; ſic mitiùs uret
Corda dolor; nec Fonte minor ſe vena perenni
Promat, & æternum cineri teſtetur amorem.
Fundite perpetuos, mea lumina, fundite fletus.
Quos ubi inexpleto Tellus abſorbuit hauſtu,
Hos iterum eliciat, campoque immittat aperto.
Non aliter Phrygios quàm qui delapſus in agros,
Ipſe ſibi occurrit ſinuoſo gurgitis alveo,
Seque ſuos iterum reddit Mæander ad ortus.
Nec mora, ceu Phœbo glacies perculſa, liqueſcit
Terra; repentinis & Fons novus emicat undis;
Quem Cytharæ Cytherea ſuo de nomine dixit;
Talis & ad facti indicium vis addita, qualis
Indecorem Stagni Auctorem, cauſſamque deceret.
His etenim quamquam lymphis confeſſa minorem
Se capitis, furias, rabiemque oblita Phreneſis, [a]
Spaſticus [b] & ſe ſe dedat rigor: aſpera dextræ
Nec cutis obſiſtat, ſquamarum & ceſſerit horror:
His licèt humoreſque graves, bilemque remittat,
Si quis adhuc ſtomachi doleat cruciatibus: aut ſi
Diffi-

(a) *Phreneſis*. Phreneſis, a φρὴν mens: Ital. *Freneſia*: continuum ſcillicet delirium, cum febre acutâ, & internâ cerebri, & meningium conjunctarum inflammatione. Hanc Celſ. l. 2. c. 1. *Inſaniam febricitantium* vocavit.

(b) *Spaſticus &c.* Spaſmus nempe: Ital. *Spaſimo*, *Convulſione*: a σπάω traho: morbus, qui nervos attrahit.

(a) *Se-*

Difficilem cupiat potu ſubducere ventrem,
Donaque jejunis infundere lactea mammis;
Non tamen ulla magis Veneri vis apta ciendæ,
(Ah pudet!) & cæci ſtimulos immittere amoris,
Quàm quæ, Cypri, tuos teſtantur Balnea queſtus.
Hinc, ſobolem Juno thalamis auctura maritis
Pronuba, connubio tædas ardere feraci
Aſpiciet. fœcunda ſinu quot pignora Mater,
Quotve Socrus poterit foviſſe amplexa nepotes!
Nec revocandi alio tardi medicamine Menſes,
Laxa Dionæis ubi Fontibus ora recurrant.
At riguâ ut pateat Sedis qui Condylon [a] urnâ,
Verminaque, [b] fluxuque ſimul ſtrigmenta cruento [c]
Eluat, & molli perfuſum Oedemate [d] corpus;
Cui prodeſſe oculis tranſversâ tuentibus; & cui
Poſſe ſatas fibris, visâ ceu Gorgone, cautes
Frangere, arenoſamque datum depellere renum
Perniciem, lotj tardat cum plurima curſum,
Percipe: ut infeſtæ redimas ſolatia vitæ,
Una tibi latices Furnellidos accola ripæ
Amphiroë [e] dilecta dabit; quâ præſide pectus
Nulla premet Dyſpnœa: [f] intento Glandula [g] collo
Quæ

(a) *Sedis qui Condylon.* Sedis Condylon, Condyloma, de quo in Not. *pag. 196. lit. b.*

(b) *Verminaque.* Vermina, propriè dolores, quos Verminatio, ſeu Vermes enati in viſceribus pariunt; hic pro Torminibus accipimus: ut poſſe accipi docet Feſtus. Conſule Lexic. Medic. V. *Vermina.*

(c) *Fluxuque ſimul ſtrigmenta &c.* Dyſenteriam nimirum.

(d) *Oedemate.* Oedema, ab οἰδέω tumeo, eſt Tumor in corpore laxus, mollis, foveam poſt compreſſionem relinquens; proveniens a ſubſiſtentiâ portionum aquoſarum ſanguinis, vel lymphæ, cum aliquâ congelatione. Jaſolin. *Tumore Edematoſo.*

(e) *Amphiroë.* Amphiroë, pro ipsâ aquâ Balnei *Di Fornello*; quæ ſub Amphiroës Nymphæ nomine non abs re exprimitur: quaſi aquis circumcirca diffluens: ab ἀμφὶ circùm, & ῥέω fluo.

(f) *Dyſpnœa.* Diſpnœa, Aſthma, ſeu difficilis reſpiratio: a δὺς ægrè, & πνέω ſpiro. Morbo hoc premuntur Aſthmatici, Orthopnoici, Synanchici, Peripneumonici, Phthiſici, cæterique id genus.

(g) *Intento Glandula collo.* Strumæ, quæ colli glandulas afficiunt, & putreſcunt etiam quàndoque.

(a) *Nym-*

Quæ tumuit, putruitque: umbris par illa fugatis
Sole novo, deleta fugæ nec signa relinquet.
Ipsa etiam, teneris cum primùm illapsa pudendum
Vulnus alit venis, pubemque Erycina momordit
Subdola, diffugiet: castrisque exuta recedet.
Nympha eadem te membra [a] luto conspergere: plenis
Nympha eadem alveolis,[b] Nimbo[c] & supponere curvum
Occiput, ut morbi poscet natura, docebit.
Nec secus, hinc madeat dorsi dum Spina, refectis
Tum sua vertebris vis olim eversa redibit.
Hi funesta Coli, [d] Laterumque hi fata Liquores,
Tinnitusque cavos auris, curasque tenaces
Avertisse valent. hi Desperantia tergunt [e]
Ulcera, & oppletas [f] inter squalentia nares;
Quæque tulit serpens Myrmecia; [g] Telephus olim [h]
Et quæ Peliacâ perfossus cuspide sensit.
Sic faciles Substilli [i] imbres, & aquosus ab albo [k]
Corpore Languor abit: residetque benignior, ictum
Dimidio persæpe [l] caput qui perculit angor:
Et Febrium [m] malefida cohors procul acta migrabit.
Quid plura? informi simulans sub imagine massam
Fœmineo malè parta sinu divellitur undis,

Vir-

(a) *Nympha eadem te membra &c.* Utile Lutum Furnelli Dysentericis, & Hydropicis.

(b) *Nympha eadem alveolis &c.* Balneo scilicet totum corpus abluente.

(c) *Nimbo & supponere &c.* Balneo nimirum, quod *In Doccia* dicunt.

(d) *Hi funesta Coli &c.* Ital. *Dolor di Colica*. Consule Not. *pag.* 181. *lit. l.*

(e) *Desperantia &c.* Ita appellat Plin. *l.* 22. *c.* 24. Ulcera Dysepulota, de quibus abundè in Not. *pag.* 211. *lit. i.*

(f) *Et oppletas &c.* Ozænas nempe, ut in Not. *pag.* 196. *lit. a.*

(g) *Myrmecia*. Species Herpetis, de quo in Not. *pag.* 181. *lit. b.* A Μύρμηξ Formica: nam Herpes Ital. *Formica* dicitur.

(h) *Telephus olim &c.* Ulcera Chironia: Consule Not. *pag.* 180. *lit. a.*, & *pag.* 213. *lit. g.*

(i) *Faciles Substilli &c.* Urinæ stillicidium, quod retineri nequit.

(k) *Et aquosus &c.* Hydrops, præcipuè qui Anasarca Græcis dicitur. Vide Not. *pag.* 179. *lit. d.*

(l) *Dimidio persæpe &c.* Hemicrania.

(m) *Et Febrium &c.* Quotidianæ, Nothæ, Quartanæ &c.

(a) *Mo-*

Virgo, tuis Mola [a] fracta, tuo simul eruta nutu,
Virgo, Pithecusas quæ Cœli ex arce tueris.
Hæc Strophon, [b] articulos hæc expiat unda dolentes:
Et terit abscisso nervorum vincula nexu.
Hic domitâ referent ingentem e tabe triumphum
Strumosi, Tremulique; dabunt hi Colica Fontes
Pharmaca; Variculis nusquam locus; ignea, flammas
Ut ferat, extinctis vanescet Phlegmona [c] flammis.
Nec tortam posthac fuerit qui strangulet alvum,
Præfocetque dolor. posuisse Lienica tandem
Durities, jecorisque volet mollita rigorem.
At tantos huc usque novo depleverit haustu
Quamquam Musa lacus, quorum se plurima pandit
Utilitas: proprio non tu nihil Amne juvabis,
Aligerûm Dux alme, [d] Leprâ gliscente: colorem
Dum plerumque rubor [e] paulatim vergit in atrum.
Non ego vos utero toties benefida labanti
Balnea despiciam Montani insignia Divi
Numine, cum tumidus, cum frigidus humor abundet,
Luctantesque crepent, clausique in viscere venti.
Ipsa salutares oculis lacrymantibus imbres
Porrigat, & victas redivivâ luce tenebras
Luminibus laxet mihi Naias Hydrargyris: [f] aut quæ
Prænatat imbrifero melior Chryseis [g] in auro.
Non carnem Phagedæna, [h] vorax non ossa Teredo

(a) *Mola*. Mola, Massa quædam carnosa, informis, inutilis, in utero muliebri corrupta; quam inde abigit Balneum vulgò *Di S. Restituta*.

(b) *Hæc Strophon*. Strophus, Tormina: a στρέφω verto, quasi alvum torquens.

(c) *Phlegmona*. Phlegmone, Inflammatio: a φλεγμαίνω, seu φλέγω inflammo.

(d) *Amne juvabis, Aligerûm Dux &c.* Ital. *Bagno di S. Angelo*.

(e) *Dum plerumque rubor &c.* Eventum hoc testatur Cels. *l. 3. c. 25.*

(f) *Naias Hydrargyris &c.* Balneum vulgò *Dell' Argento*.

(g) *Chryseis &c.* Chryseis pro Balneo vulgò *Dell' Oro*: a Χρυσός Aurum.

(h) *Phagedæna*. Phagedæna, Ulcus inveteratum, quod vicinas sibi partes erodit: Α'πὸ τῦ φάγειν, hoc est ab edendo.

Appetet, optatum si præbeat utraque potum.[a]
Hâc mihi si laribus detur, studiisque relictis
Sede frui: lymphasque malis velit esse secundas
Parca, sub æstivum Nemeæi velleris astrum:
Quàm bene consultum! non sæpe tremoribus actum
Cor saliet; non ora lien turpabit, & hepar.
Dicite vos tabem quoties hâc penè Pheræam, [b]
Pneumonici,[c] vomuistis aquâ; cutis exuit utque hâc,
Dicite, tabificum, Veneris monumenta, rigorem,
Vos quoque quos turpi fœdavit vulnere Cypris.
Auguror: infirmo, Languens, fera damna cerebro
Experiere: tuique trahes velut immemor ævum?
Perculsa extemplo, Fatique infracta potestas
Corruet hìc, rictuque cadens torpebit inermi.
Hæc satis Ænariæ Stagnis. Pars altera Vati
Restat adhuc, cecinisse Ægros sudore fluentes
Ut foveant: medicosque vomant Hypocausta vapores.
Hic quærenda quies: morbis hinc denique certum,
Invalidi, sperate modum: licèt effera Terris
Incubet, & torto insultet Libitina flagello.
Quare agite, & mecum, vapidas quà plurimus undas
Fumus agit, nebulisque afflat vitalibus Ædes,
Ferte pedem; novisse quidem juvat, unde malorum
Tentare auxilium liceat: quo nulla supersit
Indefensa salus, aut immedicabile vulnus.
Ipsa habiles nam Tecta dabunt halantia fumos
In quemcumque voces usum; torpore morantes
Seu stupeant nervi:[d] nervis seu membra recumbant[e]
De-

(a) *Si præbeat utraque potum &c.* Utiliores quippe inventę sunt hę aquę, cum bibuntur.

(b) *Tabem .... Pheræam.* Tabes Pheræa, a Jasone Pheræo vomicâ vexato, hoc est abscessu, copiosâ fanie referto.

(c) *Pneumonici.* Pneumonici, qui pulmonibus laborant. A πνεύμων Pulmo.

(d) *Seu stupeant nervi &c.* Convulsiones nervorum corrigunt Hypocausta *Del Testaccio*, *Del Cotto*, *Di S. Angelo*, *Della Testa*, *Del Frasso*, *e Della Valle di Negroponte*.

(e) *Seu membra recumbant &c.* Para-

Debilibus, trepidisque labent sine lege lacertis.
Sive etiam attractis [a] digiti, palmæque rigescant
Articulis; durosve Tumor [b] malus Orchitas [c] inflet.
Hinc sua Loripedes, [d] atque hinc sua ponere Valgi [e]
Libera firmato poterunt vestigia gressu.
Hic idem distorta calor, sinuataque recto
Crura dabit talo, solidisque insistere plantis.
Ut Sylâ in magnâ si quando annosa bipenni,
Aut gelidas inter valles, rupesque Sabinas
Ligna faber secuit, vitio quæ noxius humor
Torsit: ad optatam si curva reducere formam
Nesciat, accensis tum demum admota caminis
In rectum revocat, tum robora corrigit igni.
Huc vocor, æstiferis ubi clausa incendia terris,
Cum per inhonestum maculoso tubere mentum,
Perque supercilium turget Sycosis: [f] & altè
Urit inexplicitas verrucula densa vibrissas.
Huc, ubi per solidos dolet Articularius [g] annos
Illacrymans; Matresque sinu violenta coëgit
Cœliaco [h] damnare faces Fortuna jugales.

ralysim sedant Hypoc. *Del Testaccio*, *Castiglione*, *S. Angelo*, *e Del Cotto.*

(a) *Sive etiam attractis &c.* Ad morbum Ancyles, de quo in Not. *pag.* 213. *lit. b.*, præcipua sunt Hypoc. *Di Monte Vico*, *Monte Cumano*, *Castiglione*, *Barano*, *Negroponte*, *e Della Testa*.

(b) *Durosve Tumor &c.* Tumorem hunc scirrhosum evacuant Hypocaus. *Del Cotto*.

(c) *Orchitas*, Ab Ὄρχις, Testis.

(d) *Hinc sua Loripedes.* Loripedes, qui ad modum lori distortos habent pedes.

(e) *Valgi.* Valgi, qui suras habent intortas, & in diversum actas: quales Cancri, & Lacerti. His malis pressi petant Hypocausta *Del Testaccio*, *e Di Barano*.

(f) *Sycosis.* Sycosis, Ital. *Escrescenza carnosa*. Hanc Hypocausta *Di Castiglione* extirpant penitùs.

(g) *Articularius.* Articularius, qui laborat Arthritide: Hic in Hypocaustis *Del Cotto*, *e Castiglione* bene se demum habebit.

(h) *Cœliaco &c.* Ital. *Doglie Isteriche*, *Mali d'Utero*: cum Uterus Mulierum strangulatur, vel inflammatur, vel Matrix dolet: a Κοιλία Venter. Mulieres ita affectæ frequentent Hypocaus. *Di Barano*, *Cacciotto*, *e Castiglione*.

(a) *Vos-*

Vosque lienosâ [a] vos hìc vitalia pressos
Seditione velim; vel cum laxata [b] verendum
Dentibus exitium tremu'is gingiva minatur.
Namque ubi Pæoniis spirent suffimina cellis:
Multus & effuso per membra liquentia fumo
Sudor eat, sudore fluet de corpore pestis.
Quàm procul, hìc propriâ dejecta e sede, refugit
Tympanias! [c] quàm longè abiit, dum Volvulus [d] aspec
Torta recollecto vexaverat ilia nodo!
Saxifica hìc cautes [e] labefacta remisit Erynnis:
Et Lumbis [f] depulsa, Erebi remeavit in oras.
Vis eadem Psoræ [g] illuviem, dissolvere curas [h]
Vis eadem potis est, Mensisque piacula, [i] & acrem
Ischiaden, [k] Podagrasque, [l] & præcipites Hydrocelas: [m]
Cum totâ omentum Ramex [n] distenderat alvo,
Ruptaque torquebant labentibus Oscheon [o] extis.
Confectas qui forte dapes [p] rejecit, & horret,
Monstra velut, mensas, [q] plenisque accumbere cœnis:
Hìc

(a) *Vosque lienosâ &c.* Ital. *Tumori, Durezze, Scirri di Milza*: quibus pro remedio sunt Hypoc. *Del Cotto.*

(b) *Vel cum laxata &c.* Hypocaost. *Di Castiglione* pro gingivis relaxatis.

(c) *Tympanias*. Vide Not. *pag. 179. lit. c.*. Expungunt hanc Hypocausta *Del Cotto*, *Di Testaccio*, *Di Barano*, *Castiglione*, *e Cacciotto*.

(d) *Volvulus*. Volvulum enodabunt duo Hypoc. postremò enumerata.

(e) *Saxifica hìc &c.* Lithiasim, de quâ in Not. *pag. 187. lit. d.*, frangunt Hypoc. *Di Barano*, *e S. Angelo*.

(f) *Et Lumbis depulsa &c.* Nephritidem scilicet, de quâ in Not. *pag. 187. lit. e.*: Ital. *Dolor di fianchi*; malo huic præsentanea Hypoc. *Di Castiglione*, *Di S. Angelo*, *e Barano*.

(g) *Vis eadem Psoræ &c.* Psoram vellunt Hypoc. *Di Castiglione.*

(h) *Dissolvere curas &c.* Mœrorem mulcent Hypoc. *Del Cotto*, *Barano*, *e Cacciotto*.

(i) *Mensisque piacula &c.* Reddent menstrua retardata Hypoc. *Di Castiglione*.

(k) *Ischiaden*. Ischias, Ital. *La Sciatica*: ab ἰσχίον coxendix. Vide Not. *pag. 207. lit. e.*. Evanescit Ischias Sudatoriis *Del Cotto*.

(l) *Podagrasque &c.* Mitigant has Hypoc. *Del Cotto*, *e Castiglione*.

(m) *Hydrocelas*. Hydrocele, Ital. *Ernia acquosa*: ab ὕδωρ Aqua, & κήλη tumor Scroti, a Seri, vel lymphæ collectione. Hydrocelicis in promptu debent esse Hypoc. *Del Cotto*.

(n) *Ramex*. Ramex, Ital. *Ernia*. Vide Not. *pag. 210. lit. b.*

(o) *Oscheon*. Oscheos, Scrotum.

(p) *Confectas qui forte dapes &c.* Vomitum retro agunt Hypoc. *Di Castiglione*, *e Del Cotto*.

(q) *Horret, monstra velut, mensas &c.* Nauseam finiunt, & stomachum roborant Hypoc. *Di S. Angelo.*

(a) *Mota*

Hìc tantam expellet labem : atque absumpta libentes
Fercula dente premet , morsuque invadet edaci.
Parce metu , abruptâ nec spe tunc labere, quando
Mota loco [a] antiquæ renuant assuescere sedi
Ossa : vel effractis cum tibia laxa vacillat
Cruribus , aut callo non est obducta cicatrix :
Neu, precor , abstineas præscripta facessere , sed te
Fumifero excipiant halantes sulfure Sedes ;
Namque brevi tibi parta salus , ubi plurima membris
Gutta cadat , nocuoque Pedes humore redundent.
Perge : rebellanti similis , similisque furenti
Spiritus [b] effrænas in ventrem exercuit iras?
Scilicet hìc posito tumidum dediscere fastu
Ingenium aspicies , penitùsque extinguier ; instar
Follis , ubi alternis , vento distentus , in altum
Ictibus erigitur volitans : at scortea circùm
Integumenta fluens pateat si rima , superbos
Deposuitque animos , terræque immobilis hæsit;
Quippe levis fugit , claususque evanuit aër :
Et nusquam est , toto qui se jactabat Olympo.
Audiat hæc factura novum gens ægra periclum
Orbe procul latitans : & quam Thetis invia toto
Submovet Oceano : quæ penè impervia Phœbo
Delitet , Hesperiis non explorata carinis ;
Audiat ; Inarimes olli contingere Thermas
Si liceat , retro flectet depressa , viamque
Irreducem teret illa Lues , [c] quæ Gallica primùm
Oppida , dein fines , Senonum post bella , Latinos
Corripuit , celerans populorum in funera gressus :
Gal-

(a) *Mota loco &c.* Ossium , ac Tibiarum fracturas solidant Hypoc. *Del Cotto*.

(b) *Spiritus effrænas &c.* Flatus difflantur ab Hypoc. *Della Testa*, *Di Cacciotto*, *e del Frasso*.

(c) *Illa Lues &c.* Ad hanc faciunt præ cæteris , Hypoc. recèns inventa, vulgò *Di S. Lorenzo*.

(a) Ar-

Gallorumque tulit sortita e nomine nomen.
Sed licèt a medicis veniant tibi plurima Thermis
Commoda, non impar calidas commendat Arenas
Gratia; felici queîs non se præferat arvo
Dives Arabs: non Ida suis, non Pergamus herbis.
Quæ te cumque fero, ceu dente Libystidis Ursæ,
Mordeat insomnes diuturna Arthritis [a] in horas;
Sive etiam occultus [b] victâ coxendice languor
Debilium impediat sinuosa volumina crurum;
Neu renue Inarimes Sabulo fovisse calenti
Corpora; sic annis curret felicibus ætas;
Sic fugiet pallens Anasarca; [c] Podagrica [d] nunquam
Detrimenta feres; nec acerbo clinicus ævo
Fata trahes, currentve tuis contraria votis.
Par tibi sit studium, primo dum flore juventus
Vernat, arenoso stravisse cubilia tractu,
Cum sicco abdomen [e] flatu malè duruit: & cum
Tympana pulsa manu thorax imitatur: inerti
Sive sero [f] tumuit, crassâ seu naiade venter.
Et, licèt adversis ætatem duxeris Austris
Hactenus, ærumnis certum præsciscere finem,
Phylli, queam; sedenim mitescent astra; tuisque
Fausta puerperiis [g] nullo temerabit abortu

Ili-

(a) *Arthritis*. Vide Not. *pag.* 182. *lit.b.*. Morbus hic in Arenis *Di Gradone*, *Di S. Pietro a Pantanello*, *e Di S. Restituta* deferviet.

(b) *Sive etiam occultus &c.* Ischiadi modum imponunt Arenæ *Di S. Restituta*, *e Di S. Angelo*.

(c) *Anasarca*. Anasarca, ab ἀνὰ per, & σὰρξ Caro. Vide Not. *pag.* 179. *lit. d.*. Illi adversantur Arenæ modò enumeratæ: quibus addes eas, quas *Di S. Pietro a Pantanello* appellant.

(d) *Podagrica*. Podagram compescunt Arenæ, quas diximus retundere Ischiaden, & *Di Gradone*.

(e) *Cum sicco abdomen flatu &c.* Tympanites scilicet. Vide Not. *pag.* 179. *lit.e.*. Tympanitem corrigunt (in ipso tamen juventutis flore) Arenæ *Di S. Angelo*.

(f) *Inerti sive sero &c.* Alia species Hydropis, Ascites nimirum. Vide Not. *ib. lit.f.* Ad Asciten eædem Arenæ efficaces habentur.

(g) *Fausta puerperiis &c.* Contra Abortus vim habent Arenæ *Di S. Restituta*.

(a) *At-*

Ilithya sinus; atque hìc muliebria [a] demum
Profluvia ad legem stabili ratione reduces.
Læta dies posthac, læto placidissima cursu
Lustra: nec Hysterico [b] labentur tempora motu.
Credo equidem, Paresis [c] dextrâ cum sæpe Trementes
Contudit insultans; seu vinclo adversa tenaci [c]
Vis ligat Immotos: nec funere mitius ipso
Spasma [c] riget, regnumque furens exercet in artus;
Tot potis hoc veluti subigendis hostibus aptas
Sternere agonales unum tibi litus arenas.
Sæpe etiam scrobibus mersos hæc ipsa subactis
Ora tegat, crurum spisso cum sanguine venæ, [d]
Aut testes expansæ [e] inter tumuere; pedesque
Aut Clavi, [f] aut talos infestat Pernio [f] rimis;
Asper & articulos, scabro ceu pumice, durat
Tophus, [g] & inflatæ per turgida colla rigebunt
Chœrades, [h] & multo prædura Paristhmia [i] Pano,
Erumpatque frequens, & olentes repat in alas.
Non ego diversas cupiam præscribere leges
His, quibus invalidum Cephalalgia [k] dira cerebrum
Op-

(a) *Atque hic muliebria &c.* Menstrua cient Arenæ vulgò *Di S. Angelo.*

(b) *Hysterico &c.* Hysterica, Mulier, quæ Inflammationibus, Torsionibus, Præfocationibus, & Strangulationibus Uteri obnoxia est. Ὑστέρα enim uterum sonat. Uteri labores mitigant eædem Arenæ.

(c) *Paresis.* Paresis, Ital. *Paralisia:* a παρίημι prætermitto. Illam tollunt Arenæ *Di S. Angelo, e Di S. Restituta:* ut etiã Spasma: de quo in Not. *p.* 214. *lit. b.*

(d) *Crurum spisso cum sanguine &c.* Ital. *Varici, Vene delle gambe dilatate:* quibus proficiunt Arenæ *Di S. Restituta, e Di Gradone.*

(e) *Aut testes expansa &c.* Varices in testibus comminuunt Arenæ *Di Gradone.*

(f) *Aut Clavi &c.* Clavi, Verrucarum species in plantis. Pernio, Pedum fissura, a frigore: Ital. *Chiovarde de' piedi.* Utrosque auferunt Arenæ *Di S. Pietro a Pantanello.*

(g) *Tophus.* Tophus, Ital. *Tofo delle giunture*; Materies in articulis concreta. Adversùs Tophos Arenæ *Di S. Restituta.*

(h) *Chœrades.* Chœrades, Strumæ videlicet, Ital. *Scrofole &c.* a Χοῖρος Porcus: Sues enim præcipuè hoc morbo impetuntur. Has contra vim habent discussoriam eædem Arenæ.

(i) *Paristhmia.* Paristhmia, a Παρίστημι Sisto: cum glandulæ inflammantur, & intumescunt Pano, seu tuberculo, ob materiem pituitosam. Valent ad illam laudatæ Arenæ.

(k) *Cephalalgia.* Cephalalgia, Capitis dolor: a Κεφαλὴ Caput, & ἄλγος do-

Opprimit; & penitis affixa injuria lumbis. [a]
Hæc eadem præcepta legant, hæc mente recondant,
Et servata velint, quos frigore Splenicus horror [b]
Occupat: immundâque Elephas [c] ærugine spargit.
Non aliunde petet morbo felicius alter
Præsidium: hoc nunquam meliores pulvere Lemnos,
Aut Chios argillas, aut dat Samo-Thracia Tellus,
Plurima cum tensos infecit Plemmyris [d] artus,
Et Scabiosa [e] cutem turpat prurigine sordes.

Hoc reliquum interea superest, hoc addimus: atrâ
Ut qui bile tument, [f] & cor queîs torquet anhelum
Illa: venenato quos vulnerat Ileos [g] ictu,
Huc properent: vitæque ferent sperata tuendæ
Munera: quæ mentemque metu, lethique solutum
Quæ caput expediant laqueis; atque alite dextro
Fortunæque rotam, & pendentia fata morentur.

dolor. Evertunt hanc Arenæ *Di S. Pietro a Pantanello*.

(a) *Affixa injuria lumbis*. Lumborum dolores reprimunt Arenæ *Di S. Angelo*.

(b) *Splenicus horror*. Ital. *Intemperie fredda di Milza*. Splenem calefaciunt Arenæ *Di S. Restituta*.


(c) *Elephas*. Elephas, Lepra: hanc abolent Arenæ *D'Agnone*.

(d) *Plemmyris*. Plemmyris, propriè maris intumescentia; hic pro humorum excessu: a πλημμυρέω, Inundo. Extrahunt illam Arenæ *Di S. Restituta, e S. Pietro a Pantanello*.

(e) *Et Scabiosa cutem &c.* Ad Scabiem Arenæ *Di Agnone, e Gradone*.

(f) *Bile tument &c.* Quibus atræ bilis vitio cor dolet, Arenæ *Di S. Restituta* salutares.

(g) *Ileos*. Ileos, Ital. *Dolori Colici*. Ab εἰλέω volvo: qui illo angitur, patiatur Arenas *Di S. Angelo*.



INA-



Ant. Baldi In. et delé.   F. VII   And. Maillar Scul. Neap. 17..



INARIMES

LIBER V.



Ed jam Pæonias Ægrorum Turba per artes
Noſtra ſalutifero reſerari balnea ritu
Poſtulat, & leges, quibus utilis uſus aquarum
Eveniat, dum danda memor præcepta ſequetur.
Ne labefacta tamen virtus exſpiret in auras,
Utere nunc Thermis, felicibus utere lymphis,
Dum licet, & calidas mecum deſcende ſub undas,
Quiſquis inoffenſum vitæ per lubrica curſum
Inſtruis, inviſi ne te ferat alea fati.

Tuque ades, auriferam flavo cui ſternit arenam
Crine Tagus: dubiæ timeam ne fulmina Sortis,
Da, Luſitanâ quæ jam crevere ſub umbrâ,
Fatidicas iterum capiti prætendere lauros;
Quas tibi, votivo perfunctus munere Vates,

Siſtet ovans poſthac, ſolioque imponet herili:
Pignus, & æterni parcum vectigal amoris.
At mihi dum lævis fauſtum precor omen ab aſtris,
Haud equidem tacitis noſtri duo ſidera Cœli,
Atque Ignatiadûm ſacris celeberrima Faſtis
Nomina, tranſierim numeris: quæ gurgite ſupplex
Mincius hinc, celebratque ſuis hinc Viſtula ripis.
Koſchiadæ [a] in plauſus fremit alter: & alter amœnis
Flexibus, & patriâ vocalis arundine laudes
Gaudet io reſonare frequens, nomenque, decuſque
Loyſidæ: [b] & victo partos Acheronte triumphos.
Illuſtres Animæ! Terris quas abſtulit Æther
Ante diem: raptaſque ſolo tranſcripſit Olympo,
Ætatem dum cana dedit prævertere virtus.
En quarum imperio jam tandem obnoxia diſcunt
Fata regi; cecidiſſe dolet penè irrita regni
Jura ſui Clotho, ſuſpenſaque fila teneri.
Unius auſpicio (viden?) ut cœleſtia, moto
Cardine, quà ſtellis nitidas Olor explicat alas,
Mantois patuere Aquilis [c] jam limina: jamque
Spernere amant patrios, pennâ fugiente, penates!
Quem verò inſignem titulis, Atavûmque trophæis
Sarmaticas inter lauros excepit ab ortu
Naſcentem Bellona, & divite vidit in aulâ
Reptantem per ſceptra Patrum: quem litora latè
Prona Boryſtheniis venerantur fluctibus: olli
Tibris, adoratam dum thura profundit ad Urnam,
Indigetum ſummos [d] jam nunc indicit honores.

Er-

(a) *Koſchiadæ &c.* Koſchiades, B. Stanislaus Koſca Soc. Jeſu.

(b) *Loyſidæ &c.* Loyſides, B. Aloyſius Gonzaga ejuſdem Soc.

(c) *Mantois patuere Aquilis &c.* Teſſeratiis nempe Gonzagarum Familiæ.

(d) *Indigetum ſummos &c.* Cum adhuc in Beatorum numero tantùm eſset adſcriptus, anno deinde 1714. CLEMENS XI. P. M. Conſulto ſuo decrevit in Divorum album eſse referendum.

(a) *Pan-*

Ergo agite, & nautis veluti cum Castore Pollux,
Este duces; duro Invalidos sub fasce labantes
Erigite: adversisque actos arcete periclis.
Inarimen morbo si quis correptus acerbo,
Et validæ panchresta [a] petat medicamina lymphæ;
Hoc olli in primis, monituque impensiùs omni
Edico; donis cumulasse altaria: Matri
Partheniæ fudisse preces; atque hoc tibi primum
Præcipiam, qui nostra adhibes ad carmina mentem.
Numine sic tandem, scatebrisque utêre secundis.
Si secus, incassum semper sperata vocabis
Auxilia, & vacuis semper frustrabere votis.
Dein tamen oppletâ sordes deponere ab alvo
Ne renue; affectis strigmenta catharticus [b] humor
Eluat e membris, manantia Stagna priusquam
Corpore vel subeas nudo: vel, dira coëgit
Sors ubi, moroso deceat sorbere palato.
Sic etenim succis qui plena salubribus haurit
Pocula, submersosque poros, & cæca relaxat
Spiramenta, viam foribus quà sudor apertis
Inveniat, miserisque abigat contagia venis.
Qualis ut immisso sitientia Rusticus amne
Prata riget: terso limumque, & saxa canali
Eruit, effosso patuit quà tramite sulcus:
Inde Satis fluvium, rivosque inducit amicos.
Pæonidum haud aliter qui fervida poscis aquarum
Clausa, salutari limen præsterne liquori.
Ni facias, vitæ fortasse infesta subibis
Balnea: cum morbo medicina nocentior ipso,
Funeris heu! tibi caussa tui, te morte peremptum
Opprimet: audaci documentum flebile genti.

(a) *Panchresta &c.* Hoc est, Medicamenta morbis omnibus utilia.

(b) *Catharticus humor*. Ital. *La Purga:a* Καθαρίζω, seu Καθαίρω, Purgo

Namque per irriguos dum ſerpit lympha meatus;
Sudoremque ciet : cum nullo pervia ductu
Incluſam interiùs tabem, fibriſque receptam
Membra liqueſcenti nequeant expellere guttâ:
Tunc diluta inter bacchatur viſcera clauſus
Humor: & hoſtili exundans lentore rebellat;
Æger & in pejus ruere incipit; intima tractim
Furtivâ dum labe furens mador inquinat exta.
Non ſecus ac, mediâ ſi quando invisus in arce
Delituit, tectoſque dolos, turbaſque latentes
Suſcitat inſultans, animiſque audentior urget
Hoſtis, & occulto movet arma, neceſque tumultu.
Præſertim externâ ſi tantùm aſpergine corpus
Perluitur, fuſuſque cutem circumfluit amnis.
Nam cyathis exhauſta alvum quandoque morantem
Lympha trahit: tractamque levat; lutulentaque ventris
Pondera per laxos expellit libera calles.

Præterea, immiti fodicat qui pectora roſtro
Luctus, & inſomnes curæ, mœrorque, metuſque
Aufugiant; te læta dies, te gaudia dulci
Lætitiâ excipiant: placido præfulgeat Æthon
Sidere, & innubi Pyrois tibi ſurgat Eoo.

Sed bene perpotum, & cœnam qui faucibus halet
Incoctam ſtomacho, non hoc tentare paratu
Stagna velim. proh quanta olli Fortuna minatur
Exitia: & quanto ſtabunt convivia luctu!
Heſternas igitur ſomno niſi vicerit eſcas:
Tum reſides fugiat plumas, mollemque ſoporem:
Seque toro eripiat; tunc ſtratis ille relictis
Feſtinus mihi manè perambulet atria: donec
Egeſtas onerata dapes ejecerit alvus.

At vetus e fibris ubi demum exceſſerit, alter
Ne, precor, irrumpat violentior hoſtis: & actum
Te ferat in præceps iterum: ne noxia, quæſo,

Ceu

Ceu puer, a primâ jentacula luce reposcas;
Tutiùs ille quidem pleno se proluet alveo,
Qui vada jejuno tentabit corpore: quique
Damna gulæ caveat, Libycas ut navita Syrtes,
Ut celeres olim metam cavere quadrigæ.
Attamen effœtis non hæc ubi viribus Æger
Langueat, & macie tabens tenuetur inerti,
Expedient: Crudis hæc parca cibaria malint
In quæstum cessisse. alio tunc ordine largos
Provida suppeditet par est mihi copia sumptus.
Sobria frugali tamen hos prudentia cultu
Temperet: ut dapibus vires, & lassa salubri
Membra cibo foveat, roburque instauret avitum.
At variæ quoniam mortalia pectora vexant
Morborum species: eadem non omnibus ætas,
Non sexus, positusque, habitus nec corporis idem;
Atque ideo tecum solers hæc ante memento
Inspicere, incautum ne te gravis implicet error.
Quare, ubi consultò perpendes cuncta, licebit
Quos renuas aliis, aliis imponere mores.
Ut sæpe, hostiles cum campo effusa cohortes
Explicuit Legio: strictisque exercitus armis,
Directæque acies pugnæ certamina miscent;
Omnibus haud labor est idem; Dux propria cuique
Munia distribuit: Veteranis ardua confert:
Ad levia ignarus servatur prœlia Tiro.
Sic aliter primo tractanda in vere juventus,
Atque aliter lustro qui nec quinquennia signat,
Penè tremens, initique puer penè inscius ævi.
Hæreat hic certis cum non bene gressibus: & cum
Nutet adhuc impar operi, imprudensque laboris,
Parce calorificis uti medicatibus; imbri
Ah nimio ne merge; artus asperge tenellos
Blandiùs: & pueri, lacrymisque ignosce parentum.
Nam-

Namque pati ingentes cum non queat ille calores,
Ille tibi (miserum!) mediis occumbet in undis.
Non ita cum viridi florentem ætate, virumque
Multa superveniens jam tandem fecerit æstas.
Tunc liceat mersisse vadis: tunc denique dura
Exerce imperia, & collo tenus obrue mersum.
Mitior at Senibus veniat medicina; senilis
Quippe monet te ruga suis haud viribus æquam
Canitiem: nec membra gelu torpentia nervos
Posse pares oneri, firmumque opponere robur.
Pharmaca sed quando nostra hæc muliebribus apta
Sint adhibenda malis: non te nimis illa parantem
Austerum sine more velim dare jura; Lycurgum
Exuito; imbelli tibi res cum gente; fatiscet
Illa, ubi non mites animi defectibus amnes
Sentiat: & vitam fortasse in Fonte relinquet.
Ergo importuno pereat ne fracta lavacro,
Ipse priùs, mersâ dum dextrâ attingis, iniquas
Experieris aquas; si forte exuberet ardor,
Ardor ab emoto sensim procul exulet imbri.
Non aliter, quàm cum calido te pocula succo
Delibasse juvet; nimiùm si fervida tactu
Displiceant, motis sedare liquoribus æstum,
Atque agitata manu versare in cymbia præstat
Altera: ne tenerum exurdent epota palatum.
At postquam ætati prospexeris; & tibi sexûs
Fœminei fuerint præcognita damna; cavendum
Restat adhuc, memori maneat quod corde repostum,
Diversa Humorum ne quid patiatur ab undis
Temperies. variæ, varium dum nostra tenorem
Corpora servabunt, scribendæ ex ordine leges.
Nam quæ profuerint olim medicamina Siccis,
Proh quantum hęc eadem repetita Humentibus obsunt!
Nec tu corporibus ratione medeberis unâ:

Mul-

Multus ubi in venis calor æstuet: aut ubi multo
Frigore concretus circùm præcordia sanguis
Hæreat; & (tritum qualis Formica per arvum)
Languida tardigrado flectat vestigia motu.
Hinc sibi diversam meritò contrarius Humor
Poscit opem; nam sæpe olli cui mascula bilis
Intumuit, subitasque furor se prodit in iras,
Non rarò medicata nocent hæc balnea; quamvis
Hæc eadem, vivo saliunt cui sanguine venæ,
Quique hilares sine nube dies, vitamque peregit,
Rore juvent properata suo. tibi proderit iisdem
Lympha labris quæ fusa cadit, cum turget ab atro
Felle jecur, mœrorque sinum implacabilis haurit.
At non, queîs hebeti stupuerunt membra veterno,
His bene consultum Stagnis, rituque medendi
Crediderim; succo tunc cum concrescat inerti,
Et limo pituita putres imitata lacunas
Torpeat; ut calamo quondam Pontina frequenti
Septa Palus, residi stagnabat plurima cœno.
Pars quoque solertis nec tunc erit ultima curæ
Discere, num nostras qui lotum accesserit oras,
Multa diu infirmis tulerit fastidia membris;
An contra, nunquam libatis viribus, Æger
Tum primò instabilem nervorum senserit usum.
Quod vitæ pariter studiumve, genusve secutus
Ille; fatigato num dura incommoda passus
Corpore: deliciis an forte indulserit inter
Otia, ceu molli recubans qui segniùs herbâ
Marcet, & ignavum per somnos exigit ævum.
Et te nosse velim jugi num prandia luxu
Struxerit; an, tenui dum splendet mensa salino,
Compositâ vires plerumque refecerit horâ.
Sic operæ in pretium medicæ mortalia primùm
Et studia, & mores, habitusque inquirere cedet.

Non

Non tamen hæc, oculis inculti haud pervia Vulgi,
De grege dignoſcet quiſquis, niſi docta ſequatur
Anatomes documenta priùs; cui mortua parent
Explorata diu, & ferro diſcreta ſagaci
Viſcera, & humani textum mirabile cordis.
Tam quoque te certo labentia ſidera curſu
Veſtigare velim, & Cœli præſciſcere motus,
Quàm quibus incurvo proſciſſa novalia raſtro
Dant ſegetes, campiſque graves torrentur ariſtæ.
Ergo, ut ſtelliferos relegendo induſtrius Orbes
Proſpicias, animum dum res intendit, habendi
Præ manibus Faſti tibi ſunt, qui menſtrua promunt
Tempora; ut obliquus Signorum vertitur ordo,
Per duodena annum dum Delius aſtra reducit.
Quæque revertentes variat diſcrimine menſes
Luna ſuo noſcenda; novo num lumine currum
Efferat, & geminis falcatos cornibus ignes:
An ſaturum emergens toto caput evehat auro.
Ut tumidos vultu nimbos, Zephyrumque tepentem,
Utque Eurum, & denſis humentem denotet Auſtrum
Imbribus, aut Borean Cereri fera bella minantem.
Sic dederit fauſtas ubi pagina lecta Kalendas,
Feliceſque ſuper Stellarum oſtenderit ortus;
Tunc age, Sidereas aurato vellere ſedes
Cum repetit, medioque Aries affulget in axe,
Morbida ſi cupias eradere tempora vitæ,
I celer Inarimen, & corpora prolue, ponti
Donec aquis demerſæ Atlantides abſcondantur,
Atque Ariadnææ lateat jubar omne coronæ.
At tibi ne poſthac veniat tam dira cupido
Ut mergare vadis, ubi noxia ſidera fulgent:
Sævus & horrificæ protendit ſpicula caudæ
Scorpius, aut jaculo Chiron qui prænitet, aut qui
Nimbiferâ Terras contriſtat Aquarius urnâ.

Tunc (secus aut Fontis, [a] secus aut Natura malorum
Ni moneat) Balinea cave: ne præcocis Auctor
Esse necis, gratamque velis abrumpere lucem.
Semper hyems glacie, impendentique horrida nimbo
Obfuit, & gelidus brumæ intractabilis aër.
Sæpe etenim exortæ furiis agitata procellæ
Stagna pruinosis madeant cum nubibus, omnis
Aut perit, aut magnâ virtus ex parte recedit.
Commixtam pluviâ quin & sensere malignam
Sæpe luem Latices; nocuoque humore madentes
Proh quantam extemplo sparsere in corpora pestem!
Idcirco cœli Soles, & nubila serva;
Conjugis in gremium qualis descenderit æther
Inspice: Chalcidicos num parcè effusus in agros;
Largior an contra ruris Sata læta, boumque
Diluerit lapsâ nimborum tabe labores.
Nam sibi Nymphæis tum consulet ille relictis,
Venturos fati qui spem potioris in annos
Distulit, & lymphis voluit melioribus uti,
Has ubi mortiferæ non polluit halitus auræ.
Propterea, labes si quos inimica coëgit
Tempore Sithoniis quandoque horrente pruinis
Tergier, Inarimes ea tunc aptissima quærant
Tecta, recurvatâ circùm testudine, purum
Quæ latuere Jovem: tumidisque impervia Cauris
Intactos referant intactis Fontibus amnes.

Ut tamen hæc, dum clara diem Matuta reducit,
Defuerint, nullique ruant vi turbinis imbres;
Ipsa vel in primis riguos brumalia Fontes
Frigora, & Æolii turbat discordia regni;

(a) *Tunc (secus aut Fontis &c.* Necessitas enim quandoque cogit Balnea experiri tempore non suo; ut in Brumâ diximus lib. 4., ex Jasolino, Balneum vulgò *Di Mezza via* utile aliquando esse.

Hinc mihi, quæ pulso redeunt Aquilone, sereni
Veris, & æstivi placeant quoque tempora Cancri.
Quin etiam, ingrato quamquam intempesta lavacro:
Et ferat immodicos anni pars illa calores,
Arida Campanas, Nomadumque Canicula fruges
Dum coquit: & Tellus morientibus æstuat herbis;
Affectum tum corpus aquis immerge; nec ardor
Astrorum, aut calidæ violentia terreat undæ.
Præsertim exsuccas urit si flamma medullas
Interior, tacitèque ignis depascitur artus;
Namque Cleonæi primum sub sideris ortum
Stagna tibi validos proment fumantia rores.
At fera si Stygijs emerserit orta latebris
Tempestas: cœli vitio si lethifer annus
Ingruat, & miseris passim det funera Terris;
Heu malè tabificis afflata vaporibus æthræ
Lympha fluet: tristi quam tunc & luce coronat
Juppiter, & diro fœtam contaminat astro.
Tunc, meliora tuis dum posces omina rebus,
Heu fuge suspectas intuto munere venas:
Nec dubiâ certum medicinâ accerse venenum.
Non ego laudarim cellis Hydrea repostis
Utilia, ingenti cum concita sæpe fragore
Terra movet, cecidere arces, & diruta Divûm
Templa ruinosis involvunt Ædibus Ædes;
Disruptâ compage Soli, tunc omnia teter
Quippe vapor, Terræ latebris emissus ab imis,
Clausa replet, temeratque simul gravis halitus amnes.
Nec, nisi te fractum [a] capularis adegerit horror,
Ina-

(a) *Nec, nisi te fractum capularis &c.* Censent aliqui anno bissextili abstinendum Balneis. Deridet observationem hanc Baccius l.2. c.6. tanquam anilem metum, & cum ipso Fallopius; cum non appareat quid mali afferre possit illa intercalaris dies. Quia verò Savonarola non ignobilis Auctor hoc asserit, dandum aliquid Viro probatæ fidei. Eò magis quòd hoc ipsum fatetur Jasolinus l. 1. c. 11. adnotasse in Balneis nostris, anno nimi-

Inarimes adhibenda horter medicamina Nymphæ,
Cum tibi bissexto Martis numerare Kalendas
Conveniat; nocuisse ferunt tunc Balnea; quamquam
Nil alij metuant, nil tempestate verendum
Hâc moneant, & vana metûs commenta refellant.
Morborum at se se quamvis certamine victrix
Naias, Amazonio gaudens velut altera plausu
Hippolyte, attollat: non te tamen illa levabit,
Depositum si forte rogo vis aspera lethi
Devovet, & duræ solvunt tua fila Sorores.
Haud etenim, penitis quæ substitit intima fibris,
Flectitur, ægrescit tabes inimica medendo.
Nec mihi tam subitò facilis suadebit Aliptes [a]
Robustum cum nulla premunt incommoda corpus,
Ut libeat celebrare tuos dulcissima Fontes,
Ænarie; fortasse meum fatalia tandem
In caput arma parem ruitura; necisque propinquæ
Immemor, ah rapidas Libitinæ adjungere pennas,
Inconsultus aquas firmo si corpore tentem.
Humores tum quippe suis e sedibus audent
Exciti turbare: novoque lacessere tactas
Dissidio venas, & acerbo viscera motu.
Condita sic pyrij qui semina pulveris igni
Corripit admoto demens: miserandaque tectis
Excidia, invitoque struit sibi Marte ruinam.
His animadversis, instat dum tempus agi rem;
Posthabitis vigilem dum rursus idonea stratis
Hora vocat; certâ non dum tibi luce, sopori
Subtrahe te, segnemque libens age discute noctem,
Et matutino luctantia lumina somno.
Post, ubi primus equis Oriens afflaverit axem,

 Et

-micum 1580., in quo minùs utilia fuis-
-se dicit.

(a) *Aliptes*. Aliptes, Minister Balnearius: ab Ἀλείφω Ungo.

(a) *Sper-*

Et reducem Eoo Titan de litore currum
Extulerit; menſæ heſternum, vel inutile cœnæ
Reddat onus venter, dejectâ & ſorde levetur.
Balnea dein ſubeas, nam te pars temporis illuc
Opportuna ciet, celeremque ad cuncta requirit.
At verò (attritis prohibet niſi viribus impar
Debilitas) repetenda eadem ſi pharmaca, poſtquam
Cynthius emenſo declivis ab æthere tendit
Oceano merſiſſe rotas; tres juverit horas
Ipſum ante occaſum Solis petijſſe: calentes
Frigida ne lymphas diverberet aura; vel acti
Sub noctem illudant, Zephyrique nocentibus alis
Officiant, fluidoſque arctent ſudore meatus.

Nec tamen hìc monuiſſe, aut fruſtra edicere certem,
Quod Natura ſuo cuivis dat noſcere ductu;
Turmatim ne Stagna eadem, nec tempore eodem
Mixta viro mulier ſimul hæc, ſimul ille frequentet.
Ut molli quondam genio Spartana ferebat
Libertas, [a] Thermis nunquam permiſſa Latinis: [b]
Ante reluctantes quàm Græca Licentia leges
Frangeret: & toto Rubicone excluſa Cotytto [c]
Urbe vel in mediâ ſacras ſibi poſceret aras.
Rite ſuos igitur claſſis diſtincta receſſus
Quæque habeat; ſic tu ſexûs, Hydragoge, [d] pudori
Conſuluiſſe potes; lymphâ ſic Virgine caſti
Tuta pudicitiæ ſervabunt jura liquores.

Nec

(a) *Spartana ferebat Libertas.* Conſulatur Baccius *l. 7. c. 12.*

(b) *Thermis nunquam permiſſa Latinis.* Teſte eodē Bacc. ibid., & A. Gellio *Noct. Attic. l. 10. c. 3.*. Licèt poſterioribus ſeculis, profligato pudore, promiſcuè laverint; ut habemus non ſolùm ex Plin. *lib. 34. c. 12.*, ſed a Clem. Alexand. *Pædag. l. 3. c. 5.*, & D. Cypriano *De Habitu Virginum*. Poſtremò tamen, cum Adriano, M. Aurelio, Alex. Severo Imperatoribus hoc improbaretur, iterum Fœminis Balnea ſeparatim extructa ſunt.

(c) *Cotytto.* Cotytto, Impudentiæ Dea habita: cui Athenis nocturna Sacra fiebant a Baptis ejus Sacerdotibus.

(d) *Hydragoge.* Hydragogus, Balneator: ab ὕδωρ Aqua, & ἄγειν ducere.

(a) *Si-*

Nec quæ præſideat, quæ penſa accuret: & unà
Silanos [a] referet nunc hos, nunc obſtruat illos,
Inſtructaſque paret Zetas, [b] ibi ſedula deſit
Ocyroë; [c] veniat non una Galanthis, [c] & æſtum
Temperet alloquio, defeſſaque membra reclinet.
Sed modò dum refluis ſpumant manantia cellis
Tecta, ſalutares greſſum flectamus in Ædes;
Conſona ſic placitis per me, dictiſque Priorum
Lex data, ſecuro per me ſervabitur uſu.
Nudus abi, pete nudus aquas: niſi corpora quantùm
Sancta verecundo texiſſe modeſtia lino
Juſſerit, & ſocij quantùm reverentia cœtûs.
Plurima ſed varios caput integat acta per orbes
Carbaſus, & multo ſinuata volumine firmet.
Sic liquidi ſudore pori, venæque dehiſcent
Ilicet, & grandes ibunt per tempora guttæ;
Halitibuſque Jovis quamquam vitiata ſiniſtris,
Ferali nunquam aura caput vertigine lædet.
Ante tamen ſolio quàm lympha immiſſa capaci
Excipiat: ducto ad frontem tu pollice, ad imum
Pectoris, ante humeros ſummi tria Numinis ora
Supplicibus venerare labris, Patremque, Patrique
Progeniem æquævam, divinum & Flamen adora.
His properè exactis, paulatim najade plantas
Prolue: tum ſenſim demerſis tibia ſuris

Æſti-

(a) *Silanos.* Silani, Aquarum Tubuli, ſeu Siphones.

(b) *Zetas.* Zeta, ſeu Zetecula, ut apud Plinium Junior. *l. 2. Epiſt. 47. ad Gallum* legunt Multi, ubi alii Diæta; Locus eſt unius lecti capax cum Sellis duabus, qui velis obductis, & reductis modò adjicitur cubiculo, modò aufertur. Videatur Catanæus in Comment. ejuſdem Epiſt., & Bacc. *l. 7. c. 17.*. Nunc fortaſſe Zetæ aliquo pacto reſpondent iis, quas Noſtrates *Arcove* appellant. Nomen ductum ἀπὸ τοῦ ζεῖν, quòd eſt fervere; Solem enim Zetæ tribus partibus excipiebant: & inde fervebant. Aptiſſimæ quidem ad reficiendas Mulieres laſſas, & balnei calore madentes.

(c) *Ocyroë.. Galanthis.* Ocyroë Chironis filia, a quo Medicinam edoctas ut ex Metam. *l. 2. Fab. 10.*. Galanthis ibid. *l. 9. Fab. 6.* Alcmenæ ancilla: utraque hic pro Fœminis, quæ Mulieribus e Balneo exeuntibus præſto eſſe poſſint.

(a) *Syr-*

Æstiferâ mergatur aquâ : genua ægra subinde
Pulset , & attactam circùm liquor æstuet alvum :
Pectora dein lambens,humeros, atque utraque tingat
Brachia : & actutum per colla undantia serpat.
Sic demum , assuetus Stagnis , imbrique ferendo ,
Nulla exploratis discrimina sentiet undis
Æger : anhelanti non aëra gutture reddet.
Namque repentino totum si perflua corpus
Lympha vado obruerit , calidoque immerserit alveo,
Obstructo forsan vox intercepta palato
Hæserit, atque animo latices defecerit inter.
Sin minùs hoc , omni certè simul obruta fluctu
Laxa cutis, se se plerumque adstringet ; & acri
Aspera pruritu sensus , dextramque lacesset.
  Ne qua tamen nostras fugiat vigilantia Musas,
Impendenda priùs , quàm quisque sedilia saxo
Structa petat, positoque sinus madefiat amictu ;
Ipse mihi arcanas obeundis Fontibus artes
Mostranti , Veterumque iterum præcepta ferenti ,
Inarimes medicata sagax qui Balnea curat,
Ocius accedat , monitisque accommodet aures.
Et vos, qui mecum vigiles noctuque, diuque
Partem operæ, studiumque ratâ mercede locastis;
Vos , quibus hìc miserûm tot jam labentibus annis
Ægrorum commissa salus ; tubulisque salubres
Funditis , & rivos Loturæ inducitis aptos :
Vos precor ah Superos per , Patria Numina , Divos ,
Sanctaque amicitiæ per fœdera : ne mihi Fontes
Limus , & immundâ turpent uligine sordes.
Ipsa sed in primis niteant pellucida nullo
Stagna luto : ne forte graves exhalet odores
Fœtor ; & Invalidi certam sic unde medelam
Debuerant haurire , novâ hinc contage premantur.
  Ergo, ubi jam residem medio nox acta soporem
Cur-

Curriculo expulerit, mihi juſſa faceſſat Aquator.
Idem maturis properanda Hydreumata cœptis
Tum repetat pernix; habilemque ea prima fatiget
Cura animum, heſternos thalamis educere rores;
Dein alios pleno, atque alios ſiphone recluſis
Rurſus epiſtomijs immittere. ne tamen æquo
Plus liquor exundet, ne plus calor urat: utrique
Det menſura modum; juſtis hinc auctibus alter,
Alter & hinc rectâ libratus lance reſidat.
At ſua vis inſit, quam tu patiare neceſſe eſt.
Qui Lacedæmonio Balinea tepentia ritu,
Delicias facturus, amet, procul ille recedat,
Imbellemque petat Sybarim, Conteſque procaces
Salmacis: indecori maletecta Semiramis oſtro
Quos peteret: qualeſve enervi marcida luxu
Semiviris quondam Phrygibus Cytherea pararet.
Ergo æſtûs patiens (in venis namque receptum
Haud aliter vitium excoquitur) patienſque laboris
Sit mihi, qui victo Ænariâ decedere morbo
Quærat, & incolumi cupiat lætarier ævo.
Si verò ad medicas ſub noctem Balnea leges
Sint iterum ſubeunda: iterum mihi terſa niteſcant
Illa: nec immiſſi deſit nova copia Fontis.
Nam ſummo elatus cum Phœbus ab æthere fulget,
Et nemorum exiguâ languens pecus accubat umbrâ,
Tunc tempus dare rurſus aquas: tunc Stagna Miniſtro
Exploranda, ſuo noceant ne fervida ductu.
Nec leve præterea, parvi nec ponderis olli
Munus erit, Lacubus ſceleratum avertere frigus.
Hippotadæ ſiquidem laxati e carcere venti
Inarimen tumidis agitent cum ſæpe ſubactam
Turbinibus, ſylvaſque, & proxima litora plangant:
Huic ego te jubeam metuendæ occurrere peſti.
Claude feneſtrales aditus, nocituraque ſolers
Fla-

Flamina pelle procul, vitroque exclude sequestro.
At nimiùm si contra imber præfervidus æstum
Exacuat, membris nimiùm, vitæque timendum;
Occlusas age pande vias, quà grata Favonj
Aura movet, calidos quæ ventilet acta vapores,
Ferventesque abigat fumos, & molliat ignes.
Infusam totis at postquam acceperit undam
Artubus, & solio medius consederit Æger;
Ne mihi, ne crebrò plantas, aut brachia sursum
Dimoveat, madidosque humeros hàc jactet, & illac;
Irrequieta etenim tenuis per corpora sudor
Ibit, ubi assiduis tepuerunt motibus amnes.
Quod si forte animi quisquam languoribus actus
Deficiat: cæcis nec Tecta afflata favillis,
Aut clandestinos, igne impellente, calores
Ferre queat, labroque impar succumbat iniquo:
Ut validâ hæc longè Syntecticus [a] arte repellat
Damna, celer medio sublimem e gurgite tollat
Sæpe manum: nunc dextrâ auras, nunc ille sinistrâ
Solicitet; mersâ fluitans ut Portitor alno,
Quem ferus in præceps tumidum dejecit in æquor
Auster, aquâ involvens: rapidis ne præda procellis
Ille ruat, motis repulisse hinc inde lacertis
Nititur obstantes fluctus, alternaque jactat
Brachia, festinum flectens ad litora cursum.
Hausta etiam (Veterum [b] fuit hæc solertia) clausis
Ore retenta labris, gratum tulit una levamen
Frigida; sic nullas dederunt labefacta ruinas
Membra: emolliti sic pressa licentia Stagni.
Corpora sed plenis dum perluit Ædibus humor
Fumidus, & facili venas sudore relaxat,

Haud

(a) *Syntecticus*. Syntecticus, qui Syntexi laborat: Ital. *Deliquio*.

(b) *Veterum &c.* Vide Plin. *lib.* 31. *c.* 3.

(a) *Ægra*

Haud ullo ſedanda tibi jejunia victu:
Multa gulæ quamvis irritamenta latrantem
Tunc ſtomachum lenire queant; malè ſubdola lenit
Eſca famem, motura novo quæ fomite turbas,
Exitium fortaſſe fibris fatale minatur.
Cui tamen & ferro thorax confoſſus, & altè
Vulnus hiat, vel plaga tumens, vel puſtula tabo
Craſſior, & ſanie putres exulcerat artus:
Linea laxatis olli ſolvatur habenis
Tænia: nam campo ſic limes agendus aperto:
Ne qua ſalutiferi ſepta importuna morentur
Roris iter: fuſos ut protinus hauriat imbres
Ulcus, & his facili pateat via pervia ſulco.
Certa ſed optatæ cupias ubi dona ſalutis:
Selige conſultâ ſubeunda Machaonis arte
Apta tuis quæ Stagna malis, hæc, illave: poſthac
Utere ſelectis tantùm: nec mente relinquas
Præcipiti; caveas ne tum deſultor, & expers
Conſilii, ſine lege ruas, & in altera migres,
Effrænus quæ ſolùm animi præſcripſerit ardor.
Multiplices etenim dum gens malecauta requirit:
Dum ſubit, & ſpargi nunc his, nunc appetit illis,
Mutati nocuere amnes: inopinaque ſecum
Funera, vel dubiæ traxere pericula vitæ.
Nec minor inceſſat, poſtremave cura ſequatur,
Temporis emenſi ſpatium ſervare: quot horas (eſt
Stagna ferenda Ægris; quod multò impenſiùs æquum
Conſulere: & rerum ancipites expendere caſus.
Non ego te certis addicam legibus; idem
Non modus expediet, non omnibus omnia ſemper
Conveniunt præcepta; ætas penſanda: virilis
An vigeat: fervens juvenili an corpore ſanguis
Emicet: an membris virtus effœta ſeneſcat:
Obtuſiſque cadant laſſati viribus artus;

Fœmina, Vir-ne fuat; gemini & discrimina sexûs
Ad trutinam revocanda. alias feret altera demum
Lympha moras, variâ pro conditione liquorum.
Hos horam in solio consumere juvit: at illos
Dimidiam: solitoque aliis plerumque morandum
Plus erit: ut vitæ series, vel corporis ægri
Temperies, Anni, Vires, Eventaque poscunt.
Omnia quæ cauto sunt observanda Magistro.
Quandoquidem (incerto nec vana Auctore recordor)
Ut longæ nocuere moræ, nocuere subinde
Sæpe breves; modico siquidem tentata lavacro,
Et venis commota mali violentia, nunquam
Obruta concessit, penitùsque oppressa resedit;
Sed quæ tecta diu, quæ parte latebat in unâ,
Extemplo grassata, sinus meat illa per omnes.
Hybernis veluti cum Sol præfulget ab astris:
Effusas licèt ille nives, glaciemque resolvat,
Non tamen exsiccat; pigro sed squalida cœno,
Obductisque latent vel tum mage pascua campis.
Quin etiam, vel prima isthæc ut inertia risit
Tentamenta: ipsoque furens medicamine Morbus
Acrior, indomitas auxit vehementiùs iras.
Non secus, exiguo quàm qui restinguere nimbo
Magna velit rapidis bacchata incendia flammis;
Cum latè æthereas tabulata erecta sub auras
Corripuere; alitur parco tunc ignis ab amni:
Majoresque animos lento capit hostis ab hoste.
Sic tantùm excito, non victo humore per imbrem
Crevit: & ignaros quandoque nocentior Ægros
Infecitque Lues, & amaro funere mersit.

Sunt qui præterea paulatim assuescere labris
Membra docent, æstus tolerent quò mitiùs. horæ
Principiò pars quarta vadis insumitur; instar
Velitis, indicti non dum certamina belli

Qui

Qui præit, & primis Martem conatibus urget.
Pars eadem lapsi posthac geminata teratur
Temporis inter aquas: ut sensim corpora discant
Ferre salutares, quos evomit unda, calores.
Ast in processu, validis ubi membra lacertis
Sustineant se se tanto sub pondere: tutas
Adde moras, longùmque undis assuesce; solutâ
Donec aquis latè largus cute sudor inundet. (nam
Nec multùm abludit priùs hìc perpendere, quot
Transigere Inarimes inter Vada fervida Soles
Conveniat; voti ut compos tum quisque recedat,
Ad patrios remeans, victâ contage, penates.
Profuit interdum, numero breviore dierum,
Sæpe quaterdenâ Multis aspergine septem
Consumpsisse dies: primo dum mane subibant
Balnea, quæ sero repetebant vespere; morbi
Namque brevi, prædura licèt, vis illa remisit.
Altera post decimam Nonnullis orta refulsit
Phœbeis lux vecta rotis. quindenaque Terris
Non semel illuxit, quo tandem læta peracto
Tempore, gens potuit curis imponere finem.
Pluribus haud eadem risit Fortuna, morantes
Longa superfusi tulerunt qui tædia Stagni;
His etenim, pulsâ morborum nube, serenum
Tunc rediit: visæque iterum consistere vires,
Purpuream quando vicenis æthere ab alto
Cantibus Auroram cristata vocaverat ales.
Atque Aliis non ante datum discedere, Phœbes
Cornua quàm pleno, saltem semel, orbe coissent.
Sæpe etiam Reliquos mora longior acta coegit
Lunari denas gyro superaddere luces.
Nec tibi, difficilis ductu rationis egenti,
Arbitriis moderanda tuis hæc omnia ducas.
Nec levis e trivio, sua qui præscripta recenset

Plurima, vel monitis audax imponat Agyrtes. [a]
Affere te, verbisque memor ne fide dolosis;
Credita permagno ftabunt mendacia; namque
Tantidem coëmes vitæ difcrimina, quanti
Nunquam aliàs emeret celerem gens ægra falutem.
Confule præfignis quos clarat adorea Famæ,
Partaque Apollineas maturâ ætate per artes
Gloria: quos chartæ, memorandaque facta loquuntur.
His tantùm te trade, atque his hortantibus aures
Da faciles: avibufque petes Hydrea fecundis.
Ipfe tibi in primis Fontes medicatibus aptos
Monftret, & expertis fugienda, petendave cauffis
Balnea Cariades [b] doceat: dum dira malorum
Seminaque, arcanofque aditus rimatur: & altè
Luftrat inacceffi detecta cubilia morbi.
Olli promeritas non uno nomine grates
Solvere Pierides certant; lethalia noftris
Pellere cui toties licuit contagia membris.
Quippe furens Stygiis refugum caput abdidit antris
Pulfa Lues tandem: Lachefifque hoc Vindice fractas
Indoluitque minas, telifque exuta receffit.
At quis io [c], prædulce fonant dum carmina nomen
Læta tuum, triftes rumor pervenit ad aures,
Cariade? extinctum quæ te vis afpera Fati,
Dum loquor, abripuit, cafuque oppreffit acerbo?
Nofco equidem: veteris non hactenus immemor iræ
Te petit infrendens, cecidit quæ viribus impar
Sæpe tuis: proprias Libitina ultura ruinas,
Te violenta nimis difpendia penfat in uno:

Hoc

(a) *Agyrtes*. Agyrtes, Medicus Circumforaneus: Ital. *Cantimbanco*: Ab Ἀγείρω Congrego: vel ab Ἄγυρις Cœtus, Congregatio.

(b) *Cariades*. Cariades, Nazarius de Caro, Medicæ artis Profeffor, quem optimè de fuâ, Suorumque e Neapolit. Soc. Jefu falute meritum, grati animi ergò Auctor recenfet.

(c) *At quis io &c.* Fato quippe tum conceffit, cum Auctor illius hìc meminiffet.

(a) *Bal-*

Hoc demum illatas redimit ſibi vulnere clades.
Abſtulit at quando Fortuna hunc invida; curam
Non te, Balbe, [a] meis adhibere induſtriùs Ægris
Abnuerim de more: ſatis tua cognita virtus
Clara per ora virûm reſonat: ſatis alma docenti
Jam tibi Parthenope plauſum gratata rependit.
Te quoque crediderim Sirenum e litore fauſtis
Vela ſoluturum Superis, ubi Stagna petentem
Et regat auſpiciis, monitiſque informet euntem
Te Cirilliades: [b] populi qui clarior auram
Ingenio exſuperat, Famamque exæquat Olympo;
Nam morbos ſive ille fuget, ſeu certa fugandis
Inſinuet documenta, pari ſibi laude renidet
Auſoniis nomen peperiſſe illuſtrius oris.
Horum ubi conſiliis, tibi quæ gratiſſima cedent,
Parueris, tuto corpus committe fluento.
  Ne tamen hìc animis actutum concide, certâ
Utilitas ſperata die quòd lenta moretur.
Adveniet, mihi crede, ſalus: juſtumque ſequetur
Tempus; & optanti jucundius affore cernes
Hoc tibi, quod ſerò rediens impertiet Eos.
Et quæſita licèt primi non ſenſeris anni
Commoda, in alterius ſpem certam protrahe menſes.
Nec tunc cede piger, ſed contra fortior ito,
Quàm tua te Fors dura ſinet; cum fœnore reddet
Altera, quod votis tantùm una negaverit æſtas;
Damna etenim, quæſtuque moras reparabit opimo.
Edonas ut Terra hyemes, brumamque Decembrem
Paſſa diu: vernis horrens licèt illa reſiſtat
Solibus, & Cœlo placidè ſpirantibus Auſtris,
Tan-

(a) *Balbe.* Balbe, Jo: Baptiſta Balbus Medicinæ Profeſſor, & in Neapolitano Archigymnaſio Prælector.

(b) *Cirilliades.* Cirilliades, Nicolaus Cirillus ejuſdem medici inſtituti, atque in eodem Lyceo Profeſſor.

(a) *Sci-*

Tandem victa sinus, patefactaque claustra relaxat
Rursus, ut affulgens Titan se prodit: & Auster
Incanas tepido diverberat ore pruinas.
His quoque te monitum, Chiron, si forte necesse est,
Jure velim: pavidum ne te fallacia reddant
Stagna tuis præscripta Ægris, segnemque retardent.
Ergo iterum perstans eadem tunc præcipe; & armis
Tunc iisdem aggrediare hostem: sic corruet iisdem,
Scilicet eventis [a] plerumque exterrita nullis,
Altiùs ad vivum vel cum persederat imis
Ossibus acta Lues; cœptis operosa Juvantis
Cura, renitentes nodosque, morasque resolvit:
Et captiva tulit devicti insignia morbi.
Jam verò undantes intraverit ægra penates
Gens ubi, & irriguis sudor fluet undique rivis:
Juverit interdum dulci componere mentem
Alloquio, tristesque, cient quos tædia, luctus.
Nec rerum repetes longè, quibus otia fallas,
Argumenta manus inter: genialibus ipsa hæc
Materiem Nymphæa dabunt sermonibus; ipsi,
Qui tecum Balnea petunt operosa Sodales,
Quot miræ virtutis aquas, Fontesque recludent!
Quot tibi prodigiis nunquam cessantibus addent!
Sive improviso salientes impete: quales
Litore in Euboico, vel in Arcadio Pheneo
Terra solo nutante parit; [b] sive, ordine verso,
Quos fera nimbiferis fudere incendia flammis. [c]

Nec

(a) *Scilicet eventis &c.* Ita Cels. *l.3. c.12.*, ubi sic: *Sæpe pertinacia Juvantis, malum corporis vicit.*

(b) *Terra solo nutante parit.* Circa Ædepsum Eubœæ Oppidum enatas Calidas Balneas ex Terræmotu, scribit Aristot. *l. 2. Meteor. c. 8.* Et Austoricum Montem ejusdem etiam vi novos Fontes emisisse, Auctor est Theophrastus. Sic alibi factum pluries, refert Bacc. *l.1. c.24.*, Ovid. 15. *Metam. Fab.4.*, Senec. *Natur. Quæst. l.3. c.11.*, & Plin. *l.31. c.5.* circa Pheneum Arcadiæ, & in Monte Coryco.

(c) *Fudere incendia &c.* Ut præsertim de Lacu Asphaltite in Palestina testantur Sacræ Literæ. Idem in nostra Æuaria evenisse asserit Bacc. loc. cit.

(a) *Nec*

Nec minùs irriguo [a] celebrabunt munere dites
Vos, procul Hesperio felicior Orbe diremptas
Quas Fortuna beat, Fortunatasque vocarunt,
Insulæ Oceano in medio, quà proximus astris
Axem fulcit Atlas, & sidera vertice pulsat.
Arboreis perhibent expleri hìc grandia succis
Pocula: nam fluidas ut pressit dextera frondes,
Tum subitò foliis rorat manantibus Arbor.
Ac velut edomitas Hispano vinitor uvas
Calcat Iber prælo; tentas seu lacte capellas
Qui vocat ad mulctram; contractis ubera palmis
Pressat, & exhaustis explet mulctralia mammis.
 At tibi Cecropios facundior inter alumnos
Gratia ne desit, quæsita aut copia fandi:
Hìc tua condictis detur ceu symbola cœnis.
Utque animos verbis valeas, auresque morari
Blandiùs, & duros lenire sagaciter æstus;
Ad sua te Fontes revocent miracula. pronum
Hàc iter insternent hi, qui nova serta petentes,
Populeâ, vel fronde comas cinxere Salicti:
Dum liquidæ retegunt arcana latentia Terræ.
Hinc tibi, Flammiferi [b] præbet cui Sarmata nomen,
Fon-

(a) *Nec minùs irriguo &c.* Testatur Plin. *lib.6. c. 32.*

(b) *Hinc tibi, Flammiferi &c.* In Poloniæ minoris Palatinatu Cracoviensi, in Monte, quem *Admirabilem* Incolæ appellant, repertus est Fons, qui flammas concipit; atque illi *Igni Fatuo* nomen est; Floribus odoriferis, & medicinalibus consitus; Aquis salsis, & dulcibus scaturiens: Mineralibus, ut ajunt, diversæ indolis fœtus. Hujus aquæ, ac lutum ita utilia, ut ejus accolæ vix morborum assultus patiantur; Senes ad 100., & 150. annos vitam protrahunt. Nunquam gelu adstringitur. Admotâ face ignem concipit: instar stillati vini; & nisi restinguatur, incendia parit; ut accidit olim cum aquæ ignitæ immissæ per subterraneas cavernas, & radices arborum comprehendentes, proximam sylvam omnem in cinerem redegerunt: cum tres solidos annos ignis perdurasset. Hinc pluribus excubiis provisum, quarum cura est ignem extinguere, si forte accendatur. Ignotam superioribus seculis Fontis originem, fulmen manifestavit, cum in aquas illapsum, illas incendit. Aliæ deinde virtutes Fontis detectæ; inter quas habetur, ut Flamma, licèt ligna admota comburat, tamen adeò subtilis est, ut aquam non calefaciat: sed

haustu

Fontis honor, Fontiſque recens dicatur origo.
Ilicet ut medicâ paſſim virtute potentes
Induat in flores ſua litora; Neſtora ſeris,
Ambroſiæ velut hauſtus aquæ, det vincere luſtris,
His quoque, queîs potum pariter, vitamque miniſtrat.
Adde itidem ut certis Lunaria tempora ſervet
Legibus[1]: ut, pleno fulget cum Cynthia cornu,
Augeat, ut minuat ſed decreſcente liquores:
Et Dodonæo par ille inſaniat œſtro.
Quin etiam, injectâ violentos excitet ignes
Ut face: ſtillati tanquam ferventia Bacchi
Munera, cum raptim Vulcano proxima fervent.
Dic age, ut exuſtas (dictu mirabile!) ſylvas
Corripiat: licèt, uſque ferens incendia circùm,
Mulciber extinctâ noſcat clementior irâ
Et ſervare fidem, cognato & parcere Fonti,
Algentes qui ſervat aquas: & tutus ab æſtu
Ridet anhelantes immuni gurgite flammas.
Hæc ubi dicta, novo repetens Fontana recurſu,
Davino monſtrante viam, portenta ſequeris,
Fatidico Mutinæ [a] quæ multa in Fonte recenſent.
Auguris hic pluvios ſtabili namque omine nimbos
Denotat, & tumidis obnoxia tempora Cauris,
Imbre loquens monitore: & ſunt oracula lymphæ:
Et ſua ſunt olli Cœlo commercia: utrinque

Fœ-

hauſtu hæc, perinde ac Dodonæus Lucretii Fons, frigida percipiatur. Ad Lunæ inſuper incrementum, ac decrementum creſcit, ac decreſcit. Habes hæc omnia ex *Act. Erud. Lipſia Tom. Anni 1664. pag. 326. In ejuſdem Fontis* (per id tempus cogniti) *Deſcriptione*, *juſſu Sereniſſimi Poloniæ Regis editâ per Dominum Corradum Reginæ Archiatrum, ad Dominum Dionyſium Lutetiam Pariſiorum tranſmiſſâ.*

(a) *Fatidico Mutinæ &c.* De Fonte Fatidico, vulgò *Fonte Prognoſtico* in Agro Mutinenſi hic ſermo eſt: qui quidem, Davinio teſte (ut ex ejus literis ad Valliſnerum datis Mutin. Kal. Maii 1706.) mirum habet cum Cœlo commercium; illo enim ſereno, limpidus eſt, nubilo infuſcatur: & tempora denotat vel ſerena, vel pluviis obnoxia. Agit de hoc, & de cauſſis hujuſmodi effectuum Antonius Valliſnerus; ut videri poteſt *Tom. 5. Par. 11. p.283. Veneti Minervæ Muſæi.*

(a) *Octa-*

Fœdus : amicitiæ leges , & jura tuetur
Mutua ; nam puro affulgens si rideat æther
Sidere , ridet aquis , & amœno limpidus alveo
Fons salit , illimi testatus gaudia fluctu .
Ast ubi mœrentem , & nigrâ ferrugine tectum
Infecere diem pendentia nubila : se se
Nec mediis Titan mersum cognoscit in umbris :
Tunc Phœbi dolet ille vicem : tristique fluento
Turbidus , aspersos incestat , & obruit agros .
Tantus amor Fontis , tanta est concordia cœlo .
Talia cum totâ circùm plaudente coronâ
Commemores , merito per me dignabere plausu .
Nec manibus trivisse tuis hæc nota pigebit
Carmina ; quæ facili quæsitas ordine leges
Lecta dabunt ; studio quamvis vigilata perenni
(Non tamen invitâ tempus fallente Minervâ)
Octavæ tulerint Vati [a] fastidia Lunæ .
At si Fata ferant celebratæ ut redditus oræ ,
Inarimes repetam nostris loca culta Camœnis :
Et tecum assideam , solioque effultus eodem
Excipiar ; tacito non tunc mihi plectra , fidesque
Conticuisse sinam ; nec me facundia inertem
Deficiet ; numeris libeat seu plana solutis
Reddere verba : velim Clario seu Numine fretus
Aoniis vincire modis . quæ copia rerum
Lysiadum [b] e campis pleno se prodet acervo !

(a) *Octava tulerint &c.* Primam Opellæ hujus lucubrationem , ante quàm ad limam revocaret , innuit Auctor : in quâ menses octo insumpsit .

(b) *Lysiadum e campis &c.* Plusquàm justi voluminis materies profectò esset singula percensere , quæ de Lusitaniæ Aquis memoratu digna sunt : & ea præsertim , quæ ad medicam. virtutem pertinent . Ut unius tantùm Provinciæ (quæ *Interamnensis* dicitur , inter Durium , & Minium) 25000. Aquarum Scatebras omittam. Ita ex nuperis literis , ad me , de mandato Serenissimi Regis JOANNIS V., Ulyssipone datis sexto Kalend. Aprilis Anno MDCCXXV.

Sive Lacus, [a] Fontesque [b] canam: seu Flumina [c] coner,
Et portentiferos Calidarum [d] adjungere mores.
O mea, dum tanto fortunatissima fato,
Dum chelys Augusto resonat sub Judice, major
Se quoque, Pierio valeat percurrere cantu
Singula! regali seu quas opulentia [e] sumptu
Munificas ostentat opes: seu larga profuso
Quæ Natura sinu Genti medicamina præbet.
Non ego sum tanti: tenuesque ad grandia vires
Haud satis. Ascræo quis nunc mihi pollice chordas
Soli-

(a) *Sive Lacus*. Lacus in Lusitaniâ, præter cæteros, duo sunt miræ altitudinis, qui a Monte (Antiquis *Erminio*, Incolis nunc *Da Estrela*) in cujus cacumine extenduntur, nomen habent. Et licèt multis milliaribus a mari distent, communicare cum illo creduntur, non minùs quia tempestatibus etiam suis, turbante mari, obnoxii: quàm quia infractæ nauticorum quandoque armamentorum reliquiæ in iis inventæ. Ejusdem generis, ac naturæ sunt duo itidem Lacus, quos, a Vico cognomine, *De Sapelos* Indigenæ vocant: leucas duas ab Aquis-Flaviis, vulgò *Chaves*, distantes.

(b) *Fontesque*. Fontes Calidi, Ægrorum remediis opportuni, undecim sunt: Frigidi duo & viginti: horum aliqui, utpote medicati, ad multorum morborum curationem perutiles. Calidorum nomina Indigenis sunt, *Fonte del Rey*, *De Chafariz dos Paos*, *Fonte de demtro*, *Da Praya*, *Do Terreyo do Paço*, *De Arrabalde do Ponte*, *De Aldea nova*, *Da Virtude*, *Fonte do Banho*, *Do Pombale*, *Das Caldas*. Frigidorum verò, *Fonte da Venda do Rio*, *De S. Domingos*, *De Valverde*, *De Chaon do Cousse*, *De Pouza Flores*, *Do Sercado*, *Da Estiva*, *De Pinhete*, *De Alpalha*, *Do Tojo*, *Fonte Venenosa*, *De Gorf*, *De S. Marcos*, *De Cadima*, *De Golfeyras*, *Fonte Santa*, *Da Freyxeda*, *Do Xido*, *De S. Joa.*, *De S. Bras*, *Do Esparragal*, *Da Bica do çapato* in orientali Ulyssiponis regione.

(c) *Flumina*. Celebriores Lusitaniæ Fluvii viginti quatuor a Regni Chorographis recensentur: quorum undecim navium etiam patientes. Et sua quoq; horum multis inest virtus medica.

(d) *Calidarum &c.* Calidarum nomine veniunt Balnea medicata, quæ Lusitani *Das Caldas* nuncupant; duodettiginta illæ numerantur. Et licèt omnes medicâ virtute præditæ sint, præcipuæ tamen habentur eæ, quarum meminimus *lib. 2. pag. 64. in Not. lit. b.*, quas etiam *Da Rainha* dicunt: & nomenclaturæ hujus rationem habes ibidem. Sunt etiam aliæ, quas *lib. eod. pag. 63.*, *in Not. lit. g.* adjunximus. Cæterarum nomina Incolis sunt, *Banho da Vila da Freyere*, *Da Vila da Flor*, *De S. Mamede*, *Do Panachia*, *De S. Pedro do Sul*, *De Alcaface*, *Da Lagoza*, *De Ranhados*, *Da Longroyva*, *Do Arego*, *Do Favayo*, *Da Covilham*, *De Anciaens*, *Do Monçaon*, *De Guimaraens*, *De Gerèz*, *Do Ponte do Caiìz*, *De Nosa Senhora do Pranto*, *De Pena Garçia*, *Da Ribeyra do Boy*, *Do Envendro*, *De Leyria*, *De Cascaes*, *De Lisboa Oriental.*, *De Monchique*, & alia demum prope Balnea *Da Vila da Flor*, quæ carent nomine.

(e) *Regali seu quas &c.* Vide *Not. l. 2. pag. 64. lit. b.*

(a) Mi-

Solicitet? veniat: citharamque impellat, amico
Tempora cui Muſcus, velat cui Laurea nexu.
Is Luſitanûm referat nova monſtra liquorum,
Mirificumque ſuper Laticem: [a] cui condita virtus
Neſcio quo præter ſolitum dat currere fluxu;
Appula flaventes nam cum terit area fruges:
Et medium cœli, nemorum brevioribus umbris,
Sol premit altus iter: glaciali frigore manat
Algidus; Heſperium ſed cum feſtinat in axem,
Guſtantum tepidos tunc labris exhibet hauſtus.
Denique Sidereo flectat Latonia cinctu
Concubiâ ſi nocte rotas: calet ilicet, ac ſi
Flagrantes jacto conceperit igne favillas.
Addat & ille Lacum, [b] cenſu qui paupere quamvis
Vix dodrante ſolum penetret; tamen, eruta ſylvis
Robora ſi jacias, & vaſtæ marmora molis,
Robora tunc haurit: factiſque ingentia rimis
Marmora jacta vorat: patuloque abſcondit hiatu.
Scylla velut, Siculis cum formidata carinis
Æſtuat; &, cæcis exertans ora latebris,
Naviſragas pavido ſorbet cum remige puppes.
Te feret inde gravi Pimplea innixa cothurno
Aſtra ſuper, Boylee: [c] cedro nec digna ſilebit

 Tenta-

(a) *Mirificumque ſuper Laticem &c.* Balneum hoc (quod *De Pena Garçia* Incolæ appellant, & *Fonte Santo*, ab eximiâ ejus in evertendis morbis virtute) prope Vicum, vulgò *Monforte*, in Provinciâ, Indigenis *Caſtelo Branco*, Scatebris ſex copiosè effluit. Præter vim, quam habet contra ſtuporem, debilitatemque nervorum, Paralyſin, Artrhitidem, Iſchiaden, Hydropem, Iſchuriam, Cœliacos morbos, aliosque: mirabilius illud eſt, quod Carminibus expreſſit Auctor: accepitque ex ſuperiùs laudatis Epiſtolis, ampliſſimo Eruditiſſimi Viri Franciſci Fonſecæ de Henriquez Sereniſſimi Luſitaniæ Regis Medici teſtimonio, atque auctoritate roboratis: qui Fontem hunc non abſimilem ait eſſe illi, quem *Solis Aquas* dicunt, in Ammonis Luco: de quo Curtius *lib.* 4.

(b) *Addat & ille Lacum &c.* Singularem hanc proprietatem hujuſce Lacus veriùs, quàm Fontis, in Conimbricenſi Provinciâ, in Vico, Indigenis *Cadima*, a quo Fons nomen habet, refert idem laudatus Auctor, ex Vaſeo *In Chronic. Hiſpan.*, ex P. Antonio Vaſconcello Soc. Jeſu *In Deſcript. Portugall.*, & Eduardo Nunes de Leone.

(c) *Boylee*. Boyleus, Rober-
tus

Tentamenta, quibus tua jure ſuperbiat ætas.
Per te quippe Cavis emerſit aquoſa metallo
Vena ſuo: notâ patuere ab origine cauſſæ.
O mihi non humili dudum celebrande Thaliâ,
Quem Tameſis ſupplex, totoque Britannia ponto,
Et Sophiæ cultorem ingens mirabitur Orbis!
  Ponè alios vulgata recèns quos gloria ſtellis
Inſerit, Heroum liceat ſuperaddere Faſtis.
Te referam, patriæ mihi qui diſcrimine certo
Veridicos lymphæ teſtaris, Hiarna, [a] ſapores.
Ipſe etiam (majora licèt ſibi præmia virtus,
Atque aliâ texenda manu modò ſerta repoſcat)
Laude ſuâ felix potietur Humellius: [b] acri
Ingenio qui tentat aquas: penitùſque latentes
Detegit expertas non uno examine vires.
Poſtremum haud Famæ det ſe, chartiſque loquendum,
Quo Duce per dubios patuit mihi ſemita calles,
Baccius; [c] omnigenæ per quem revireſcere Thermæ,
Et veteres potuere coli, potuere recentes;
Extuderat toties ſeu quas Ars æmula: ſeu quas
Dædala fœcundo produxerat ubere Tellus.
Nec verò aut Patavj,[d] Scotorum [e] aut Fontibus, aut qui,
Jam tandem Europe terrâ, pelagoque remenſâ,
Cer-

tus Boyle Anglus, Famâ satis notus; cujus eſt, *Brevis Apparatus ad naturalem, & experimentalem Aquarum Mineralium Hiſtoriam, per Epiſtolam ad Amicum concinnatus.* Ut in Actis Erud. Lipſiæ *Tom. An.* 1685., *pag.* 587.

(a) *Hiarna. Tom. An.* 1684., *pag.* 79. Act. Erud. Lipſiæ, exponitur, *Urbani Hiarnæ Brevis aquarum Explorator, genuinas, & acidulas ſalutares a ſpuriis in Sveciâ obſervatis diſcernens.*

(b) *Humellius*. Jo: Baptiſtæ Humellii, ſeu de Humel, Regiæ Academiæ Scientiarum Socii, & Exſecretarii doctiſſimæ Lucubrationes referuntur, *In Hiſtoriâ, De Excerptis ex Medicatis Fontibus, ejuſdem Academiæ, ſub An.* 1677.

(c) *Baccius*. Laudatus toties Andreas Baccius Elpidianus, cujus, præter innumera eruditiſſima opera, in lucem edita, præclariſſimum eſt Opus, De Orbis univerſi Thermis, ac Balneis, ſive Naturâ, ſive arte paratis.

(d) *Nec verò aut Patavj &c.* Jo: Gratianum Bergomenſem cum ſuo Patavinarum Aquarum Examine deſignat Auctor.

(e) *Scotorum aut Fontibus &c.*
Ro-

Certat Pannonicis [a] meritum decus addere lymphis:
Nec mihi cum Grevio, [b] Reyhere, [c] indictus abibis,
Derhamiusque, [d] & Borbonidum laudator [e] Aquarum:
Quique novum potuit proferre Fovetius [f] usum,
Quo medica utiliùs reseraret Balnea Pæon.
Judice me, partam præsigni nomine laurum
Straussius, [g] & pleno referat Blondelius [h] ore.
In tua non parcas etiam præconia Musas,
Valleri, [i] cupiam; & Floyero [k] audire canentes,
Et te, Grundeli, [l] te Ploti [m] digna, Scatebras
Qui

Robertus Sibbaldus, Eques Auratus, qui (*ut ex Tom. Anni 1685., pag. 173. Act.Erud.Lipsiæ*) *Par. 1. l. 1. c. 9.* suorum Operum, varios Scotiæ Fontes mirabili virtute præditos refert.

(a) *Certat Pannonicis &c.* Innuit hìc Eduardum Brovum M. D., qui in suâ *Brevi Relatione Itinerum per varias Europæ partes, Sec. 15.*, in Hungariæ Descriptione, fusè de Aquis medicatis illius Regionis agit.

(b) *Grevio &c.* In Actis Erud. Lipsiæ, *Tom. Anni 1596.* refertur, *Tractatus* [illegible] *Salis Cathartici amari in Aquis Ebeshamensibus, Auctore Nehemiâ Grevv M.D. utriusq; Regiæ Societatis Socio.*

(c) *Reyhero.* Ead. Acta, *Tom. Ann. 1697., pag. 397.* continent, *Experimentum novum, quo Aquæ marinæ dulcedo examinata describitur ab Samuele Reyhero* J.C., *& Mathematico Kiliensi.*

(d) *Derhamiusque &c. Descriptio Aquarum Mineralium apud Ilmington* in *Comitatu Varviensi repertarum*, habetur per Samuelem Detham Medicum, Baccalaureum Aulæ S. Mar. Magdalenæ Oxoniensis. Ut ex Act. Lips., *Tom. Anni 1697., pag. 444.*

(e) *Borbonidum laudator &c.* Jo: nimirum Paschalis D. M. in *Tractatu de Thermis Borbonicis Ann. 1700.*. Ut ex iisdem Actis, *Tom. Anni ejusdem, pag. 494.*

(f) *Fovetius &c.* In Actis laudatis, *Tom. Anni 1687., pag. 684.* leges, *Novum Systema Aquarum Mineralium Viciacentium, Auctore Claudio Fovetio, Consiliario, Medico Ordinario Regio, Aquis illis Præfecto.*

(g) *Straussius.* Jo: Christophorus Straussius Archiatrus in Aulâ Serenissimâ Saxo-Martisburgicâ, vulgavit librum, cui Titulus, *Thermæ Carolinæ.* Ut ex cit. Act., *Tom. Anni 1695. pag. 511.*

(h) *Blondelius.* Franciscus Blondel, Aquensis Medicus, typis mandavit, Descriptionem Thermarum Aquisgranensium, & Porcetanarum, cum usu Balneationis, ac Potionis, An. 1685.

(i) *Valleri.* In Supplemento *Tom. 3.* Act. Erudit. Lipsiæ *An. 1699.* videre licet, *Tentamina Physio-Chymica circa Aquas Thermales, Auctore Nicolao Vallerio Ostrogothia-Sveco.*

(k) *Floyero.* In iisdem Actis, *Tom. Ann. 1696., pag. 524.* invenitur, *Inquisitio in Usum, & Abusum Balneorum Angliæ calidorum, frigidorum, & temperatorum*: cujus Auctor est Jo: Floyer, Armiger, Med. Doct.. *Et Tom. Anni 1704., pag. 180.* extat ejusdem Auctoris, *Antiqua Ψυχρολουσία*, seu, *Exercitatio de Balneorum frigidorum usu: Ut in Not. l. 2., pag. 86. lit. a.*

(l) *Et te, Grundeli.* Jo: Benedictus Grundel 1685. edidit, *Scrutinium Medicum-Physicum, Chymicum, in quo Acidularum Rolteschensium proprietates chymicè, & mathematicè examinantur.*

(m) *Te Ploti.* Ex *Tom. Anni* 1685.

Qui retegis , Vatemque doces unde eruta primùm
Fluxit aqua : & pingui ditavit munere glebas.
Aſt ubi feſtivo libeat te ſeria ludo
Poſthabuiſſe : inter ſua ſunt & ludicra Thermas,
Quæque animum curis obleꝺamenta relaxent.
Namque ſub æſtivum [a] repetit dum Balnea tempus
Gens Aris addicta , ſacris quæ nomina caſtris
Sponte dedit : tectiſque utens , & legibus iiſdem,
Unius e nutu pendetque , ac juſſa faceſſit.
Hanc etenim , Superûm delapſa e ſede , ſecundis
Et regit auſpiciis , & dio Eutaxia [b] ductu.
Vel quæ Pauliaden , vel quæ venerata Parentem
Te , Loyola , colit ; ſeu quam Jeſsēja Mater
Intulit Oenotriis Carmeli e vertice Terris ;
Sive alias alio diſtinctas agmine quæras.
His, ubi Fata vocent , & ſpes ea ſola ſuperſit :
Solamenque mali , tulerit quod nulla medentum
Dextra , Pithecuſas quæſitum accedere præſtet ;
Succumbat ne preſſa ſuo mens ægra dolori,
Idcirco ſuccenſa libet præcordia luctu
Solvere . tum varios ineunt , repetuntque viciſſim
Arte jocos variâ , poſitis quos ipſe querelis,
Heraclite , probes : nec amaro pallida fletu
Ora riges : primo tum nactus gaudia riſu.

Quip-

1685. Actor. Erud. Lipſiæ , *pag.* 535. etuitur , *Roberti Plot L. L. D. Cuſtodia Muſæi Aſhmoleani Oxoniæ Præpoſiti , & Regiæ Societatis Londini Secretarii , Tentamen Philoſophicum de Origine Fontium.*

(a) *Namque ſub æſtivum &c.* Cum multi religioſorum Ordinum Aſſeclæ per æſtatem ægrotationis ergò Ænariæ Balnea frequentent , ſolenne iis eſt , ut tædia Balneorum utcumque fallant , feſtivum aliquod inventum in medium afferre . Inter cætera tamen id uſu receptum , ut , habitis veluti comitiis , aliquem ſibi per jocum , e quacumque Familiâ ille ſit , Moderatorem , initis ſuffragiis , ſeligant : cujus reliqui omnes per id temporis imperia faciant . Hinc riſus , facetiæ , urbanique ſales , atque adeò ægritudinis , ſaltem ad tempus , ſeu oblivio , ſeu levamen.

(b) *Eutaxia.* Eutaxia Obedientia Latinis : Ab εὖ bellè , bene , & Τάσσω , ſeu Τάττω , Ordino , Diſpono.

(a) *Quin,*

Quippe, sub undosis ut merso corpore cellis
Consedere: Ducem, veteri de more, quotannis
Arridet legisse sibi: quem cætera lectum
Obsequio pia Turba colat: cui pareat uni.
Ergo alacres instant; cœtu Delectus ab omni
Præconis veluti tum voce indicitur; adsunt
Rite Patres; quales olim Romana coëgit
Curia, Consulibus dum vertitur Urna creandis.
Nec desunt, prensare manus, ambire rogando
Qui simulent, meritis & qui præcellere jactent;
Debita dum proprio sibi tantùm quisque regendi
Munia jure petit, primâque in sede locari.
Hæc inter, dum jussa ferunt suffragia circùm,
Qui sibi, concordi Patrum plaudente Senatu,
Plura tulit, Dux ille datas moderatur habenas:
Et premit, & laxas nunc blandior ille remittit,
Et rursum adductas ad se trahit alter, & idem;
Præmiaque arbitrio, pœnasque & dividit æquo,
Ut recti mensura tulit. tamen ore soluto
Non poterit quisquam risum tenuisse, severas
Cum videat, nullo rerum discrimine, leges
His, Loyoliade, te dantem, & jura ferentem,
Qui sacra montani coluerunt saxa Casini,
Quique Thieneo gaudent cognomine, seu quos
Aspera sub tacitis Chartusia rupibus abdit.
Nec semel, imperio posthac, sceptrisque relictis,
His idem assurges; verso namque ordine, quondam
Quæ tuleras aliis, mox tu præcepta sequeris.
Quin, & Cyriacæ [a] summam quandoque regendæ
Gentis habet, tortâ religatus cannabe renes,
Et tegit attrito qui vix Assisias artus

Gau-

(a) *Quin, & Cyriacæ &c.* Gens Cyriaca, Ital. *P. P. Domenicani*; a Κύριος, a quo deinde Κυριακὸς Dominicus.

(a) *Bu-*

Gausape. quos inter vel qui non Mysta frequenter
Imperitat, vultu niteat dum pinguior: & dum
Tergaque distendat, vel obesis ilia membris.
Sic interque sales, ficti & moderaminis inter
Gaudia, non uno torquentes ora cachinno,
Semisopita ferunt morosæ incommoda sedis.

Admonet interea Stagnis excedere, postquam
Dimensa æstiferos fluxit Clepsydra labores.
Hoc ubi, non lento repetenda cubilia gressu:
Udaque membra toro sternenda; sed ante madentes
Lintea diffusis tergant sudoribus artus.
Insuper, ignavo caveas tua credere somno
Lumina: jucundæ quamvis sub imagine pacis
Incautis sensim ille oculis obrepserit. at tunc
Plurima distento superaddita stragula dorso
Sudorem eliciant iterum, rursusque per horam
Effluat, & largis irroret corpora guttis.
Quas modò cum facili siccaverit arte Minister:
Corporeosque habitus, roburque in pristina molles
Reddiderint plumæ: tunc desidis otia lecti
Discute: sepositasque iterum superindue vestes.
Dein, gressus relegens alios, aliosque regressus,
Ne pigeat motis trivisse domestica plantis
Atria; sincero non multa, nec ebria donec
Excipiat te mensa cibo, potuque fruaris.

At ne forte avido noceant depasta palato
Fercula, & oppressas lædant non cognita vires;
Accipe quæ victu tibi sint adhibenda salubri:
Et quo, quæque modo cautus dignoscere possis.
Largior in primis epularum arcendus ab usu
Luxus, & expertis nunquam lassata periclis
Ingluvies; quanta Ismarias fortasse deceret
Mænadas, Ogygio celebrant Trieterica Baccho
Orgia dum; Lapithasque, inter convivia quando
Cer-

Certantes fuſo jaciunt crateras Jaccho.
Sic hilares liceat quamquam te condere Soles,
Innubeſque dies, hilarem temulentia nunquam
Reddat, ut, obductis victâ ratione tenebris,
Ipſa etiam ſanæ conturbet munia mentis.
Hinc tibi prima mali ſeries: hinc ſemper iniquæ
Uſus aquæ: & nullum tulerunt Balinea levamen.
Selectis ergo dapibus diſtinguere præſtat
Prandia: vitalis ſuccenſo fomite vincat
Quas calor, & victas feliciter egerat alvus.
Præcipuè cum rite ſtatis epota diebus
Lympha fibras ſubeat: digeſtas illa requirit,
Et ſenſim edomitas nativis ignibus eſcas.
Sed jam per medium properantes æthera Titan
Flectit equos: abrumpe moras: diſcumbere tempus.
Namque aliter vacuum non te vel ſera peracto
Cœna cibo inveniet. verùm pergrata ſoporis
Otia ſi repetens cubitum incœnatus abibis,
Utiliùs Nymphæa petes; nam reddere magnum
Fœnus amat parco tibi lex ſervata refectu.
Præterea, nonnulla tui ſi cura remordet,
Ne te, ne vario congeſta obſonia luxu
Corripiant; ah parce gulæ: metuenda patenti
Invalidis ſemper mixtura obnoxia damno:
Addit onus, non addit opem: dum ſiſtere credit,
Opprimit, hoc fractas onerat qui pondere vires;
Exitiumque ferent eadem ſi multa: fuiſſent
Quæ, modò juſta, tuæ quondam tutamina vitæ.
Arduus ut campo tunc cum cataphractus aperto
Splendet eques, ſumptis ubi ſe ſuperobruat armis:
Telum læva gerat: torquenda phalarica dextram
Occupet: atque humeros ærata fatiget arundo;
Parma latus claudat, clauſum latus inſtruat enſis;
Ille fatiſcenti ſimilis, ſimiliſque ruenti

Ibit: & ipſa trahent, queîs cingitur, arma ruinam.
Interdicta tamen non protinus omnia credas
Fercula: nec rigido vetuiſſe Melampoda juſſu
Aut olera, aut menſis hortorum dona ſecundis;
Præſertim ſincera, quibus vis nulla nocendi:
Aut quibus admotâ vitium detergere prunâ
Ignis, & auſterum potuit lenire ſaporem.
Sic pultem decocta tibi cichorea parabunt,
Intubaque, & ſtomacho bugloſſus [a] amica labanti:
Quæque viret torto ſinuoſa cucurbita collo.
Ociùs at cinaras, [b] fungoſque, & tubera [c] Terræ,
Et viridi avertes ſurgentem ceſpite cramben.
Ipſa procul capitata, ſinus quæque orbibus orbes
Multiplici involvit foliorum braſſica gyro;
Qualis lauta tuis, Siren, adoleſcit in hortis,
Expleat ut vulgi plebeijs frondibus ollas.
Dulcia nec primi te lactis edulia, junco,
Aut filice invitent religata coloſtra, [d] ſerive
In pinguem aſſurgunt quæ grata coagula metam.
Noxia, ſi ſapias, longè ſuccidia, [e] longè:
Non adhibenda; diu patriis fumoſa caminis [f]
Ipſe ſibi exploret: ſalibuſque Æquicola tritis
Perfricet effingens. removenda tomacula, [g] tergo
Præſtiterit quæ Nola [g] Suis, quæ Felſina, [g] quæque
Veſtinis [g] venient xenium jucundius oris.
Denique ne multis morer hìc, prudentia ſemper
Te tua, te reddant aliena pericula cautum;

Quæ-

(a) *Bugloſſus*. Bugloſſus, Ital. *Boraggine*.

(b) *Cinaras*. Cinara, Ital. *Carciofo*.

(c) *Tubera*. Tuber, Ital. *Tartufo*.

(d) *Junco, aut filice .... religata Coloſtra*. Ital. *Giuncata*, ò *Felciata*.

(e) *Succidia*. Succidia, Maſſa quæcumque Porcinæ Carnis ſale durata.

(f) *Diu patriis fumoſa caminis &c.* Pernas ſcilicet exquiſiti ſaporis, quales in Æquiculis (vulgò *Cicoli*) Aprutii Regione habentur.

(g) *Tomacula &c.* Tomacula, Ital. *Mortadelle*, Nolana, Bononienſia, & Aquilana, quæ quidem omnia optimæ notæ.

(a) *Vi-*

Quæque tibi, atque aliis fatalia senseris olim,
Hæc & ab aspectu prohibe: ne lumina primùm
Solicitent, quæ capta, manus, atque ora lacessant.
At non longa inopi patiar jejunia victu
Te sedare: ovi te copia sorbilis, & te
Candida alet croceos quæ contegit unda vitellos,
Non durata foco, tenui sed versa favillâ.
Cerea ponatur nitido Ficedula lumbo,
Nutritæ vel cortis aves, capusve subinde
Altilis, aut prisco Perdix quæ rara Quiriti.
Ipse etiam, nostro solvens e litore, tecum
Sæpe diem fregisse velim, modò Phaside vectas
Sufficiat Dapifer volucres, nemorosa propinquis
Quas Prochyte, quas grata dabunt Vivaria [a] sylvis.
At sua cum sanctos [b] tutentur Numina lucos,
Quid prædâ invitis audax oblecter herili
Numinibus? sacrum Domino vivacior ævum
Exigat illa suo; nullas passura sagittas
Havalidæ auspiciis volitet; fata invida vincat,
Annorumque vices, tanti dum Principis aurâ
Vescitur, & tanto felix Altore superbit.
Sole suo veluti fertur Titanius ales
Pascier, ætherei carpens alimenta vaporis.
O ego, magnanimi referens insignia plectro
Facta viri, meritam virtutibus addere famam
Si satis ore forem! si Cæsare [c] digna viderer
Dicere! præteritum non illum secula chartis
Arguerent ventura meis. præclarior œstro
Pieris, Attalico celebraret splendida sumptu

(a) *Vivaria*. Vivaria, Ital. *Il Vivajo*: parva Insula brevissimo freto a Prochitâ distans, quæ Phasianis etiam abundat.

(b) *At sua cum sanctos &c.* Alluditur ad Venationem Phasianorum, quam sui juris semper fecit Havala Familia harum Insularum Domina.

(c) *Si Cæsare digna &c.* Cæsari quippe, Histonii, atque Aterni (vulgò, *Vasto, e Pescara*) Marchioni nomen est.

Tecta, Palatinas cultu referentia sedes!
Pondere pressa tamen, laudumque sequentibus undis
Obruta, nequidquam regali ex indole mores,
Nequidquam, resonis nervisque, & vocibus impar,
Exprimeret nullis reddendum Heroa figuris.
Cui, Proavûm illustres inter nutrita triumphos,
Laurigeras quamquam felix Victoria cunas
Straverit: & largos dederit Sors prodiga census:
Ille animo transcendit opes, & fortia Patrum
Gesta; nec hos tanto puduit cessisse Nepoti.
Verùm age, sternendis iterum me redde Diætis,[a]
Musa: sed ancipiti nolim venatica promas
Dona cibo; nam se non una utcumque salubrem
Dedat avis: Cassita [b] tamen, stipulisque Coturnix [c]
Abdita, & agrestis collum torquata Palumbes
Exulet, Anser, Anas: quas & cava Stagna, Lacusque,
Quas & in humiferis aluerunt Flumina ripis.
Merce tuâ, Venator, abi: nimis unguine lædit
Illa suo, reducisque feret præludia morbi.
At volucres quamquam, non hædus ab ubere matris
Deficiet, Vitulusque: mero quem a lacte recentem
Surrentinus ager læta inter pascua nutrit.
Hinc tenerum parcente manu decidier Assum
Profuerit, facilique premes quod dente minutal; [d]
Hinc pulmenta jube: condita hoc jure frequenter
Offa tibi ornetur: seu scissam in segmina [e] malis,
Seu Cereris frictam [f] decoxeris igne medullam.
Et Cereri interea quoque par delectus eduli
Sit,

(a) *Diætis*. Vide *Not. lib.2. pag. 89. lit.a.*
(b) *Cassita*. Cassita, Ital. *Allodola*.
(c) *Coturnix*. Coturnix, Ital. *Quaglia*.
(d) *Minutal*. Minutal, Etrus. *Cibreo*: Nostrat. *Piccatiglio*.
(e) *Seu scissam in segmina &c.* Pulmenti genus: Nostr. *Pane stufato, ò Zuppa*.
(f) *Seu Cereris frictam &c.* Nostr. *Pan grattato*.

(a) *Quam*

Sit, precor; in tenuem patinis primaria ſpiram
Circumflexa tuis niteat, quam Pontia [a] puris
Tractavit manibus mulier: primoque ſubactam
Polline, Sirenis dominam devexit in Urbem.
Illa quidem albentes eboris victura colores,
Sic niveo flammas inter mihi nectare creſcat,
Ut levis exhauſto, ceu ſpongia, turgeat imbri.
Hanc præter, nunquam varias compacta per artes
Cætera Eleuſinæ captent te munera Matris;
Veſtalis de more licèt tibi talia Virgo
Miſerit ambroſios redolentia liba liquores.
Non hæc effœtæ depoſcunt noxia vires
Scitamenta: alias tua ſervent prandia leges.
  Illecebris etiam ſunt quæ fugienda doloſis
Præcipiam: inſidias pomis prædulcibus æſtas
Ne ſtruat: alma ſinu quæ tunc effuſa benigno
Terra parit; gravibus ſeu quæ pendentia ramis
Inarime, Prochyteque legunt, vicinaque Neſis:
Sive Dicarcheis oleant matura caniſtris.
Experto placitura viro, delectaque alendis
Corporibus cape mala, ſed altera, & altera, ſed quæ
Multa dies, multo fervens molliverit æther
Sole, coronandis Perſarum aptiſſima cœnis.
  Tempore non alio fatis pejoribus actos,
Et vitæ ſubijſſe ferunt diſcrimina, ventris
Quos vitio in præceps rapuit malecauta voluptas.
Namque ſodalitii ſervent ut jura, remotis
Continuò menſis, gaudent eſcaria rurſum
Vaſa inferre, iterumque Scyphos haurire: nec hauſtu
Contenti, poſcunt cyatho majore Sodales.
Nec ſatis id: Ligurum devecta cupedia Terris,
Cru-

(a) *Quam Pontia puris &c.* Vulgò *Pan di Portici*, Neapolitanis commendatiſſimus. Pro voce *Pontia*. Vide *Not. lib. 1. pag. 11. lit. a.*

(a) *Re-*

Cruſtulaque arridet puerili abſumere ritu.
Et nunc ille tibi, atque aliis nunc ille propinat:
Crater & ah quoties nocuum redit actus in orbem!
Non ſecus ac teneris cognata repotia [a] Nuptis,
Atque alacres plenâ celebrantur amyſtide noctes.
Inde tumeſcentem cucumis qui crevit in alvum,
Grataque nectareis potanti mulſa pruinis
Deproperata, tuos frangunt, Canis æſtifer, ignes.
Proh pudor! & juſtis poſthac damnata querelis
Pharmaca, & adjectis audemus carpere probris
Munera tot monſtrata Deûm? quid ſæpe ſiniſtris
Inarimen culpamus aquis, quòd vota, fidemque
Luſerit: & nullis, incaſſum exculta tot annos,
Subſidio fuerit morbis; quin, funeris auctor
Pluribus, addiderit celeri calcaria fato?
In te culpa quidem, tantum te crimen in uno
Hæret, in extremam properes qui vertere potus
Perniciem, & vetito robur læſiſſe cibatu.
Quare age, Convivas ratio conſulta tot inter
Fac tecum accumbat; rectique hac judice ſemper
Utere: ne damno propior medicina nocentes
Reddat aquas, meritumque diu labefactet honorem.
Fluctivagas itidem, patrio quas gurgite prædas,
Sive lacus, amneſque vehant, ſeu cærula ponti,
Amoveo. quandoque tamen genus omne natantum
Non temere abſtineam. ſtomachi faſtidia Mullus,
Herbida ſaxa inter, muſcoque virentia paſtus,
Detrahat: inſontes hilarent convivia Percæ,
Et Scarus, & flavo rutilans Aurata metallo,
Et nullam quicumque ferat maris incola noxam.
At nocuis arbor non has oleagina ſuccis,

Dum

(a) *Repotia.* Repotia, Convivia, quę poſtridie nuptiarum apud novum Maritum fiebant: vel poſt ſeptimum diem, quo Nupta ad parentes ſuos redibat.

(a) *Aut*

Dum lento admotæ ſenſim torrentur ab igni,
Spargat agens epulas : ſed quod condita profundet
Teſta garum, aut pariles muriæ quæ ſervat acores.
Tracta recèns pelago tamen hæc, & vivida ſaltu
Laſcivire velim, manibuſque trementia labi
Dona maris: ſpatio nec plus ſupereſſe diurno.
Hos ubi non ſegni Scyllæ vitaveris æſtus
Remige: quàm vaſto patefacta Carybdis hiatu
Te modò Lenæos inter manet obvia rores!
Quam niſi vel totis fugiant tua lintea remis,
Naufraga proh quantis ſuccumbet vita procellis!
Hos igitur ſcopulos, hæc ſaxa Capharea longè
Proſpice, Thyrſigeri pereas ne præda Lyæi.
Ipſa quidem in primis attento examine lectis
Selegiſſe cadis ſinceri munera Bacchi
Tecum erit iſte labor; fuge Fumida: Fumida triſti
Obvolvunt nam nube caput, nebuliſque gravatum
Circumagunt; vitanda putes Auſtera; palatum
Sæpe reguſtatis fallant nec Dulcia guttis.
Campanæ non Torva plagæ, non Aſpera quæras:
Aut Atellanæ miſerunt qualia vites [a]
Omphacio [b] propiora: cave Firmiſſima largo
OEnophoro [c] diffuſa velis: Apianaque [d] fluctus
Paſſa freti: Ortygiis [e] & quæ venere Sicanis:
Et Trajanopolis [f] tibi quæ vindemia fundis

Ex-

(a) *Aut Atellana &c.* Vinum Atellanum, vulgò, *Aſprino d'Averſa*.

(b) *Omphacio propiora &c.* Omphacium, Ital. *Agreſto*: ab Ὄμφαξ, Uva acerba. Alluſum hic ad illud Franciſci Redii in ſuo Dithyrambo, ubi ſic

Quel d' Averſa acido Aſprino,
Che non so s'è agreſto, ò vino.

(c) *Oenophoro*. Oenophorum, Vas vinarium nimirum. Ab Οἶνος Vinum, & Φέρω Porto.

(d) *Apianaque*. Apianum, Ital. *Moſcadello*: ab Apianis uvis, cui Apes earum avidæ nomen dedere, ait Plin. *l. 14. c. 2.*

(e) *Ortygiis & quæ &c.* Vulgò. *Moſcadello di Siracuſa*.

(f) *Et Trajanopolis &c.* Vulgò, *Moſcadello di Trani*, Apuliæ Urbis, quæ Trajanum Conditorem jactat, teſte Stephano, *In Lexic. Geog. Hiſt.* V. *Tranium*, ex Leandro, Collenucio, aliiſque.

(a) *Vil-*

Excoquit, annosâ pretium meritura senectâ.
Mitia te contra, securo & sobria villo [a]
Cymbia delectent: quæ venis insitus ignis
Edomet, & facili erumpant excocta meatu.
Cuncta nec ad pateras adhibere exotica nolim
Longinqui te vina soli: modò largiùs uti,
Et calices itidem fugias siccare meracos.
Ergo, velut gustu qui tantùm explorat, & haurit
Parciùs, externum libes quandoque Rubellum, [b]
Et Latices valido tibi quos devota Thyoneo
Gallica vitiferis donat Campania ramis; [c]
Quosque sub aprico sudavit Etruria [d] cœlo.
Cæsareis quondam CAROLI [e] signata triumphis
Dolia deproperent succos, dignùmque ministro
Misceri Ganymede merum: Tochaica quale
Ebria Pannonicis fundunt vineta racemis.
Ore tamen restincta trahas ut murrhina, dulces
Hæc tibi vicinis Abucœti e Fontibus undæ [f]
Diluere: hæc puro poterunt carchesia Stagno
Nitrolides lenire Deæ: [g] queîs cura furentem,
Tollentemque minas, & prælia dira minantem
Sæpius undoso Bromium compescere vinclo.
Sed neque, fulva polum [h] Nemeæi sideris afflat
Cum juba, te sparsis potare algentia circùm
Po-

(a) *Villo*. Villum, Vini genus parùm potentis.

(b) *Rubellum*. Rubellum, Ital. *Chiaretto di Francia*, Vinum satis celebre.

(c) *Donat Campania &c.* Vulgò *Vini di Sciampagna*, commendatissima.

(d) *Sudavit Etruria &c.* Vina Etruriæ probatissima, ut sunt *La Verdea*, *Montepulciano*, & cætera id genus: quæ videre quisque poterit elegantissimè expressa in laudato Redii Dithyrambo.

(e) *Cæsareis quondam &c.* Vinum Tochaicum, vulgò *Vin di Tokai*: ab Urbe cognomine in Hungariâ Superiori, satis notum.

(f) *Abucœti &c.* Vide *lib.1.*, *pag.7. In Not. lit.c.*

(g) *Nitrolides*. Pro Fonte Nitrolis: De quo *lib.1.*, *pag.39. In Not. lit.a.*

(h) *Sed neque, fulva polum &c.* Irridet metum hunc potiùs nivati nocituri Redius loco citato, & festivè jocatur.

(a) *Me-*

Pocula de nivibus, placitumque accersere frigus
Abnuat asperior, Veterum de more, Diocles;
Quòd salibus nix forte suis suspecta feratur
Lædere, & ambiguos præbere nocentior haustus.
Tolle metus; animum nec anilis cura fatiget
Longiùs; e gelido dabitur gratissima potu
Parta salus; Meditrina [a] vigil modò præsit: & æqui
Sophrosyne [b] leges, discretaque tempora servet.
Ut primùm depulsa fames, mensæque remotæ:
Mexiacum Ammericæ quæsitum ab litore nectar [c]
Funde. peregrinis accedet gratia donis:
Illa, minutatim dum ferro secta, profusum
Sacchar, & interdum Siliquis Vaginula [d] spargat;
Ni tibi gelsiminis placeat, moschoque fragranti
Imbuere, aut lecto quod fuderit ambare Nereus.
Mox calidâ immixtas confecit ut ollula fruges
Ignibus, impresso versatilis impete turbo
Circumagat solvens; & amico concita pulsu
Trudat odoratos manus altera, & altera succos;
Ut tandem in tumidas elata coagula spumas
Plena laboratis ornent poteria bullis.
Sin aliis alio libeat præcordia mulso
Proluere: in mensam stillati noxia Bacchi
Dona ingesta cave; gustu licèt illa bibentem
Alliciant: gustus tamen hic concludit iniquum
Virus; ut occultâ concluditur hamus in escâ.
Quò mage nectareo conditi rore liquores,
Cinnamon, aut mordax Coriandri, aut semen Anisi,

(a) *Meditrina*. Meditrina, Medicinæ Dea Antiquis habita: a Medeor. Hinc Meditrinalia eidem sacra: dies scilicet, in quibus novum, & vetus vinum medicamenti causâ degustabatur. Ita ex Festo, & Varr. *lib. 5. de Lin. Lat.*

(b) *Sophrosyne*. Sophrosyne, Latinis Temperantia, Modestia; ut Cicer. *Tuscul. 2.*: a Σωφρονέω.

(c) *Mexiacum &c.* Cocolaten intellige e Mexicanâ Regione.

(d) *Vaginula*. Vaginula, Nostrat. *Vainiglia*.

Fragaque, & halanti redolent ecligmata nardo:
Hoc metuenda magis vitro pocilla finiſtro;
Namque ſub artifici patet heu dulcedine multis
Area vaſta dolis. parvo licèt ipſe propines
In cyatho: contracta tamen Leneïa ſævit
Acrior in venis virtus: dum robore toto
Inſinuat ſe ſe, laxiſque erumpit habenis;
Ut ferat inde novos ſtomacho, ventrique tumultus.
Sic, ubi per latos nimiùm protenditur agros,
Nil audet: ſpatio ſed cum breviore coactus,
Infoditur quandoque cavis: tunc ilicet iras
Exerit, & totis bacchatur viribus ignis.
Atque erit hæc tanti damnoſa expulſe, gulæque
Deliciis caruiſſe; avidas ſolabere fauces,
Cum tibi Pellæo veniet Faba [a] miſſa Canopo;
Quondam Arabum molli quæ non incognita genti,
Arſacidum, Thracumque hilarans dein prandia, noſtros
Appulit ad fines tandem; diffuſa per omnes,
Advena quæ primùm fuerat, velut incola, partes.
Illam ubi ſummatim tibi pruna ſubuſſerit: uſtam
Tunc mola non uno truſatilis acta rotatu
Conterat: aut gravibus tundant mortaria pilis;
Dein cribro ſubcerne: ſcobem quod protinus actam
Egerat: & moliti mihi pollinis effluat inſtar.
At ſatis effluxit quando: tunc najade ſparſam
Fictilia, aut, tales Opifex quæ cudit in uſus,
Æra ſinu claudant; Vulcano admota ſubinde
Concipiat facilem lymphis turgentibus ignem.
Donec amaritiem, tritæque incocta ſaporem
Hauſerit unda fabæ: croceiſque ſimillima calthis
Vi-

(a) *Cum tibi Pellæo veniet Faba &c.* Ital. *Il Caffè*, quæ ut plurimùm ab Ægypto affertur. Primò Arabes uſi hoc potu, deinde Perſæ, poſt hos Turcæ: cæteræ demum nationes, ad quas poſtremò pervenit.

(a) *Po-*

Visa itidem fuerit: foculo removendâ, represso
Ut languens paulatim ardor deferveat æstu:
Glebulaque ut fundo liquefacta residat in imo.
Dein mensæ Instructor, quem tu præfeceris unum
Curatorem abaci, proclivâ invergere guttum
Incipiat tunc ille manu, sensimque fluentem
Sistere, ne motis turbetur fæcibus humor.
Interea rores tersâ dum sorde ministrat
Ille, repurgatos niveâ pretiosior ansâ
Urceus excipiat, limo qui divite fictus
Venerit huc Sinis, extremo munus ab Orbe.
At sensu si forte nimis tua tristis amaro
Læserit ora sapor, dulci mitescere coges
Ambrosiâ, e patriis quam colligit India cannis;
Tum castigati sapient impune liquores.
Hìc etiam haud tenuem lucrabitur extera laudem
Potio, quam Chiæ [a] dixere a fronde Priores.
Utque salutiferum frugis probet hausta vigorem:
Et turbas utero longè, capitique nocentes
Arceat actutum præsenti munere fumos:
Non operæ multum, multum non illa requirit
Temporis: in promptu est, facilique parabitur arte.
Lympha etenim in parvi ut caluit collecta lebetis
Alveolo: solers alieno in litore messum
Sparge manu fruticem: & subjectis excoque prunis.
Atque ubi vim foliis resoluta inspergere visa est
Herba, fac amoto tum sorbilis igne tepescat.
Dicendum & quæ somniferis sint tempora stratis
Insumenda: quibus nunquam sine lege recumbes.
Non ego te multo, ~~aut parco indulgere sopori~~
Importunus amem. septem hic non amplius horas

 No-

(a) *Potio, quam Chia &c.* Vulgò *Il Tè*, ò sia Cià: Potio solennis Sinarum Populis, cæterisque Orientalium Indiarum Nationibus.

(a) *Var-*

Noctibus excedet. breviter tua membra diurno
Crede toro: dapibus postquam te mensa refecit.
Lumina sed placido, quamvis nutantia, somno
Post epulas nunquam dederis, si lympha frequenter
Pota per occultas dilabitur intima fibras.
Quippe ubi quæsitæ thalamis datur hora quieti,
Abdita tunc ægre ventris per septa meabunt
Purgamenta: tuam solvent nec sordibus alvum.
Hinc lecti ne fallat amor, mollissima fandi
Tempora festivo sociorum transige cœtu:
Cessantem residi sed nec pallere sub umbrâ,
Torpentemque sinat lento nocitura veterno
Te marcere quies. contra non improbus unquam
Multà fatigatum labor atterat; æqua juvabit
Dividere idcirco spatia; atque alterna vicissim
Otia nunc curæ, curas nunc otia rumpant.
Nec pigeat citharam interdum tractare loquaci
Pectine, & insomni fastidia fallere cantu.
Sylvestrem præbente modum tibicine, saltet
Ludius. ad numerum quoque te duxisse choreas
Sub noctem expediet; quamquam languentia in altum
Tunc agili librare vetem te corpora gyro;
Sed labyrintheas doctâ pes arte figuras
Signet humi tantùm: ne sic vigor excidat: omni
Servandæ siquidem tenues conamine vires.
Et licèt addictum Phœbo, studiisque Minervæ
Carmina te, Musæque juvent: age, carmina, Musas
Desere, & austero mentem furare labori.
Ipsa sibi lauros habeat deserta, suosque
Pimpla lacus; aliisque sitim restinguat; & æstum;
Inarime dum sola suas tibi porrigit undas.
Tempus erit, valido cum tu jam fortior ævo,
Dulciùs Ascræâ meditabere carmen in umbrâ.
Tunc vigiles liceat chartis insumere noctes;

In-

Ingratæ tunc damna moræ penſabis: & artes
Palladias iterum, deſuetaque caſtra ſequeris.
Hæc mea (ne, morbis rurſum tentata Juventus
Debilior, ſtudiis referat ſua damna) faceſſant
Hæc præcepta, loquor quos hìc, lectiſſima Fratres
Germina, Varghiadûm Soboles: [a] quos omine certo,
Vix bene prætextâ, bulliſque ætate relictis,
Deſtinat alma Togæ Virtus: & præcoce clavo
Majorum Trabeas humeris juvenilibus aptat:
Præſciaque ad patrios jam nunc immittit honores.
Nec te turba loquax, nec avaro Curia quæſtu
Cauſidicum arcellat. Puteal ſine vocibus alter
Verberet: & querulos aliis permitte clientes.
In faſtos obeunda dies vadimonia differ.
Quid modò cum roſtris? alio ſub Judice forſan
Res tibi: de toto quid ſi decernitur aſſe:
Atque adverſa diem dicat Fortuna nefaſtam,
Inque Reos referat? quid ſi quæſitor adurget,
In crimenque vocat Minos te durior: & te
Incautum motâ Libitinæ adjudicat urnâ?
Nullus erit funeſta tuæ diſcrimina ſortis
Qui relevet; fato nec qui ſuccumbat acerbo,
Seque vadem ſiſtat pro te; nec, Caſtora Pollux
Ut quondam (Inachidæ ni fingunt ſomnia Vates)
Extinctam alterno redimat qui funere vitam.
Cui verò genialis Hymen, thalamique jugales
Præluxere faces; monitis prudentia rectum
Hunc jubeat nocuos arcere Cupidinis ignes.
In teneras inimica quidem tum flamma medullas
Serpit: &, accenſo vivum ceu fomite ſulfur,
Per

(a) *Varghiadûm Soboles &c.* D. Jo: Chriſoſtomum, ac D. Franciſcum Vargas Maciucca Patricii Sanguinis Fratres alloquitur: ut Studiorum catenatis fracti laboribus, illa tantiſper intermittant, dum remediis vacant.

(a) Pl-

Per nova molitur fatalem incendia cladem.
Hæc eadem interea te cuncta, & legibus iiſdem
Obſervare velim pariter, gnavumque tueri,
Non modò cum totâ perfundes naiade corpus:
Sed cum prolueris fauces, & viſcera: cumque
Irrores tubulo partem, ſpargaſque medendo;
Seu juvet hærentem membris inducere limum,
Stagna ſalutari dederint quem turbida cœno.
Nec non e patriis ſi quando Fontibus æquor
Doliolis excepta ſubit: penitùſque remotas
Corripit unda vias, aliaſque infertur in ædes.
Nam pleroſque mali vis effera ſæpe retardat:
Nec ſinit Ænariæ flexiſſe ad litora curſum.
Sæpe etiam aſſiduis implexa negotia curis,
Inſanique Fori ſtrepitus, vel curta ſupellex
Interdicit iter: vetitos & ſolvere, cogit
Serà quidem, lento lymphæ medicamine, rebus
Conſuluiſſe ſuis, fractæque utcumque ſaluti.
Quippe, citis quamquam vectus per cærula lembis,
Imber hebet languens; vires & penè priores
Diſpereunt: & Fonte procul vigor ille remittit.
Ac veluti Ætneis ſi quando incanduit antris:
Stricturas ſine more chalybs vomit igneus; at ſi
Deprenſum Steropes detraxerit inde tenaci
Forcipe, paulatim reſidet calor inſitus: omnis
Tum penè obruitur, tum ſenſim deperit ignis.
At quocumque cadat virtus tenuata liquoris
Illa modo, in varios dum transfretat advena portus:
Attamen e Lacubus non fruſtra educitur: Ægros,
Exulet ille licèt, non tingit inutilis humor.
Quot paſſim Inarimes alio jam penè ſub axe
Convaluere undis! quot amico munere morbos
Perdidit expellens, peregrinaque lympha repreſſit!
Hìc mihi te noſtræ clarum Sirenis Alumnum,

Pi-

Pignatelliadum Soboles : [a] cui Numinis olim
Et gessisse vices, & sceptra Vicaria terris
Posse datum tractare : meo te carmine testem
Fas adhibere . gravi sedenim dum saucia casu
Membra dolent collapsa : acri dum vulnere languet
Tibia : & incessum diffracto crure moratur;
Cum satis apta tuis jam non medicamina præbet
Roma malis : vitæ tantùm spes una tuendæ
Tunc datur : Inarimes haurire e Fontibus undas :
Et Tibrim advectas Latiis infundere labris;
Unde iterum plantis repetitâ aspergine robur
Firmius accedat : teque ad majora reserves.
Ergo per æquoreas, Nymphis comitantibus, oras,
Et Glauci, Phorcique choro famulante, frequentum
Concharum & strepitus inter, sonitusque tubarum
Fertur : & urbanos festino remige fines
Lympha petit : subitura tuos, Pater alme, penates.
At non Æolio quæcumque e carcere puppim
Vulgares ventorum animæ, plebejaque in altum
Turba vehit celerans ; non, quà data porta, ruentes
Imbelli de gente ferunt Austrique, Notique
Præcipites ; mendax non hanc Portunus amicâ
Ad Terram impellit dextrâ ; sed præses ab astris
Ipse manu clavum regit ilicet : ipse secundis
Et præit auspiciis, Zephyrosque inspirat eunti,
Sidereo quales immittit ab æthere dius

Cla-

(a) *Pignatelliadum Soboles.* INNOCENTIUM XII. P. M. Neapolitanum ex illustri Pignatellorum Familiâ innuit. Hic quidem cum primis Pontificatûs sui annis, fallente vestigio, gravi casu concidisset : & fractâ tibiâ, toto contuso corpore, graviter ægrotaret, Medicorum consilio, nostris Aquis uti voluit. Quare phaselo quàm citissimo sexdecim horarum spatio Aqua Balnei Castilionis Romam pluribus diebus delata est ; hâc usus INNOCENTIUS sanitati pristinæ brevi tempore restitutus est. Ita ex Anton. Bulifonio, sub calcem Operis, cui Titulus, *Guida de' Forastieri curiosi di vedere le cose piu memorabili di Pozzuoli, dell' Abate Pompeo Sarnello.*

(a) *Octa-*

Claviger in propriam præsenti Numine Cymbam.
Altior haud aliàs tot jam per secula fulsit
Ænaris unda, novo quàm cum spectanda theatro
Romuleos tetigit, populo plaudente, recessus.
Tunc sertis tot onusta Ducum, clarataque palmis
Urbs augusta licèt: quæ fercula Cæsaris inter
Oceanum victrix,[a] Rhodanumque, atque ostia Rheni
Ex auro captiva tulit: Nilumque subacto
Viderat Ausonias mordentem Fonte catenas;
Majus ab Ænariâ Superûm sibi munere missum
Rettulit illa decus: majori elata trophæo
Martia cognato tulerunt se mœnia cœlo.
Quàm bene post acies, & tot depulsa Malorum
Agmina post, nostros Capitolia ad alta Liquores
Invexisse olim decuit; quibus inclyta plausus
Posset, & emeritum decernere Roma triumphum:
Roma suis quondam ut victo Victoribus hoste
Laurigeros inter belli decrevit honores.
Quod nisi Martigenæ [b] Tarpejo in Colle Quirites
Victricem excipiunt, spoliis præeuntibus, Undam;
Purpurei melior venientes pompa Senatûs
Juvit aquas, lætumque Patres pæana canentes,
Dum referunt dignas servato Flamine grates.
Ne mihi, ne posthac pleno canat ore Vetustas,
Regales inter gazas, [c] interque superbas
Antiquæ Babylonis opes: pretiosior auro
Condita Niliacis quòd fulserit Amphora lymphis.
Abde Paretonio stolidûm præconia Regum,

Fa-

(a) *Oceanum victrix &c.* Allusum ad Julii Cæsaris Triumphum: de quo ita Flor. l. 4. c. 2. *Primum de Gallis triumphum transmiserat Rhenus, & Rhodanus, & ex auro captivus Oceanus: alteris Laurus Ægyptia, & tunc in Ferculis Nilus.*

(b) *Quod nisi Martigenæ &c.* Romanis quippe mos olim fuit Triũphantes in Capitolium invectos, illis occurrendo, excipere.

(c) *Regales inter &c.* Aquas Nili asservatas olim inter ea, quæ pretiosiora censebantur a Babyloniæ Regibus, Auctor est Alexan. ab Alexan. *Dier. gen-*

Fama, solo; meritos hæc tantùm poscit honores
Unda, Quirinales inter quæ fulgida gemmas,
Thesaurisque micet pretium factura Latinis.
Namque ego Dalmaticis Hydriâ potiore metallis
Excipiam: multo quam mox adamante rigentem,
Baccatamque tuis, Erythre, distinguere donis
Moliar. e gemini ferat huc mihi finibus Orbis
Nostra pererrato quidquid felicior ætas
Oceano rimata dedit. sic dives onustam
Exuviis Oriens ornabit, & Hesperus Urnam.
Hanc anaglypta [a] manu, sculptisque animata figuris:
Hanc & Mentoreo fingens Industria cælo
Condecoret; Morbosque super, spirantia signa,
Pestesque, edomitamque Luem, Lethumque subactum
Exprimat, & fractos Libitinæ interserat arcus.
Sic tua perpetuùm florebit Fama; novumque
Semper io te, Lympha, decus, semperque recenti
Laude memor cumulabit honos. sic Nestoris annos
Detur, & Iliacas ævi transcendere metas.
Te Pater Eridanus, Cœlestibus additus oris,
Et te Dardaniâ quondam Jove raptus ab Idâ
Æthereo colat imbre Puer; stellisque micantem,
Erigone quà Virgo, sequens quà Libra refulget,
Te mediam, Cœli justâ plus parte locatam,
Inseruisse velint: ne Roma superbiat astris
Clarior, & victo per te præcellat Olympo.
Ut tamen hìc nostri niteat molimine plectri
Cognita, & æternum laus parta perennet in ævum:
Sic titulum memori signatum carmine ponam;
Eucherides hæc pro domitis Insignia Morbis.
Sed jam Phœbeas aliò ciet impigra bigas
Inarime; patrias, jam Fontibus illa relictis,

M m Evo-

genial. l. 4. c. 17., ex Plutar. *In Vitâ Alex. M.*

(a) *Anaglypta*. Anaglypta, Ital. *Lavori di basso rilievo*: a Γλύφω Sculpo.

(a) *Ni-*

Evolat ad Thermas, medica & Sabuleta requirit.
Quis tamen audito Thermarum nomine frontem
Pallor habet: refugumque procul te diſtrahit horror?
Aude alacer: ne damna time, quicumque tot æſtus
Inter, & undantes graveolenti ſulfure fumos,
Defectuſque animi, ſupremaque fata vereris.
Namque licèt riguus totis fluat artubus humor,
Nulla tamen madidis pariet faſtidia membris;
Si modò, Pæoniis mihi ſunt quæ condita dictis
Carmina, te monitum, vigilem te carmina reddant.
Ergo ſeu foveis adeunda eſt Acta recluſis,
Sive Hypocauſta petas, eadem moderetur euntem
Lex data, cum facilem torſiſti ad Balnea greſſum.
Par tamen ut toleres animo, par viribus idem
Quæ calidos iterant ſpiramina fœta vapores;
Mitia te multos fluctu Balinea tepenti
Exploraſſe dies, atque aſſueviſſe calori
Conveniet: terræ ne te qui ſpirat ab antris
Halitus, intorti ceu fulminis attonet igni.
Hæc tibi dum ſtudio fuerint vigilata ſagaci,
Tutiùs ingreditor Thermas; multuſque per artus
Sudor eat; donec prudenti membra Miniſtro
Viſa ſatis maduiſſe; toro dein ſterne propinquo:
Paulatim quo laſſa leves, atque humida tergas.
At labor ingratæ ſi te vocet alter Arenæ,
Accipe quæ peragenda. gravi cum Sirius aſtro
Urit agros findens, medioque altiſſimus axe
Diſtat ab Occaſu Titan, ut diſtat ab Ortu;
Tunc impendenti vitæ in diſcrimine præſens
Litus adi, curvo foſſor quod dente recludat:
Lege ſed hac jubeam: pedibus faſtigia tantùm
Ut ſcrobis alta tribus pateant, ſi corpore toto
Merſus humi, ſabuloque ſuper ſpargare calenti;
Et tantùm ſpatio caveam protende capaci,

Di-

Diſtentos quantùm jugulo tenus excipit artus.
Membrorum at quando pars una affecta ſalubrem
Poſcit opem: id terræ ſolùm tunc infode, parti
Quod ſatis, ut foſſam caleat detruſa ſub Actam.
Ante tamen lino, ramove aptata ſaligno,
Straminibus vel tecta ſuper caſa Solibus obſtet:
Et caput ardenti munitum ſervet ab ictu,
Dum calor incubuit, reliquis & partibus hæſit.
At tibi cui vultu felix Fortuna benigno
Riſerit: & plenâ facti congeſſerit auri
Dona manu: poteris Tyrio Sidonia luxu
Tentorj in ſpeciem tunc vela attollere; ut olim
Niliacæ ſtupuere rates, [a] ubi barbara Pellex
Carbaſa Leucatæ Melibœa tetendit in undis.
  Nudatum interea ſiccæ committere terræ
Prorſus, & obductum ferventi pulvere corpus
Obruere haud pigeat; gratum patientia munus
Una tibi, diuturna licèt, te ſoſpite, reddet.
At violenta cutem tactu vis ignea lædat
Ne modò: demersâ facito quâ parte latebis,
Hanc ſuper, hanc totam tendantur lintea circùm.
Sic erit inflatis ut nunquam puſtula bullis
Immitem pariat per membra exuſta laborem.
  Dum tamen aſſultu violentior ingruit ardor,
Mutato alternum cubitu tum ſæpe juvabit
In latus, eduri faſtidia fallere lecti.
Utque fatiſcentes habeant lenimina ſenſus,
Ille miniſterium ſubeat, qui doctior uſu
Redditus, Ægrorum dulci ſermone querelas
Leniat: & verſis modò qui bene cautus arenis
Inde novas ſenſim ſuperingerat; utilis unquam

(a) *Niliacæ ſtupuere rates &c.* Claſſis nimirum a Cleopatrâ, Duce Antonio, cui nupſerat, in Auguſtum immiſſa, purpurâ pro velis uſâ. De hujus divite faſtu, conſulatur L. Flor. l.4. c.11.

Ne calor abscedat, tepefactaque membra relinquat.
Qualis ubi accensis vivax fornacibus ignis
Æstuat, aut cæcam vincunt ellychnia noctem:
Debilis extincto ne lux, ne flamma quiescat
Fomite, congestis aluisse incendia par est
Roboribus; fusoque super crateris olivo,
Non intermissæ lætari munere lucis.

Artubus at quando de more calentibus ingens
Subter humum sudor sabuli fervore sequatur:
Eripe te rigido (satis est mora lapsa) cubili
Ociùs, & blandis releventur tædia plumis.
Hæc ubi ter quino repetentem viderit ortu
Cynthius, expulso tandem lætabere morbo.
Sin minùs, ah propero Lachesis tua stamina fuso
Torquet: & immani te prædam destinat Orco.
Quæ te cumque tamen dubiæ fallacia vitæ
Tempora, & incertæ velox manet exitus horæ:
Huc animos adverte; citis mortalia pennis
Ut fugiant: ævique brevem circumspice florem.
Subdola mendaci ne spes sub imagine rerum
Fallat; & ancipitem nunc huc, nunc dividat illuc:
In fluctusque ferat tumidos; quò multa parantem
Abripiat cæcis inimicum syrtibus æquor.



INA-


Biblioteca Nazionale V.E. III
NAPOLI



Ant. Baldi In. et del. F. VIII Maillar Sculp. Nea. 1729.



INARIMES

LIBER VI.



T quoniam adverſis ſua ſunt incommoda (Thermis:
Ipſaq;in exitium cedit medicina;graveſq;
Sentit aquas plerumque, patetque Eventibus [a] Æger,
Laſſa Machaoniis dum corpora credidit undis;
Idcirco expertis ſi quod ſolertia rebus
Pandit iter, facili mea per veſtigia ductu
Hoc horter te ponè ſequi, quicumque maligno
Sidere fatales inter jactabere Fontes.
Interea extremo Vatem ſub fine legentem
Carbaſa, & emeritâ prenſantem litora puppi
Dexter inoffenſo, REX INVICTISSIME, curſu
Sterne fretum: portumque ultro, lituſque petenti
Da

(a) *Eventibus.* Eventus, ſive E-|venta, Ital. *Sintomi*, *Accidenti.*
(a) *Re*

Da faciles auras, Zephyrosque ad vela secundos.
Sic iter e patrio, Duce te, quæ litore solvit
Inarime, patriæ per te reddatur arenæ.
  Tuque adeò positis nuper cui supplicat aris:
Thuraque, solennesque preces festiva dicavit
Roma: Palatini cum te Clementia Cœli
Dat fulsisse novum supera inter sidera sidus;
Ne renue, æthereo rutilas quà clarus ab axe,
Huc acies, & fausta meis huc lumina Musis,
Regiade, [a] flexisse; faces age prome serenas,
Prome diem, gemmâ mihi quem prædivite Ganges,
Vel notet affulgens exorti Phosphorus astro.
Nec tua susceptis obnoxia Gallia votis
Damnantem te sola velit; mirata furentes
Eumenidum fregisse iras, & vincula Diti
Sæpe injecta manu validâ: nutuque coactam
Non semel attonitâ Libitinam hæsisse pharetrâ.
Te quoque nostra manent & vota, & vecta Sabæis
Dona plagis; & noster amat te carmine Phœbus
Demeruisse; humilemque, manu quam supplice sistit,
Inter sidereas laurum tibi nectere flammas.
Namque tuo respersa micet si lumine, vincet
Illa vel astrigeros radiis fulgentibus ignes:
Seque novum meriti stellis jubar addet Olympi.
  Sive quis, æstivo rursum redeuntibus ortu
Sideribus, nostræ repetit, Fontesque frequentat
Inarimes: Hypocausta cavis seu condita cellis:
Candentem seu membra super patiatur Arenam;
Multa olli suberunt primò vigilanda, nocentes
Ne patiatur aquas, ne corpora lassa fatiscant
Thermarum in medio, scrobibus vel mersa subactis;
Omnia solertem quæ par expendere mentem.

Nam

(a) *Regiade.* Regiades, B. Joannes Franciscus de Regis, Soc. Jesu, quem CLEMENS XI. P. M. in Beatorum album retulit anno 1716.

(a) *Syn-*

Nam poſtquam effuſæ corpus commiſeris undæ:
Inſuetuſque pati, duro ingemuiſſe labori
Incipies: longaſque moras, & tædia ſegni
Ferre ſitu, & vapidos immotis artubus imbres;
Tum varii illudent caſus, varioſque per æſtus
Multa procelloſi ſubeunda pericula Stagni.
Ut ſæpe extremos tendens Mercator ad Indos
Puppe ſuper, diſtenta mari dum lintea ſolvit;
Crebra illum aut mediæ rapidis fatalia flammis,
Algentis vel crebra manent faſtidia zonæ:
Ut ſua quæſito potiantur carbaſa portu.
Vidi ego ſemineces nocuo ſudore madentes
Defeciſſe animo: languentiaque ora ſolutis
Viribus, inſtantem vitæ portendere finem.
Huic quicumque velit ſe ſubduxiſſe periclo
Providus, ut pennâ fugiens ſe præpete tenſis
Cauta plagis ſubducit avis, non ſegniter ille
Se gerat. ah quoties lento mora perdidit Ægros
Auxilio! affectas nam poſtquam morbida venas
Invaſitque lues, viruſque inimica reliquit,
Nil medicæ juvere manus; quin, protinus acti
Præcipites: cæco dum turgent membra veneno,
Inter cunctantes miserùm periere Miniſtros.
Formidanda igitur dubiæ ſi plurima ſortis
Prævertiſſe cupit diſcrimina, pervigil adſit,
Occurratque malo Chiron, ubi languida tractim
Membra calor quatit excreſcens, æſtuque fatigat,
Attacto nam penè vado perſæpe videbis
Languore Invalidos ſolvi: tum ſenſibus ultro
Deſtitui, penitùſque imis immergier undis,
Obſtiterit ni cura ſagax: fomenta parentur
Ni ſua, quæ veteres revocent in pectora vires.
Ergo repentini dederint ubi prævia morbi
Signa, vel indicio valeas deprendere: iniquis
Con-

Continuò Stagnis, & acerbo ſubtrahe fato:
Subtractoſque auris, & cœlo redde patenti.
Sic, ubi Syntexin [a] ſudor per hiantia fluxu
Membra nocens pariat, laxos conſperſa meatus
Frigida reſtinctis poterit tunc claudere guttis.
Ne tamen Eventis quæ ſint mandata fugandis
Pharmaca, per ſubitas renovent Eventa ruinas;
Humores ideò, nec notam induſtrius Ægri
Temperiem obſerva; & dirum ſi maſcula bilis
Exitium intendat, funeſtaque damna minetur;
Hoc age, & hoſtiles ſolertior arte furores
Frange; rebellantem veſco Cerealia fruſto
Sæpe olli ſtomachum mulcebunt dona; ſed acre,
Non dum maturis quod præbuit uva racemis,
Omphacium [b] ſapiant, ſapiantque imbuta rhoiten. [c]
Si verò in mediis arentia torqueat undis
Ora ſitis: quam jugis aquæ depellere rivo
Invalidis præcepta vetant ſervanda: coactis
Solvere Tantaleas ullo ſine crimine pœnas;
Te niſi tunc, qui Stagna ſubis, ſolabere potu,
Edomiti victor rediens, æſtuſque, tuique:
Quas mihi (difficili videar licèt aſpera juſſu
Præcipere) incolumi referes jam corpore grates!
At ne tam ſævis aſſueſcas legibus: uſtæ
Cum ſitiunt fauces, fauces tum collue aceto,
Diluerit quod lympha. alii ſed ſacchare zythum [d]
Spargere amant. ſtillatum alios prædulce juvabit
Sæpe Meliphyllon, [e] vel ſucco gratior Oxis [f]
Preſ-

(a) *Syntexin*. Vide *Not. lib. 5. pag. 240. lit. a.*

(b) *Omphacium*. Vide *Not. lib. 5. pag. 263. lit. b.*

(c) *Rhoiten*. Rhoites, ait Plin. l. 14. c. 36. Vinum ex malis punicis confectum: Ital. *Vino, ò Sugo di Melagrana*.

(d) *Zythum*. Zythum, Ital. *Acqua d'Orzo*.

(e) *Meliphyllon*. Meliphyllon, Ital. *Meliſſa*; & *Cedornella* etiam; Palladio enim *April. Tit. 8.* Meliphyllon Citrago dicitur.

(f) *Oxis*. Oxis, Ital. *Acetoſella*: ab Ὄξος Acetum.

(a) *Can-*

Pressa suo, aut contra subamaris intyba fibris.
Nec te gingivas inter solvisse pigebit
Candida Trinacrio [a] conditi sacchare libi
Fragmina, & a patriâ dicunt quæ pruna Damasco.
Egelidas adhibe, nullo prohibente, diotas;
Quas tamen eluto non fas haurire palato.
Arida languescunt sed cum præcordia: & intus
Hostis habet siccas, ut frugum uredo, medullas;
Tramite tunc diversa alio, ductuque terenda
Semita, ut obtectos hebetes feliciùs ignes.
Nec me pœniteat veterum vestigia Patrum
Attento legisse gradu: queîs copia semper
Decoctæ arrisit lymphæ, quam caule resecto
Buglossi radix, quam pubescentia præstent
Intubaque, & violæ, zythique ignobilis humor.
Sunt & qui Casiæ scriplis [b] restinguere senis
Ante sitim gaudent, epulis quàm rite paratis
Assideant. aliis sed tunc magis utile pulli
Jus fuit, attonsâ quod acescere fronde coëgit
Oxalis, [c] Ausonio Rumicem sermone vocarunt.
Nec nocitura putem parcæ post tempora cœnæ
Dulcia crusta, [d] quibus redolentum multa rosarum,
Multaque nectarei conjuncta est gratia roris;
Quæ, priùs accipiant quàm te tua stragula, labris
Insere, liquenti sensim tenuanda salivâ
Per noctem, placidum carpent dum membra soporem.
Tunc demum apposito quæsita levamine stabit
Utilitas: humor dum viscera permeat: & dum
Morbidus e venis paulatim avertitur æstus.

Nn At

(a) *Candida Trinacrio &c.* Nostrat. *Zucchero di Candia.*

(b) *Scriplis.* Scriplum, idem ac Scriptulum: de quo in *Not. p.287.lit.g.*

(c) *Oxalis.* Oxalis, Ital. *Acetosa*, ab Ὀξ@ Acetum.

(d) *Dulcia crusta &c.* Vulgò, *Perzetti di Zucchero rosato.*

(a) *Sub-*

At præcepta aliis cupias superaddita quando
Legibus, & medicas olim monstrata per artes;
Non ego difficiles consueta ad plectra Camœnas
Experiar: Thymbræque dabit nova carmina Rector.
Quare age, sensiferum torquent ubi talia guttur,
Nec libata placent; subacerbi Citrea pomi
Condimenta [a] tibi sapient: Zancleïa blandum
Mella quibus dederunt ab arundine pressa leporem.
Hæc eadem omphacio poterunt humentia fuso,
Præscriptis, Avicenna, [b] tuis juvisse; nec unquam
Acacia [c] insulsum siliquâ condiverit esum,
Indorumque procul veniens Tamarindus ab arvis.
Sic acrem in granis referentia mala saporem
Punica: Picenæ sitientem aut bacca Minervæ
Oxygari [d] composta cadis, mordensque levabit
Capparis, aut inulæ consperso halece natantes:
Mixtaque multigenas promunt quæ salgama [e] merces.
Parce tamen (sensu quamvis invitet edaci
Te gula) non tutas, summo tantùm ore terendas,
Consumpsisse dapes, acidæque embammata testæ.
Sat tibi dum lento madidam confeceris escam
Dente, regustandi non æquum fallere votum;
Dein avidis mansam, tractamque e faucibus ultro
Expue, ne positi jaciat nova semina morbi.
Nec nihil indocili mala pectoris hospita rictu
Nausea, vel tetros miscens Cephalalgia [f] fumos
Offi-

(a) *Subacerbi Citrea pomi Condimenta*: Ital. *Conserva di Cedro*.
(b) *Præscriptis, Avicenna &c.* Vulgò, *Siroppo d'Agresto, ò sia d'Avicenna*: ab Auctore, qui illud excogitavit.
(c) *Acacia*. Acacia, eadem ac Casia carthartica: teste Claudio Salmas. *Plinian. Exercit. in c.33. C. Julii Solini Polysthor., pag. mihi 383., Edition. Trajecti ad Rhenum*.
(d) *Oxygari*. Oxygarum condimenti genus, e garo, & aceto cōfectum.
(e) *Salgama*. Salgama, Ital. *Cose fatte coll'aceto*. Ita enim ab Antiquis dicebantur Conditanea quæcumque, quæ seu sicca, seu cum liquamine, in vasis asservabantur; ut sunt Pyra, Uvæ, Capparis, & cætera hujusmodi.
(f) *Cephalalgia*. Cephalalgia, Capitis dolor: ut *lib.4. pag.224. in Not. lit. a.*

(a) Cy-

Officiunt . si dura tuas succumbere vires
Fata oneri jubeant : vetitis tunc prodigus ausim
Exacuisse famem dapibus : ne longa reducant
Perniciem , vitæque ferant jejunia finem .
Æstivo qualis Libycum sub Sole viator
Carpit iter deserta petens : ubi languida torquet
Ora sitis , nullumque siti dant arva levamen ;
Si tamen aut vepres inter , limumve jacentem
Prodiderit se forte palus , quæ turbida cœno
Squaleat ; e pigris arenti fauce paludem
Hauriet ille vadis : ne fata extrema sequatur .
Obvia sic Æger quæ sunt , ea fercula sumat :
Ne cadat ante diem , vel spem sibi ponat in arcto .
Hinc , quos Punicei fuderunt acria mali
Semina , conveniet mensis , muriæque liquores
Addere : Mopsopio percocta Cydonia [a] melle ,
Et Citrus [a] Euboicis quæ poma ministrat ab oris.
Nec desint Melimela [b] , suis aut offula [c] gustum
Illecebris tentare potest quæ plurima , quæve
Ingeniosa novo placeant obsonia ritu .
Ast ubi nulla datur monstrum hoc domuisse potestas:
Tunc quos mentha imbres,& olentia cinnama,vel quos
Stillicidj lapsu resoluta absinthia rorant ,
Non semel epotos , drachmæ sed ponderis , optem .
Disce quod a parvis vulsum radicibus albet
Zingiber , [d] aut , malus præbet quos Medica [e] , flores
Ambrosiâ condire [f] , & parcis utere bolis

 An-

(a) *Cydonia &c.* Ital. *Conserva di Cotogni , Cotognato, e Conserva di Cedro* .

(b) *Melimela* . Poma quædam exigua , quæ a melleo sapore Græci Μελίμηλα vocant : Ital. *Pomi nani.*

(c) *Offula* . Quodvis Intriti genus arcendæ nauseæ idoneum .

(d) *Zingiber* . Zingiber , vel Zingiberi, ut alii legunt in Plin. *l.12. c.7.* Ital. *Zenzevero.*

(e) *Malus . . Medica* . Ita dicta est Citrus, quòd ut plurimùm in Mediâ viret ; ut etiam Assyria, & Persica, a regionibus , in quibus nascitur .

(f) *Flores ambrosiâ condire* . Vulgò , *In Conserva di fiori d'Aranci* .

(a) *Bo-*

Ante dapes ; lautæque habeas promulsidis instar.
Non ita cum turbant vomitu præcordia, cumque
Intestina lues rupto se se obijce prodit.
Præcipuè si te plenis haurire Machaon
Ænariæ Fontem pateris, & viscera mandet
Proluere ; externi sedenim qui corpora circùm
Funduntur Latices, & solâ aspergine tergunt,
Non adeò nocuere. sinu metuenda feraci
Hæc pestem si Lerna vomat, medicamine Lernam
Comprime, turbarum quod dira exordia velox
Frangat : & infestos, te vindice, claudat hiatus.
Ergo affixa imis sedanda rebellio venis
Tum subitò. in primis olli sint Pharmaca præsto,
Auxiliumque ferant, qui tabidus ore cruorem
Reijcit : & creber quem vexat anhelitus : aurâ
Nec finit oppresso spirantem pectore vesci.
Nunquam etenim vitæ cautus propiora capesset
Consilia, infracto Languens quàm robore si tunc
Abstineat labris, nec iniquæ indulgeat undæ ;
Ilia depulsis donec jam libera nimbis,
Pace iterum meliore, diu secura, fruantur.
Nec te cura sagax oculo inspexisse sequestro
Prætereat, vomitûs quo tandem reddita peccet
Materies humore nocens ; si bilis amarâ
Tabe fluit, cholerâve madet rejectus, adusti
Hepatis indicium faciet ; tunc hepatis ardor
Protinus algenti poterit lenirier haustu.
Non aliter, laxis quàm cum Vulcanus habenis
Tecta super volitat, celsasque immissus in ædes
Dat sonitum, flammisque furit ; bacchantia tantùm
Profuit effusis pressisse incendia lymphis.
Si verò absumptas, quamquam non plurima pransus
Fercula, visceribus vomat indignantibus escas ;
Styptica tunc adhibenda, quibus teterrimà robur

Per-

Perdat, & exilio tabes mulctanda recedat.
Quamquam alios etiam, cum sæpe perennibus impar
Succubuit medicina malis, plerumque latentem
Expuere, & tectam fibris expellere labem
Juverit: ut motûs vi demum educta remittat.
Ac velut in medio cum fluctuat æquore pinus
Pondere victa suo, ventorum & verbere nutat;
Tunc geminas inter furias Boreæque, Notique,
Nullus opem cum ferre queat, sibi consulet uni
Immodicum si jactet onus, mercesque profundo
Tradat, ut instantis redimat discrimina lethi.
Nec te pertæsum duræ fastidia sortis
Debilitent; tanti licèt emeris, auctior olim
Incolumem te vita manet; post nubila Titan
Emicat: & pacis succedunt otia bello.
Hoc quoque præmoneam, teque hoc magis omnibus (horter,
Si multùm pituita tenax intenditur; & si
Vexatum flavâ intumuit, multâque redundat
Bile jecur: dempto sic fomite flamma quiescet.
Ne tamen hoc, quod sæpe aliis conducere visum est,
Detrimenta aliis pariat majora: cavendum
Ne nimis, atque habitu plusquam patiaris iniquo
Corporis, ejectâ doleant ne viscera bile.
Tunc etenim bolis Hieræ [a] sordentior alvus
Deiicienda; juvat partes adstringere hiantes
Unguine, ventriculi laxas quod perlinat oras.
Nec vulgare putes incoctam adjungere lentem
Pulegio, menthamque thymo; nec laude carebit,
Qui valido hæc pariter fomenta resolvet aceto.
Quin, Cererem Baccho expediet quandoq; madentem
(Ut

(a) *Bolis Hiera &c.* Ital. *Pillole di Jera*. Medicamenti genus ab l'epo Sacer, cujus variæ apud Medicos species. De hoc Scrib. Larg. num. 98. ubi hujusmodi nomenclaturæ rationem affere.

(a) *Ægi-*

(Ut medicos olim Ægineta [a] aptavit in usus)
Spargere, ubi in venis perfrigidus affluat humor:
Atque habili enervem fovisse malagmate partem.
Conflagret at quando, nimiùmque exuberet æstus
Interior: velut igne liquor ferventis aheni;
Hyblææ tunc rubra rosæ cape germina, suavis
Et violæ superadde, volâ tibi dextera quantùm
Excipit: & Latiis absinthia carpe viretis,
Et citrini drachmam contunde putaminis unam;
Huc rosa paulatim folio stillata rubenti
Det fluxisse suos, Hydromelo [b] adjuncta, liquores;
Expleat at tantùm mihi pondus utrumque bilibram.
Hæc ubi miscueris, lentoque admoveris igni,
Concretoque diu densaveris imbre, placentæ
In morem extende; hanc stomacho applicuisse dolenti
Ni pigeat, motum poteris cohibere tumultum.
Addam multa meis documenta salubria chartis:
Dira ubi fumiferas Cephalea [c] exerceat iras:
Teque ruinosâ pronum vertigine passim
Circumagat; talem si membra affecta laborem,
Quòd conjuncta, ferant; eadem tunc unguine tractim
Perline Mastichino; tunc & tibi tristia summæ
Absinthj frondes, Aloëque ciboria reddant.
Ast ubi nativâ, primo quam traxit ab ortu,
Labe caput doleat, Stagnis absiste: nocebunt
Sulfureo latè liquefacta bitumina fumo.
Nec non, ex iisdem quando hæc incommoda lymphis
Eveniant, paucis itidem Balinea diebus
Intermissa velim; donec compressa vaporum

Se-

(a) *Ægineta &c.* Fomentum hoc Paulo Æginetæ celebri Medico adscribitur.

(b) *Hydromelo &c.* Hydromelon, Ital. *Sugo di Cotogni*: Ὑδρόμηλον, ut Dioscor. *lib. 5. c. 30.*; non verò Ὑδρόμελι, hoc est Aqua mulsa, melle scilicet mixta. Vide Lex. Med. V. *Hydromelon*.

(c) *Cephalea*. Ital. *Dolor di testa*. Consule *Not. lib. 4. pag. 199. lit. I.*

(a) *Cy-*

Seditio: nec damna paret; dein frictio dorsum
Discutiat, partesque luem divertat ad imas.
Tunc epulas etiam Myropolæ munere ditet
Sæpe Cydonites, [a] Coriandri & semina, [b] sacchar
Quæ linit: & mansum cyathos comitetur Anisum.
Et nucleos quandoque labris trivisse memento,
A balano [c] qui nomen habent; & ianthina [d] liba,
Et rhodina, [e] & quidquid medicæ consultius arti est
Addere: Palladioque caput perfundere olivo.
Seu quod amygdalinis expressum glandibus offert
Nux oleo, nuper si prælo emerserit; aptum
Hoc quoque laudarim (modò parcior usus) in aures
Ingerere, & capiti parte hâc prodesse labanti.
Chia [f] quoque ingratum lacrymâ Lentiscus amarâ
Tollet onus: denso gummi dum rore coactum
Exhibet; hoc postquam mihi dextra redegerit orbes
In tenues, qui bina æquent glomeramine lævi
Scriptula: [g] tum medio furatus lumina somno,
Æger item quinis post cœnam glutiat horis.
Hoc etiam meminisse juvet, ne fercula claudat
Potus: ad extremum sed tunc epidipnides [h] addam;
Crustatæ modicum Cereris, lapidosaque Corna, [i]
Mespilaque, [k] Tuberesque, [l] & Apyrina meliea [m] Sorbis
Eli-

(a) *Cydonites*. Cydonites, Ital. *Cotognato*.

(b) *Coriandri & semina &c.* Ital. *Confetti di Coriandri, e d'Anici*.

(c) *Et nucleos .. a balano &c.* Ital. *Mirabolani*, ejusque species, *Chebuli*, *Emblici &c.* fructus prunorum exoticus, sacchare illitus, vim purgandi habens.

(d) *Ianthina*. Liba e violis confecta: vulgò *Pezzetti di viole*: ab Ἴον Viola, & Ἄνθος Flos.

(e) *Rhodina*. Vulgò *Pezzetti di Zucchero rosato*.

(f) *Chia quoque &c.* Mastiche nimirum.

(g) *Scriptula*. Scriptula, aliis Scrupula, Scripla, & Scrypula: Ponderis species, vigesima quarta scilicet unciæ pars: Ital. *Uno scrupolo*. Consule Rhemnium Fannium *De Ponderibus*.

(h) *Epidipnides*. Epidipnides, a Δεῖπνον Cœna: Epulæ, quæ in extremo prandio, vel cœnâ afferuntur.

(i) *Corna*. Cornum, Ital. *Corniola*, fructus Corni arboris.

(k) *Mespilaque &c.* Mespilum, Ital. *Nespolo*.

(l) *Tuberes*. Tuber, Ital. *Lazzernola*.

(m) *Apyrina*. Apyrinum, Malum Punicum dulcissimum, carens nucleo: ab

Elige; ſed nunquam vires læſura ciborum
Luxuries oneret farragine corpus inerti. (bris
Denique ubi infirmis non hæc medicamina mem-
Profuerint: nec victa mali violentia ceſſit;
Prome Cucurbitulas; (a) ſtupâ, flammâque calentes
Innocuâ, actutum nudo ſuperinijce tergo;
Lumborumque tenus, qui ſævit in artubus, humorem
Exagita: vacuas ſic ille erumpet in auras.
Non ego (Phœbigenæ, natoque Coronide poſſim
Arte licèt præſtare Deo) percurrere cunctas
Morborum cauſſas, fatiſque eventa ſiniſtris;
Aut medicâ lenire manu, potuque ſalubri
Evaleam. poteris tu, diva Pronœa, querelas
Sola hominum miſerata; tui ſi numinis aurâ
Statque, caditque Salus, perituraque tempora lucis.
Tu Vati, quæ fata regis, Lethumque ſecuri
Exuis, & domitam furialibus Atropon armis:
Occultas age, pande vias, aditusque ſecundo
Da ſimul auſpicio faciles: ubi condita vitæ
Dona foves, noſtroſque latent impervia ſenſus;
Pæoniis tandem, Duce te, ſic eruta fundis
Mortaleſque vices, humanaque damna repellent.
Durior at miſeræ ſors ingruit altera genti,
Cui nunquam auxilii ſatis eſt; nam ſæpe videmus
Invalidum thalamis inſomnem ducere noctem,
Et lucem inſomnem; tunc cum fervente cerebrum
Aruit exſuccum Stagno; cum plurima mentem
Concutiunt: vigileſque acuunt inſomnia curas:
Et feſtinatâ Mortis ſub imagine turbant.
Contra autem invitos, ſomno, ſtratiſque ſepultos,
In

ab α privativâ, & Πυρὴν Nucleus.

(a) *Prome Cucurbitulas &c.* Cucurbitulæ, notiſſimum inſtrumenti genus, quo utuntur Chirurgi ad noxios humores ab affecto corpore extrahendos: Ital. *Coppette*, *Cornetti*: Cucurbitulæ quidem, quòd primò e cucurbitis fiebant. Conſule Celſum. *l.* 2. *c.* 11.

(a) *Stel-*

In medium dormire diem, longùmque supinos
Stertere, & ignavo cernes dare membra sopori.
Dirus uterque labor; celerique extinguere nisu
Serpentem, & latè bacchantem avertere labem
Conveniet, ne sera pigrum solertia fallat;
Fontibus idcirco, Thermisque parumper abesto.
Hæc te prima decent tentamina. si tamen acri
Mente sapis, torpens, quæso, ne forte propines
Aut Opium Baccho immixtum, Stellæve Trochiscos: [a]
Et globulos violenta cave Cynoglossa [b] ministret;
Hæc etenim nocuisse suo sat novimus usu.
Quàm bene tu refugam sedato pectore noctem
Accipies, repetita pares ubi mitia plantis
Balnea: vel tepido potiùs mergare lavacro!
Blanda salutares olei Nymphæa [c] liquores
Exstillans det habere suos: quibus utraque possis
Temporaque, & frontem, & geminas contingere nares.
His accedet, opem nec segniùs afferet unguen,
Quod pressum e gemmis, quas Populus alta profundit,
Populeon [d] matris dixere a nomine gentes.
Somniferas dein sæpe dapes apponere mensis
Præstiterit; lactuca frequens, & sessilis adsit
Portulaca, [e] solo quæ vix se frondibus effert:
Albaque languenti demessa papavera collo.
Semina quorum etiam tu jure soluta, Sicano

Oo Quæ

(a) *Stellave Trochiscos.* Ital. etiam *Trocischi detti di Stella*: a Τροχίσκος veluti parva rota. Hinc compositiones omnes medicæ, quæ formam parvæ rotæ exhibent, Trochisci dicuntur; Latini Pastillos vocant, teste Celso *l.5. c.17.*

(b) *Cynoglossa*. Cynoglossa, Ital. etiam *Cinoglossa*: a Κύων Canis, & Γλῶσσα Lingua. Herba enim hæc caninæ linguæ non absimilis. Vide Plin. *l.25. c.8.*

(c) *Olei Nymphæa &c.* Vulgò, *Olio di Ninfea*, ò *Nenufar*: alii *Nilufar*, seu *Nilnufar*: vox Arabum, ait Cl. Salmas. *De Homonym. Hyles Jatricæ, c.94.*: hoc est Nili-Nymphæa; Herba satis notæ virtutis.

(d) *Populeon &c.* Populeon, Ital. etiam *Unguento Populeon*: Pharmacopolis, imò Rusticis ipsis notissimum. Vide Lex. Med. V. *Populeon.*

(e) *Portulaca*. Portulaca, Ital. *Porcellana.*

(a) *Me-*

Quæ pluit e calamo, [a] mellitâ insperge pruinâ.
Sed mihi qui se se pronâ dabit aure docendum,
Simplicibus vesci non hic fastidiat herbis:
Dulcia ubi omniparens medicamina pinxit: [a] & artes
Occuluit Natura suas; jucundaque visu
Auxilia illecebris immiscuit. altiùs imâ
Illa caput de stirpe ferens, in plebe superbit
Gramineâ: plenoque nitet ditissima censu.
Nusquam tota magis, nusquam magis illa refulsit
Quàm minimis: [b] viles inter spectanda myricas,
Dejectumque Apium, atque Hyssopi ignobile culmen.
Ergo soporiferas pubenti germine frondes
Carpe manu facili, lectoque e cespite flores;
Quidquid &, amotos quærens accersere somnos,
Educat excultis solers Agapetus [c] in Hortis;
Quos alio illustres plectro melioribus ausis
Parthenope in magnâ nuper coluere Camœnæ.
Quamquam o, [d] quid memori rursus mea vulnera telo
Non obducta novus refricat dolor? ipsa levandis
Queîs modò, dum sævo perimunt præcordia luctu,
Haud satis herbarum Botane [e] collegit ab arvis
Eulalias; [f] gemini quamquam nemora avia Mundi
Lu-

(a) *Medicamina pinxit &c.* Ita ex Plin. *l.22. c.6.*, ubi ait, *Naturam invisis herbis medicamina inseruisse*. Et paulò post: *Pinxerat*, inquit, *& remedia in floribus; visuque ipso animos invitaverat, etiam deliciis auxilia permiscens.*

(b) *Quàm minimis &c.* Allusum etiam ad illud ejusdem Auctoris *l.11. c.2.*, qui Naturæ subtilitatem in Insectis demiratus, illam nusquam magis quàm in minimis totam esse, affirmavit.

(c) *Agapetus.* Agapetus (ab Ἀγαπάω Amo) Dominicus de Amaro Soc. Jesu peritissimus ætatis suæ in Collegio Neapolitano Pharmacopola: qui in Suburbano Rure Capimontano (vulgò *Capo di Monte*) Botanicos Hortos omni Herbarum medicarum genere refertos instauravit. Quos quidem elegantissimè descripsit in Tertio Botanicorum libro P. Franciscus Savastanus, ejusdem Societ., omnigenæ literaturæ laude florentissimus.

(d) *Quamquam o &c.* Quòd præcoci fato mortem objerit, vix in lucem edito Botanicorum Libro.

(e) *Botane*. Rei Herbariæ Istitutiones, (de quibus in *Not. l.4. p.175. lit. b.*) sub Botanes veluti Nymphæ nomine, a Βοτάνη Herba, poeticè exprimuntur.

(f) *Eulalias.* Eulalias, ab Aucto-
ris

Lustrarit studio relegens ; rimata repostas
Omnigenæ Telluris opes, quà Lucifer ortum
Ducit, & Hesperii quà Sol subit æquora Ponti.
Nam quid ego extincto viduam, tristemque parente
Te loquar, herbifero Botane dilecta Poëtæ?
Alter Apollineam [a] qui Pindo restituit rem,
Phœbeas reparans Phœbeis artibus artes.
Felix forte tuâ, Vatum clarissime, felix
Ingenio, fidibusque; novæ tamen invida laudis
Te rapuit Fortuna mihi : ne sera videres
Lustra; neque Aonias iterum veherere per oras [b]
Pergameâ [c] insignis trabeâ, plectroque sonanti,
Plantarum, Fruticumque, omnisque a semine Stirpis
Dicturus medicas operoso carmine vires.
At neque te versæ juvere in pharmaca fruges
Pæoniæ, aut tantis quæsitæ in vallibus herbæ.
Occidis heu! dextramque lyræ, laurique cadentes
Destituere comas. per te celebrata Lycei [d]
Aula gemit : resonatque tuo non Exedra plausu.
Sed propero quamquam fato concesseris, omnem
Haud patitur fato virtus cessisse; superstes
Parte tui meliore, tuum post funera nomen
Vivet adhuc; tumuloque satus ceu sospite Phœnix,
Nesciet occiduæ metamque, situmque senectæ.
Quidquid enim præcox ævi decerpsit avarâ
Parca manu, grandi major tibi fœnore reddet

ris nomine; Eulalium enim meritò illum (ab ἐυ bene, & Λαλέω loquor) bene loquendi arte peritissimum, ac Rhetorices Professorem, pluries in Surrentinis Æstatibus, & Naumachic. lib. 2. appellavit P. Giannettasius.

(a) *Apollineam*. Medicam nempe, ab Apolline Medicinæ Inventore.

(b) *Neque Aonias iterum &c.* Alterum enim Opus metro etiam alligatum meditabatur Auctor, *De Plantarum Virtutibus*.

(c) *Pergameâ &c.* Galeni nimirum, cujus Patria Pergamus.

(d) *Per te celebrata Lycei &c.* Theologiam quippe in Collegio Neapolitano docebat tunc, cum intempestivo fato præreptus est.

(a) Te

Gloria : subductis tunc cum vivacius annis
Secula vincet opus, contractaque damna rependet.
Tu quoque Chalcidicos non ultimus inter Olores
Ibis ovans ; nec pigra terent oblivia Famam.
At cineri interea Musæ dum debita solvunt
Justa tuo : memoris non aversatus Alumni
Obsequium, æthereo rutiles ubi clarus in ostro,
Excipe nunc veteris testemque, & pignus amoris.
Te Duce Castaliis [a] quondam vestigia sylvis
Intulimus si prima : novo si laurea flexu
Ornatura comas mihi te Cultore virescit;
O age, devoti tandem cape munera plectri:
Dum desponsa tuo resonant mihi nomine; fungar
Hoc saltem officio : & Vatem majora merentem
Juverit, imparibus quamquam, cecinisse Camœnis.
At quò nam veterum me grato errore viarum
Deceptum nunc traxit amor ? quò cura recessit
Invalidûm, nocuo quos jam torpore gravatos
Insidiosa quies, & lecti pluma fefellit ?
Non hæc te residem proprio velit esse periclo,
Quisquis es ; infido nimiùm ne crede cubili.
Excute, si quis amor, fallaces excute somnos,
Quos vapor e penitis Terræ penetralibus, & quos
Fumiferis pariunt graveolentia Balnea nimbis.
Sed mihi, dum cunctos morborum avertere casus
Conor, in immensum crescet labor : aspera quando
Et leges Eventa novas, præceptaque poscunt.
Crederet hoc quisquam ? credat tamen : otia mollis
Et vitæ fugienda Ægris, vitandaque Siren
Desidia : assiduis agitent hinc motibus artus,
Torporemque levent : segni cum membra veterno
Penè rigent, tædetque gradum conferre. Frequentes
Fle-

(a) *Te Duce &c.* Auctor enim ad Poëticam ab Ipso informatus fuit.

(a) Pen-

Flexanimæ ad numerum citharæ, calamive licebit
Instituisse choros; & apricos sæpe per agros
Ferre pedem, & pelagi sub noctem tendere ad oras.
At fuge quas nocuus latè vitiaverit aër
Halitibus: longè cœno loca fœta palustri,
Quæque gravem exhalant tetro pædore mephitim.
Nec turpi patiere situ languescere corpus,
Dum caput effusâ, tardique gravedine sensus
Obstupuere: hebetique tenax dum glutine lentor
Crevit, & immotis hærent vestigia plantis.
Tunc age, lentorem Ponti virosa nocentem
Castorea [a] excutiant; non aspernabere rutæ
Germina, quæ cultis passim frondentia testis
Sopitas victâ solvent torpedine mentes.
Humida dein mensas onerent haud fercula, sed quæ
Nubiferos abigant, sedentque impune vapores.
Contemplator item Spasmo [b] contracta tenaci
Cum riget in mediis quæ tibia mergitur undis.
Tum fricuisse manu, rigidosque extendere nervos
Edoceam; & lauri, aut costi sparsisse liquenti
Membra oleo, seu ruta dabit quod plurima, quodque
Itala nardus amat, vel pressa myristica [c] prælo
Spargere nux, plenisque ferunt quod balsama conchis:
Testibus & Fibri (si vera est Fama [d]) revulsis.
Nec stillati [e] oberit, foveat si crura, Lyæi,
Qui tibi guttatim bis fluxerit humor ab igni.
Sed satis expertæ fractis ubi viribus Ægri
Haud

(a) *Ponti... Castorea &c.* Medicamentum, quod ex Fibri (Ital. *Castoro*) testibus conficitur.

(b) *Spasmo &c.* Spasmus brevis: Ital. *Il Granchio*.

(c) *Myristica &c.* Nux myristica. Ital. *Noce moscata*.

(d) *Si vera est Fama &c.* Non absre: licèt enim Plin. *l.* 8. *c.* 30. dixerit Fibrum sibi periculo urgente testes amputare: lib. tamen 32. *c.* 3. refellit hunc Vulgi errorem, ex Sextio medicinæ diligentissimo.

(e) *Nec stillati &c.* Ital. *Acqua arzente, ò sia Acqua vite ripassata.*

(a) *Ta-*

Haud opis allatum est ; nocui sine cætera Stagni
Mæoniis aperire modis ; simul hæc animo hauri.
Cum fera conclusam validè constrinxerit alvum
Durities : sordesque diu , strigmentaque ventris
Inconcessi aditus , atque invia claustra morentur ;
Alternis moneo tunc te clystere diebus
Occlusas aperire vias : obsessaque tandem
Purgamenta foras facili traxisse meatu.
Obstructæ at citiùs sordentia limina sedis
Pandet agens zytho si Malva incocta recenti
Imbuerit postica suo medicamina succo.
Talibus ipse etiam felicior usibus aptos
Castilion, [a] & Nympha dabit Furnellis, [a] & imbres
Elicient Fontana suos quoque Balnea, [a] quique
Non uno Parvus prodit se Gurges [a] hiatu.
His ubi difficilem se se medicatibus Æger
Præbeat : ex imâ tunc parte cathartica [b] clausas
Glans ingesta fores , infernaque corporis intret
Ostia ; sic alvum poteris mollire coactam :
Duraque diffracto laxare repagula vinclo.
Nec modò te reliquas jejuno carmine Musæ
Nescivisse sinent artes , quibus eruta pestis
Lethiferas secum consumpto e corpore fæces
Extrahet , ut vitio sentina ejecta levetur.
Quocirca , internos tempestas concita fluctus
Si movet , exhaustâ si non dum sorde resedit ;
Tunc positas inter mensas haurire necesse est
Jus tibi , non gratis tritum quod condiit herbis
Parthenium, [c] Malvæque leves , humilisque videri

An-

(a) *Castillon &c.* Enumerantur quatuor Balneorum Aquæ utiles alvo emolliendæ , nempe *Di Castiglione*, *Di Fornello*, *Di Fontana* , *e Gurgetello*.

(b) *Cathartica clausas glans &c.* Ital. *La Supposta* . Pro voce Catharticâ , Vide *Not. lib. 5. pag. 227. lit. b.*

(c) *Parthenium* . Parthenium , Ital. *Mercorella*: Aliis Mercurialis herba , Linozostis, & Hermupoa : ab Ἑρμοῦ πόαν , ideft Mercurii Herba , cujus Inventum fuit: ita Plin. *l. 25. c. 5.*

(a) *An-*

Andrachneque, [a] & Beta [b] oleo decocta; comisque
Hispida, & incultos serpens urtica per agros.
Quàm vereor ne dura isthæc, pejora ferendo
Experiare! malisque velis torquerier ante,
Quàm mala tam tristi vel sæva expellere potu!
At patiens ne cede animis: namque his quoque finem
Pruna ferent peregrina; [c] suos unde olla sapores
Exprimat, ut lymphis resoluta liquaverit ignis.
Ingere dein cyathis, & prolue labra, priusquàm
Excipiant sero te parca Triclinia victu.
Blandiùs ast eadem vellent properata palatum,
Dum super ingesto placeat rorantia Baccho
Incoquere, insperso liniat dum polline sacchar.
Ut tamen utiliùs tergant tibi guttura, cœnam
Anteveni: vacuis nec spes erit irrita votis.
Carica [d] quin etiam, terno cui semine Cnicos [e]
Virtutem intendat, ventris fastidia vincet,
Dum tumidum subducet onus, corpusque resolvet.
Sæpe tamen calido, siccoque humore redundant
Intestina; quibus non tu leniminis usquam
Tutius invenies quidquam, quàm sæpius unguen
Fundere quà partes venter descendit in imas;
Illud Cecropriæ dederit seu Palladis arbor,
Seu Thymelæa, [f] graves hyemis quæ pertulit auras,
Flore virens reduci media inter frigora Jani.
Nec sum animi dubius morbis plerumque futurum
Auxi-

(a) *Andrachneque.* Andrachne Plin. *l.13. c.20.* eadem ac Portulaca: de quâ In *Not. pag.289. lit.e.*

(b) *Beta.* Beta, Ital. *Bietola.*

(c) *Pruna ferent &c.* Ita Martial. *l.13.* explicat Pruna Damascena.

(d) *Carica.* Carica, Ital. *Fichi secchi.*

(e) *Cnicos.* Cnicos, seu Cnecos, Ital. *Cardo benedetto*, ò *Zafferano Saracinesco.* Vide Plin. *l.21. c.15.*, & *32.*, Dioscorid. *l.4. c.182.*. Ruell. *l.3. c.55.*, Crocum hortensem, & Carthamum alii appellant: a Καθαρίζω: cum vim maximam habeat purgandi. Ita Pitton *Institut. Rei Herbar. Class. 12. Sec. 3.*

(f) *Thymelaa.* Thymelæa, Ital. etiam *Timelea*: quæ mense Januario viret, & floret. Alii Chamelæam, Pyrosachnen, Cnestron, & Cneoron vocant apud Plin. *l.13. c.19.*

(a) *Sub*

Auxilio, si fusa liquem latera utraque circùm,
Et renes unguenta super, quæ condita cellis
Butyri tibi testa diu servaverit: aut quæ
Artificis clarant sub Agrippæ nomine [a] Famam.
Adde salutiferis Mesues [b] quæ miscuit herbis,
Purpureis distincta notis ubi lecta potentes
Fundit opes, campo emergens Cyclaminus [c] aperto.
Nec lateant, deprompta suo quæ germine signat
Althæa, [d] e Stagnis pelagi carpenda Britanni.
Quam tibi, [e] dum Tamesis remeabit ad ostia victor,
Laurigeras inter puppes, partosque triumphos,
Mittet ovans, juncti munus sociale Gradivi, [f]
Binghiades; postquam devictâ classe subactus
Ortygium juxta litus, rupesque Pachini
Cessit Iber, refugoque dedit sua lintea Cauro.
Quid subdam ut Casia [g] in bolos dissecta juvabit,
Aut Aloë [h], liquido Sacchar quam flore rosarum
Diluit inspergens? alternis sæpe solemus
Uti ier his. lapidosa Chios præbebit amaro
Resinæ fluidas Lentisci [i] e cortice guttas.

No-

(a) *Sub Agrippæ nomine. &c.* Vulgò, *Unguento d' Agrippa*. Ab Inventore Agrippâ Judæorum Rege: vel, ut alii, ex illustri Agripparum Romanorum familiâ, Medicæ Artis peritissimo.

(b) *Adde salutiferis Mesues &c.* Vulgò, *Unguento di Mesue*: ab ipso etiam Auctore nuncupatum; a Mesue scilicet aut Damasci Rege, aut certè e Regiâ Stirpe. Vide Tiraquell. *De Nobilit. c.31.*

(c) *Cyclaminus.* Cyclaminus. Ital. *Ciclamino, ò sia Pan di Porco.* Inter cætera quippe, quæ Unguentum Mesuæ componunt, est Cyclaminus.

(d) *Althæa.* Althæa, Ital. etiam *Altea, ò Bismalva*: a quâ Unguentum. Althæam in paludibus maritimis Angliæ nasci, testatur Raius *lib.12.cap.8. Histor. Plantar.*; meminit etiam Plin. *l. 20. c. 21.*

(e) *Quam tibi, dum &c.* Arreptâ ansâ digreditur Auctor ad Victoriam, quam Georgius Binghius Angliæ Classis Archithalassus ab Hispaniarum Classe retulit anno 1718. prope Syracusas, & juxta Promontorium Pachini, vulgò *Capo Passaro.*

(f) *Juncti munus &c.* Ex inito armorum fœdere inter Invictis. Cæsarem CAROLUM VI., & Angliæ Regem.

(g) *Quid subdam ut Casia &c.* Ital. *Pillole di Cassia.*

(h) *Aut Aloë &c.* Ital. *Pillole d' Aloe lavato con zucchero rosato.*

(i) *Resinæ fluidas Lentisci &c.* Ital. *La Mastice.*

(a) *Flo-*

Nota quoque orbiculis inerit, laudataque ſemper
Utilitas, proprio quos vulgi nomine dicunt
A tribus; adſtrictamque trahent feliciùs alvum.
Te quoque libatis oblectet floribus Arbor [a]
Perſica, ubi incoctos vertere in pharmaca prunæ;
Quos matutino dum primùm fulget Eoo
Lucifer, & reduci Solis præit axe jugales,
Accelera expreſſis ſumpſiſſe liquoribus; at ne
Hi tibi, ne ſuperent narthecia [b] pota trientem. [c]
Nec tu factitium [d] renuas ut inutile ſacchar,
Tergendi validas cui præbeat addita vires
Bugloſſus, Violæque. Apiaſtri [e] & proderit humor,
Pharmacopola vitro clauſum dum ſolvit in imbres.
Talibus at quando tu non profeceris hilum:
Fortunis tunc una tuis erit ara: tepenti
Nempe iligna oleo ſteterint ſi labra; vel undis
Apta ſuperfuſis meliore Hydrelæa parabis
Conſilio; inſtantis tutela hæc ultima casûs.
Quas tamen inſtituam revocato examine leges,
Cum diſtenta graves inflant præcordia Venti?
Quæque feram anguſtis ſperata levamina rebus?
Haud etenim Inarimes tam durum balnea rarò
Diſcrimen peperere: feri quod turbinis inſtar
Perculit Invalidos, ac penè oppreſſit inermes.
Hos ego (dum Meſuæ ſequor obſervata Magiſtro
Dogmata) præcalidam Campani [f] humore trapeti,
Et Cererem aërii madefactam aſpergine mellis,

(a) *Floribus Arbor Perſica &c.* Ital. *Siroppo di fior di Perſico.*

(b) *Narthecia.* Narthecium, Vas medicamentorum: ita dictum, quòd Narthecis, ideſt Ferulæ lignum ad medicamenta aſſervanda aptiſſimum ſit.

(c) *Trientem.* Triens, Ital. *Il peſo di quattro onze.*

(d) *Nec tu factitium &c.* Ital. *Zucchero Boraginato, o Violato.*

(e) *Apiaſtri & proderit humor.* Ital. *Acqua di Meliſſa.*

(f) *Præcalidam Campani &c.* Cataplaſma ſcilicet a Meſue excogitatum, a quo & nomen habet: vulgò *Impiaſtro di Meſue.*

(a) *Per-*

Imposuisse velim parti: cui sæpe repertum
Dulce laboranti, blandumque malagma: tumentes
Sæpe quod in fibras iter intercluserit hosti.
Par oleo virtus, oleo fragrantia nardi
Germina, vel parvo lectum quod semine anisum,
Mastichinusque liquor, mittuntq; absinthia; vel quod
Pergameo placuisse Seni [a] diuturnior ad nos
Fama refert, & Ruta suo dat frondea thyrso.
Hos etiam incursus, hæc tela inimica retundet
Gallia [b], quæ Moschum redolet: tenuisque rubescens
Membranæ in speciem, Priscis non cognita Macis. [c]
Et laudem fortasse parem virtute meretur
Trita Galanga [d] pari; nisi forte binominis, una
Atque eadem frutices inter dicenda Cyperon.
Nec minùs arrident, promunt quos Cinnama, quosq;
Caryophyllon amat succos inspergere prælis; (que
Inventis modò clara suis Ars Chymica pressos
Extrahat, educens resoluto e corpore florem. (vi,
Quâ nunc deinde aliam morborum infringere vim
Excitumque æstu nimiùm, nimiùmque fluentem
Sudorem evaleas facili restinguere dextrâ
Præcipiam: ne membra super dum proflua multus
Labitur, enervi corpus languore fatiscat.
Humentem tum quippe cutem deterge; remotis
Balnea tunc inhibe lymphis: & pallia lectis
Detrahe; diductas Zephyro permitte fenestras;
Namque frequens hinc inde leves dum commovet alas
Aura, fatiscentes relevat sudoribus artus.

Sunt

(a) *Pergameo placuisse Seni &c.* Galeno nimirum, qui Pergami natus est.

(b) *Gallia, quæ Moschum &c.* Ital. etiam *Gallia moscata*.

(c) *Macis*. Macis, Ital. quoque *Macis*, ò *Mace*: Myristicæ nucis cortex. Vide Bauhin. *Theat. Botan. l.11. Sec.3.*

(d) *Trita Galanga*. Galanga, Ital. pariter *Galanga*: vel, ut alii malunt, *Galgano*. Confunditur quandoque ab aliquibus cum Cypero. Ita Salmas. *De Homonym. Hyles Jatricæ c.* 118. & Bauhin. *l.1. Sec.6.*

(a) *Rho-*

Sunt qui sæpe cibis uti adstringentibus, & qui
Injecto cohibere poros ceromate malunt.
Utque omnem amoveant caussam, penitùsque revel-
Parciùs æstiferis alternant balnea lymphis. (lant,
Verùm, ubi vel renes calidi inclementia Stagni,
Vel jecur inflammat: calefactaque tergora squalent
Ventriculi: serpensque furit per viscera febris;
Tunc equidem tanto pressum te pondere nolim
Indulgere vadis, morbique extendere vires.
At zythi, excoctis se se cui frondibus addent
Intyba, subtristes summo libasse liquores
Mane decet, primique ortum prævertere Solis.
Tunc & Achæmeniis Unguenta salubria terris
Depropera: Rhodini [a] seu quæ cognomine gaudent;
Qualia Pæstanæ poterunt misisse Napææ,
Dum medicos didicere rosam convertere in usus.
Et Veneri [b] dilecta suas mihi Myrtea donet
Sylva comas, quibus aucta dabunt Myrothecia merces.
Sive humiles inter valles, Fontesque perennes
Tondendæ assurgant Violæ, quibus effluat unguen,
Unguen, odoratis & ianthina munera guttis.
Interni sic flamma nocens restinguitur ignis.
Qui modò ni domitus tandem desæviat, ultro
Insequitor: dextri venam proscinde lacerti
Ociùs, & fuso mergatur sanguine pestis;
Vulneraque optatam pariant inflicta salutem.
Non adhibenda minor tibi tunc solertia, quando
Frigida [c] te vigiles revocent ad Balnea curæ,
Victurum nocuos inimico rore calores.
Hos ubi bacchantes, & non impune furentes
Frangere lympharum cupiat qui frigore, friget

 Plus

(a) *Rhodini &c.* Unguentum Rhodinum, ut alibi, *Unguento rosato.*
(b) *Et Veneri &c.* Cætera Unguentorum genera, Myrtea, & Violarũ.
(c) *Frigida te &c.* Vulgò *Bagni d'Acqua fresca.*

(a) *Fe-*

Plus satis ah : iugique tremens horrore rigescit.
Tunc erit ut calidam nux unguentaria Macim
Præbeat; Omphacio Foliata [a] madentia fundes.
Tunc & Amaracinum stomacho, Stactenque, Crocumq;
Ingere Vestinum, Cerataque condita gummi,
Quod Lentisciferis Pityusa [b] exsudat in agris.
Sic, ubi munierit; tuco velut aggere, corpus,
Non Cœlum inclemens olli, frigusve nocebit.
Hactenus Ægrorum media inter Balnea turbam
Calliope Regina choro sectata Sororum est.
At postquam, exactis lympharum munere morbis,
Fausta salutarem tranquilla per alta regressum
Puppibus aura dedit; metamque impune malorum
Incolumes tenuere rates; solvendaque Divis
Vota; soluturas iterum nos, Phœbe, sequamur;
Et patriâ reduces tecum sistamus in Actâ.
Hanc etiam placido partem tutabere vultu
Pieridum, REX ALME, decus; propensaque Vati
Inclinet regale, precor, Clementia culmen
Huc iterum; mea cœpta tuis hæc omnia quando
Auspiciis sunt plena, tuo quoque certet honori
Ultima postremo surgit quæ pagina versu.
Illum ego, qui Stagnis tandem felicibus usus
Jam valet; & vivax Pylios concessa per annos
Ducere felicis meditatur tempora vitæ;
Illum non celeri optatos remeare penates
Remige, nec subitis impellere lintea ventis
Horter, & Ænariæ lætis discedere terris.
Namque juvat gratâ Cœli tractabilis aurâ,
Cui nullæ immineant pluviali sidere nubes,
Posse frui: partæque iterum indulgere quieti.
Ergo te nemorum gelidis in vallibus umbræ

Vi-

(a) *Foliata.* Vide *Not. p. 93. lit. b.* (b) *Pityusa.* Chios: ex Plin. *l. 5. c. 31.*

(a) *Lin-*

Vitiferas inter frondes, ulmosque maritas
Curarum expertem, captantemque otia colles
Accipiant: tractuque hilares solentur aprico.
Invitant nitidis passim Fontesque, Lacusque
Marginibus, plenisque tumens vindemia ramis.
Ipsi te fluctus, ipsa hæc te litora molli
Expectant vicina sinu; pudibunda recursu
Tethys ubi alterno tractim feret oscula plantis.
Te quoque finitimâ jubeam regione vagantem
Dura calorificæ mulcere incommoda lymphæ.
Sic bene, qui Stagnis verno tua corpora merges
Tempore, dum Cœlo rediens patiatur amico
Tempestas: nocuos cum non experta calores,
Ridet adhuc sospes: Linterni [a] accedere litus
Puppe potes, clarum exilio, tumuloque superbum
Scipiadæ; victis qui postquam nomen ab Afris,
Æternam & domitâ meruit Carthagine famam;
Hìc tandem, ingratæ fugiens odia aspera Romæ,
Hìc lauros, palmasque, hìc non inglorius exul
Occuluit partos diverso ex hoste triumphos.
Victricesque manus olim non ille colendis
Erubuit præstare arvis; trabeâque solutus
Duxit, Agenoridas ut duxerat ante, juvencos
Sub juga: Laurigero terrâ gaudente Colono.
Hæc repetens, fallax ut deflorata senescat
Gloria, par umbris, volucrique simillima fumo,
Disce; nec humanæ rapiant fastigia sortis.
At majora feres rerum documenta ruentum,

Na-

(a) *Linterni &c.* Linternum, Ital. *Torre di Patria*: Urbs litoralis inter Cumas, & Vulturni ostia, Romanorum olim Colonia; ubi P. Scipio Africanus Major, Româ ob civium invidiam in exilium ejectus, obiit; ibique sepultus, hâc Epigraphe (quam sic citatam invenio) ejus Tumulo appositâ:

Ingrata Patria ne quidem ossa mea habes.

Qui plura de Scipionis Villâ Linterni, de ejus Balneis, rusticisque laboribus scire velit, consulat Senec. *Epist.* 86.

(a) *Te-*

Nascentem ad Solem rapidis ubi cymbula remis
Cumarum te sistat aquis: quà mitius æquor
Præjacet, & molli faciles pede calcat arenas.
Nec verò, eversas inter licèt obruta moles,
Deliciis caret ora suis. lætabere mecum
Tecta Pherecyadûm,[a] portusque intrasse propinquos.
Hìc, ubi Chalcidicæ natali ab origine gentes
Mœnia regali posuere nitentia luxu.
Nunc quoque desertosque locos, disiectaque ab imo
Limina, quæ claris Atavûm patuere trophæis:
Totque ruinosis sordentia Templa sepulcris
Perlegisse oculis, populorum insignia quondam
Et decora, & sedes, vel saltem ex parte, licebit.
Collibus in mediis[b] Arces, quibus altus Apollo
Præfuit, arcanis retegens oracula signis,
Navita defixo poterit contingere clavo;
Et centum lustrare aditus, atque ostia centum,
Quà totidem pulso resonabant æthere voces;
Antraque fatidicæ vel nunc horrenda Sybillæ:
Et Tripodas, Thymbræe, tuos: inscriptaque latè
Dædaleæ monumenta fugæ; quæ carice passim
Sparsa latent, dumisque rigens horrentibus abdit
Carduus, & sentes inter paliurus acutis.
Non tamen, affertæ vigeant nisi corpore vires,
Hæc subeunda tuo fuerint penetralia gressu;
Spiritus, e penitis per subterranea cellis
Qui movet, humifero explorans pædore meatus,
Membra iterum in tabem, non dum solidata, resolvet.
Sic interposito gnavi quæ glutine fabri
Innexæ coiere trabes per mutua; si tum

Hu-

(a) *Tecta Pherecyadûm*. Cumæ nimirum, quas a Pherecyde Cumæorum Duce conditas arbitratur Silius lib.12. -- *Regressus ad altos Inde Pherecyadûm muros.* -- Vide Capac. *l*. 2. *c*.20

(b) *Collibus in mediis &c*. Patent hæc omnia ex lib. 6. Æneid.

(a) *Tar-*

Humida continuò patiantur ſidera Cœli:
Continuò effractis ſolventur robora vinclis.
Tende aliò; nec longa viæ tibi tædia: perges
Hàc prope, quà paſtas ſaliunt impune per herbas,
Inſultantque ſolo pecudes. hìc eruta glebis
Oſſa indiſcreto ſuberunt ſi lurida buſto,
Et plantis calcanda tuis dabit obvia tellus;
Forſitan hæc, tumulo non agnoſcenda, Superbi
Exulis hìc quondam, Latio cogente Senatu,
Tarquinii [a] Sors æqua uno confudit acervo
Pulveris, & fruticum plebejo immiſcuit arvo.
Nec formidatus, [b] populiſque, avibuſque ſiniſter
Terreat ut quondam ſolo vel nomine Averni
Te Lacus; expulsâ ſedenim contage ſalubres
Præbet aquas: mitique ſuas beat aëre ripas.
Sic diverſa vices alternant fata: nocebunt,
Quæ juvere olim: dum, quæ nocuere, juvabunt.
Ut mare, turbatis quod nunc iraſcitur, & nunc
Compoſitis iterum, placidiſque inſternitur undis.
Hanc ego te fauſtis revocabo expertus ad oram
Alitibus, ſi cura premat mordacior; uno
Æquoris obtutu diſcedet cura; graveſque
Hìc animi tandem poteris compeſcere motus.
Et licèt Inarimes inviderit Unda ſoporem:
Hìc faciles repetes ſedato pectore ſomnos.
Inde, ubi vicinos libeat tibi viſere campos,
Elyſios [c] ne temne: vetus quos nomen inani

Or-

(a) *Tarquinii &c.* Tarquinium cognomento Superbum Regno pulſum, ac Româ Cumas exulaſſe, ibique tandem obiiſſe, refert Petrarcha in Itinerario, & Capac. *l.2. c.20.*

(b) *Nec formidatus &c.* Averni Lacum olim inſalubris cœli fuiſſe, ſatis notum. Nunc tamen, mutato rerum ordine, ſaluberrimi quidem aëris regio eſt, atque adeò deliciis affluens.

(c) *Elyſios &c.* Campus, quos Antiqui Elyſios, Indig. nunc *Mercato del Sabato* appellant. Dicti quidem ἀπὸ τῆς λύσεος, hoc eſt a ſolutione: quòd curas ſolvant. Geminos fuiſſe, teſtantur Auctores; Alii quidem in Bœotiâ, circa

Ornat adhuc titulo: vacuumque ostentat honorem:
Umbra sui, & fluxi specimen lacrymabile secli.
Has olim sedes, hæc litora læta, beatos
Fortunatorum nemorum dixere recessus;
Felices ubi clara dies, ubi largior æther
Exciperetque animas, meritâque in parte locaret.
Nec procul hinc tenebrosa Palus, [a] atque horrida vi-
Cæruleas depromit aquas, Acheronte refuso (su
Turbida: festino vitanda celeusmate; namque
Halitus, affecto qui spirat ab aëre, quid ni
Lethifer antiquos in corpore suscitet ignes
Rursus? ut extinctæ nuper vis fumea tædæ,
Senserit ardentem propiùs si lampada, flammam
Concipit actutum: & radiis rediviva coruscat
Illa novis: vincitque iterum fulgore tenebras.
Susceptæ idcirco, cursus ne longior obsit,
Meta viæ hæc fuerit; satis hìc considere: fractum
Ne labor afficiat; Cœli & mutabile ad horas
Ingenium morbisque aditum, lethoque recludat.
Si verò afflictæ timor est contagia mentis
Ne vitient artus: pejoraque damna facessant;
Non ego laxandis, curisque, animisque negarim
Opportuna iterum Zephyro dare vela ferenti.
Ora tamen suspecta, cito libanda phaselo

Vix

---

ca Thebas, ut inquit Lycophron: quorum etiam meminit Virg. *Georg.* 1. Alii hi, de quibus hic fermo. Loca adeò deliciis referta, ut Poëtis fabulandi ansam dederint, sedem illic Beatorum esse; quò scilicet Piorum Animæ a Lacu, qui nunc *Mare morto* dicitur, Charonte Ductore, trânsmeabant. Quod quidem ex eo natum, quòd cum cadavera in Civitatibus tumulari Leges non sinerent, transferebant in Campos, quos Elysios vocabant. Et nunc quoque videte licet loculamenta quædam vità functorum Urnis servãdis accommoda.

(a) *Nec procul hinc tenebrosa Palus &c.* Acheron, Palus Acherusia dicta est, inter Cumas, & Misenum. De quâ Strabo *l.* 5. Plin. *l.* 3. *c.* 5. Virg. *l.* 6., & Silius *l.* 12.. Indig. *Lago della Colucela*. Confunditur quandoque ab Auctoribus cum Lacu Averno. Utrinque aditum ad Inferos patere fabulati sunt Poëtæ. Consulatur Capac. *l.* 2. *c.* 24., & *La Guida de' Forestieri*, *pag.* 142.

(a) *Dare*

Vix tibi ; ſed ſomno nuſquam tua lumina credes ;
Capta quies ne forte, poros dum laxat hiantes,
Rurſus agat nocuum patefacta per oſtia virus,
Spirat ab ancipiti corrupta quod aëre Tellus.
Sic præcepta meis ſervantem tradita dictis,
Te vocet Iliacis lituo memorandus, & armis
Dardaniæ Tubicen Claſſis : [a] quique Hectora circùm
Victor in Argolicas acuebat prælia turmas ;
Et ſuper impoſitum tumulo remumque, tubamque
Monſtrabat, ſpeculâ ſurgens Miſenus ab altâ.
Grandia ſed quando cupias veſtigia luxûs,
Et veterum noviſſe operum ; Mirabilis hìc te
Hærentem Piſcina [b] acie defiget in unâ.
Illa quidem artificis documentum inſigne laboris
Durat adhuc, ſuperatque ævi fata invida ; vinci
Neſcia ; & Agrippâ vivax auctore renidet.
E geminis Boream valvis, Auſtrumque tepentem
Reſpicit ; hàc partes poteris deſcendere in imas,
Quâ bis viceno per apertum limen utrinque
Ducit iter declive gradu. circùm undique celsâ
Diſtinctus præcellit apex teſtudine ; pilis
Alta quaterdenis latè fulcitur, & octo :
Quæ tibi quadrato ſurgentes ordine perſtant,
Quæque decuſſatim ſummo tolluntur in auras

(a) *Dardaniæ Tubicen Claſſis &c.* Miſenus nempe Æneæ Tubicen: a quo ibi ſepulto, Locus ille *Capo di Miſeno* appellatur; illuſtre Tyrrheni maris Promontorium: olim Cœli clementiâ, Villarum nobilitate, antiquarum rerum monumentis celebratiſſimum: ſummorum Imperatorum conſuetudine, Piſcinis, Portu Romanæ Claſſis, admirabili ædificiorum mole inſignitum.

(b) *Piſcina &c.* De Piſcinâ hâc, quæ vulgò *Mirabile* dicitur, audiatur Capac. *l.2.c.21.*; *Opus regium,* inquit, *concamera-tione pilis 48. innixâ ; qua quatuor ordinibus quaternario numero diſtributa, symetriam quinctuplicis porticus per elegantem longitudinem efficiunt. Longa paſſus CCL., lata CLX.. Lateritia ſtructura, parietibus diligentiſſimo tectorio veſtitis, ut aqua reſiſteret. Per ſcalas lapideas ex duobus lateribus graduum 40. in eam deſcendebant. Pavimentum ſummâ induſtriâ conſtipatum, adhuc aquas retinet. Lucullî opus arbitrati ſunt ; Agrippa tribuo : ut aquis* (in Miſeno quippe idem celebrem Portum perfecerat) *Claſſi conſuleret.*

Vertice: ſtagnantum felix munimen aquarum.
Parte aliâ ſervire olim quæ rura Latinis
Deliciis potuere, ſitu ſqualentia turpi,
Et filicum cernes, denſiſque obducta ſalicti
Frondibus; & properi ſpecimen lacrymabere ſecli.
Nec ſua ſub vaſtis poſſet Vivaria ſulcis
Noſcere, Cæſareas fugiens Servilius [a] iras:
Speluncaſque [b] Cavis foſſas, quarum altera ſemper
Exciperet Soles, admitteret altera nunquam.
Vos etiam, Domini [c] caſuſque, & fata ſecutas,
Conterit inſultans, & vomere durus Arator
Findit agens, claris olim penetralibus, Ædes,
Aſia certatim, & Piratica bella ſonantes,
Et triplices Magni, victo Mithridate, Triumphos.
At pateat tamen ante tuis quàm ſemita plantis,
Percipe quæ moneam. ſenſim hanc, & lenè terendam
Carpe viam: ne laſſa iterum tua membra fatiſcant.
Feſtinum, ſed lentà velim. præfulgeat ortu
Sol priùs; inde domo te proripe: roſcidus æther
Cæſariem primo madidam ne ſpargat Eoo.
Hæc fortaſſe aliis ridenda pericula, cautum,
Ac memorem te jure volunt; ne damna reſumant
In tua converſas Clotho, Lacheſiſque ſagittas.

Non

(a) *Servilius &c.* Ad Acheruſiam fuit Villa P. Servilii Vatiæ, qui Iſauricus dictus eſt, ab Iſauro, minoris Aſiæ regione, ab ipſo captâ, debellatis Piratis, cum Conſulatum gereret, Anno ab Urbe conditâ *677.*; *Dives* per Antonomaſiam appellatus. Vide Senec. *Epiſt.55.*, ubi de Villâ hâc fuſiùs. A Tiberio Cæſare deinde exagitatus, ejus crudelitatem fugiens, in hanc ſe recepit, atque in ipſâ conſenuit.

(b) *Speluncaſque &c.* Recenſet Senec. loc. cit. *Speluncæ ſunt*, inquit, *duæ magni Operis, laxo atrio pares, manufactæ: quarum altera Solem non recipit, altera uſque in Occidentem tenet.*

(c) *Vos etiam, Domini &c.* De Villis Pompeji Magni, C. Cæſaris, & Marii in Bajanâ Regione, Senec. *Epiſt. 51. Impoſuerunt*, inquit, *ſummis jugis montium: ut ſcias, non Villas eſſe, ſed Caſtra . . . Videbatur hoc magis militare, ex edito ſpeculari latè, longèque ſubjecta.*

(a) *Ca-*

Non ego Castrenses Marii, [a] vel Cæsaris [b] Hortos,
Pisonumque Lares: [c] non, quos Mammæa [d] colebat,
Regificos patiar te nescivisse penates.
Ipsa etiam, obtutum vel nunc fugientia, latè
Strata solo (miserum!) vix Lucullana [e] revises
Tecta; videbatur cœtu quæ mollis Amorum,
Et Charitum stipata choro struxisse Voluptas.
At quamquam immerito jaceant nunc obruta Fato
Illa: tamen Fati nunquam violentia, nunquam
Tot varia annorum series per tempora, Cœli
Turbavit placidos mutato sidere mores.
Dum licet hìc trivisse dies, hìc signa repulsi
Si qua mali suberunt, penitùs delenda; suasque
Exerere Inarimes poterunt Hydreumata vires.
Ne tamen Herculeos post hinc appellere Baulos [f]
Displiceat. scopulos inter memoranda requires
(Nomina nunc tantùm) famæ monumenta vetustæ.
Namque tuas nunc usque sonant vel diruta laudes
Saxa: tuum celebrant, Hortensi, [g] nomen & undæ.

(a) *Castrenses Marii &c.* Refert Villam hanc magnificentissimam in Miseno, præter Plin. *l. 18. c. 6.*, Plutarchus *in Vitâ Marii.* Quam emptam primò asserit a Corneliâ septuaginta millibus sestertiûm cum dimidio: deinde quingentis millibus, & bis centum a Lucullo. Huc Marius septies Consul senio confectus secessit. Hortos Castrenses appellat Auctor: in his enim Marius Topiaria ad morem Castrorum distinxerat. Illa Eulalius *lib. 3. Botanic.* elegantissimè describit.

(b) *Cæsaris Hortos &c.* De his Senec. loc. cit.; Additque Capac. *l. 2. c. 23.* Statuam ibi repertam cum hâc Epigraphe - *Gen. C. Jul. Cæs.*

(c) *Pisonumque Lares &c.* De Villâ Pisonum Bajis mentio apud Tacit. *Annal. l. 15.* & in hâc maturandam esse Neronis cædem, Conjuratos, renuente tamen Pisone, decrevisse testatur.

(d) *Non, quos Mammæa &c.* Juliæ Mammææ Matri Alexãdrum Severum Imperatorem Ædificia illustria posuisse, & Stagna in Bajano, scribit Lampridius: ut in illam pietatem ostenderet.

(e) *Vix Lucullana &c.* Celebrem Luculli Villam in Miseno describit Capac. *l. 2. c. 21.*, Suet. *in Tiber. c. 73.*, & Tac. *Annal. lib. 6.* asserunt in hâc obiisse Tiberium.

(f) *Baulos &c.* Bauli, Ital. etiam *Bauli:* inter Misenum, & Bajas:

- - corrupta Boalia Baulos
Nunciat hæc ætas - inquit Symmachus. & Boalia quidem, quasi Caula Boum; a Bobus Geryonis, quos huc Hercules adduxit; hinc Sil. *l. 2.* *Herculeos* vocavit Baulos.

(g) *Saxa: tuum celebrant, Hortensi &c.* Memorandæ in hoc litore fuere

Q. Hor-

Et meminiſſe volunt doctæ præconia linguæ,
Auſonidûm toties inter ſubſellia Patrum
Dum vel jura dares: fremeret vel Curia plauſu.
Te quoque, crudelis [a] monſtrantem vulnera Nati,
Hìc utero extinctam lacero celantque, premuntque,
Agrippina, tuo fatalia litora buſto.

Aſt age, quæſitæ ſi quando cura ſalutis
Solicitat: tractuque ſedet meliore vagari;
Grata Dicarchæis invitent jugera pratis;
Hæc pete; nec deſit quæ te feſtiva ſequatur
Turba frequens: tecumque horas, tecum otia fallat.
Alliciat geniale ſolum, mollique tepentes
Temperie, & ſudo ſurgentes æthere Soles.
Te nemora, &, pleno quæ culta exuberat anno,
Fertilitas, luxuque vocet Pomona perenni.
Maternâ nam ſive ſuos ex arbore fœtus,
Dulcia adoptivis pariat ſeu munera ramis;
Hìc tempeſtivo, partuque hìc præcoce ſemper
Laxat Terra ſinus; & dum ſe læta recentem
Induit in florem, plantis matura ſub iiſdem
Dat facili legiſſe manu ſua poma Colono.

Huc tibi ſi celeri libeat divertere curſu:
Hìc duxiſſe moras: non te curſuſque, moræque
Pœniteat, patrioque diu caruiſſe receſſu.
Nam tua te validis anniſque, & viribus auctum
Tecta domo excipient; longâque ætate ſenectam
In ſeros cernent extendere poſſe Nepotes.

Pinguia ſed vacuus cum dein mirabere culti
Dona ſoli: rigidos jamdudum experta ligones
Nym-

Q. Hortenſii celeberrimi Oratoris Piſcinæ; ex quo Trironem, & beatum Piſcinarium appellabat Cicero *lib. 1. ad Attic. Epiſt.* 14., & Varro *lib. 3. c. 17. De Re ruſtica*.

(a) *Te quoque, crudelis &c.* Celebres etiam Bauli ob necem Agrippinæ Neronis Matris hic Filii juſſu peremptæ, & tumulatæ. Recole Tacit. *Annal. l.* 14.. Locus Noſtrat. *Il Sepolcro d'Agrippina* dicitur. Capac. *lib. 2. c.* 22.

(a) *Nym-*

Nympharum, [a] & jactis Neptunia Templa [b] per agros
Ruderibus latè videas tumulata. nec umbras
Discutit hìc antiqua Pharos [c], quæ sideris instar
Noctivaga in tutas direxit lintea ripas.
Lucrino [d] appositas quis, claustra ingentia, Moles
Indicet: & laceris olim gratissima velis
Ostia? quò Cluvii [e] concessit adulta Viretis
Flora? vel illa, tuis crevit quæ, Lentule [e], fundis?
Ah ne quære; frui satis est si possit inani
Nomine, mortales optet dum forte Viator
Inspexisse vices. Et te quoque, Sylla, [f] Quiritûm
Pessime, posthabitis fama est hìc Fascibus, Urbis
Dictatorem, olim curas, atque Orbis habenas
Deposuisse; tuis ultro felicia votis
Tempora pollicitum, post tot funesta tuorum
Excidia, & saturum civili sanguine Tibrim.
Demens, qui pœnas vel Cœlo vindice vellet
Effugere, & tardos in crimina credere Divos!
Tu modò tot veteres, tot circùm labilis ævi
Relliquias, oculo lustras dum singula, gressum
Com-

(a) *Nympharum &c.* Nympharum Templum Puteolis sub Domitiano, commemorat Philostratus in Vitâ Apollonii *lib.* 8., albo lapide constructum, & vaticiniis celebre.

(b) *Neptunia Templa &c.* Nunc etiam Indigenis *Il Tempio di Nettuno.* Hujus ruinæ extant adhuc. Meminit Cic. *Academ. Quæst.* 4.; & Appian. *l.* 5. *De Bello Civil.* narrat hìc Cæsarem Augustum contra Antonium pugnaturum Neptuno Tutelari litavisse, porrectis e Prætoriâ navi extis in mare. Consule Capac. l. 2. c. 20.

(c) *Antiqua Pharos.* In Portu Puteolano Pharum fuisse, Turrim scilicet ad prælucendum noctu, notat Plin. *lib.* 36. *c.* 12.: ubi enim multi *Potneosiaca*, alii *Ostia*, alii *Puteolis* legunt: præsertim Editio Lugdunensis 1561. apud Jo: Frellonium; idem sentit Cap. *l.* 2. *c.* 24.

(d) *Lucrino &c.* Claustra Lucrini (nunc *Lago di Licola*) fuere in hoc Portu Julio (de quo Virg. 2. *Georg.*) Moles, quibus Tyrrhenum a Lucrino sive Augustus, sive Agrippa vel seclusit, ut Plin. *l.* 36. *c.* 15.: vel in illum immisit, ut Suet. *in Aug. c.* 16.. Verius utrumque: & immissum moderatè influens: & seclusum nimis intumescens.

(e) *Quò Cluvii &c.* Hortos Cluvii (de quibus Cic. *ad Attic. l.* 14. *Ep.* 18.) & Lentuli Romanorum Civium describit idem Capac. loc. cit.

(f) *Et te quoque, Sylla &c.* L. Sylla (qui post sexcentas Rom. Civium cædes, *Felicis* nomen assumpsit: ut Plin. *l.* 7. *c.* 4) teste Plutarco in ejus Vitâ, cum Dictaturâ se abdicasset, privatus Puteolos concessit: ubi Phthitiasi correptus occubuit.

(a) *Aspi-*

Comprime; erunt vel longa moræ diſpendia tanti.
Aſpice quà curvis [a] latum patet æquor aratris,
Ut ſe ſe extendat Circo ſpectanda capaci
Area: quæ Caveis olim par una Latinis,
Romulei emicuit plauſu celebrata Senatûs.
Armeniæ [b] potuit quæ dignam Rege coronam,
Æternum & tanto ſub Spectatore mereri
Nomen; agonales, oleo dum ſparſa, palæſtras
Non ſemel exercet: ludiſque operata Juventus
Amphitheatrali celebrat ſpectacula pompâ.
Clara tot a Pugilum palmis: ſibi ſanguine magnum
Qui fuſo peperere decus; ſed clarior inde [c]
Imperio quòd ſæva tuo te monſtra prementem
Senſit ovans mediâ, JANUARI victor, arenâ;
Objectumque Feris & quæ te vidit, inermes
Vidit & ante tuos poſitâ feritate Leones
Procubuiſſe pedes, molli veſtigia linguâ
Lambere, & attonitos circùm proſternere rictus.
 Nec te priſca quidem relegentem exordia rerum,
Hìc Labyrintheo [d] confuſa errore viarum
Limina: non cæcis ambagibus antra morentur.

Fle-

(a) *Aſpice quà curvis &c.* Puteolis ad D. Jacobi, Amphitheatrum ovatâ formâ cernitur: quod Aream habet lõgitudinis pedum CLXXII., & latitudinis LXXXVIII.: vulgò *Il Girone*. Amphitheatrum hoc olim nec Romano ipſi de magnificentiâ conceſſit. Adfuere hic ſæpenumero Romani Senatores ſpectaculis; imò Suetonius in *August. c. 43., & 44.*, tradit, occaſione ex Amphitheatro Puteolano arreptâ, ſpectandi leges prodiiſſe; cum Auguſti Decreto Loca ſeſſionum diſtributa Senatoribus, Legatis, Prætextatis, cæteriſque ſecundùm ſuas claſſes.

(b) *Armeniæ potuit &c.* Tyridatem Armeniæ Regem Spectaculis Amphitheatri Puteolani exceptum a Nerone, refert ex Dion. *in Neron.* Capac. loc. cit.

(c) *Sed clarior inde &c.* In hoc Amphitheatro D. JANUARIUM Præſulem, ac Martyrem invictiſſimum cum Sociis objectum Feris, illæſum inde evaſiſſe, illis ad ejus pedes procumbentibus, ac veſtigia lambentibus, ſatis abunde notum.

(d) *Hìc Labyrintheo &c.* Multa Amphitheatrum hoc habet circùm camerato opere ædificia: & quædam ſubterranea, tam implexâ oſtiorum ambage, ut non immeritò Antonius Sanfelicius Patritius Neapolitanus, in ſuo *De Campania Situ* Opuſculo Labyrinthum appellaverit; a quo, abſque duce, vel circumducto funiculo exitus negetur.

(a) *Stu-*

Flecte viam; ſterilique horret quà litus ab algâ,
Viſere ne pigeat ſtudiis loca culta Minervæ, [a]
Auctori celebrata ſuo; quò ſæpe reverſum
Jurgia poſt clamoſa Fori, poſt grata Clientum
Obſequia, inſanumque ſophos, Facundia magnis
Incumbentem auſis, tractantemque ardua, Tulli,
Te vocat; auſpiciis & quò melioribus uſa,
Te Duce, jam ſpretis Academia ceſſit Athenis.
At legere actutum caveas Itacheſia Baji [b]
Litora; tranquillo quamvis lunata receſſu
Acta; ſalutari quondam placidiſſima portu
Digna coli, Statio ſed nunc tantùm apta carinis.
Peſtifero ſedenim gravior qui gurgite fuſus
Spirat odor, morbis facilem dabit ille recurſum:
Et ſtimulos iterum fatis ceſſantibus addet.
Ergo iter haud Triviæ, [c] Veneri [d] non ſacra retardent
Templa; nec incultis latitans Cyllenius [e] aris.
Lævum Nauta petat: lævum tibi verberet æquor
Remus; aprica iterum repetentem rura Dicarchi
Sulfureo te Phlegra [f] ſinu, mitiſque ſereno

Aura

(a) *Studiis loca culta Minervæ &c.* M.Tullii Ciceronis Villam indicat ab Averno Lacu (nunc *Lago di Tripergola*) Puteolos versùs. Videatur Plin. *lib.*31. *c.* 2.. Academiam illam vocavit Cicero, ab Athenienſi Academiâ ſatis celebri: ex quâ Platonis Diſcipuli Academicorum nomen ſortiti. In hâc Tullius Libros, Academicarum Quæſtionum idcirco dictos, compoſuit. Poſt Ciceronis obitum, poſſidente illam Antiſtio Vetere, ibidem calidi Fontes erupere, perquam ſalubres oculis: celebrati carmine Laureæ Tullii, qui fuit e Libertis ejus; ut videre licet apud eundem Plinium loco cit.

(b) *Itacheſia Baji Litora.* Ital. *Baja*: a Bajo, ſeu Bajâ, ut Strabo *l.*5., Ulyſſis comite ibi ſepulto. hinc Silius *l.*8.

- - - ardens
Ore Giganteo ſedes Itacheſia Baji.

Deliciarum olim ſedes: maligni nunc cœli regio.

(c) *Ergo iter haud Triviæ &c.* Dianæ Templum in Bajano, ex Capac. *l.*2. *c.*24.

(d) *Veneri non ſacra &c.* De hoc Veneris Templo locutus eſt Mart. *lib.*11. *Epig.* 81.

(e) *Nec incultis latitans Cyllenius aris.* Mercurii Templum ibidem, cujus adhuc ruinæ. Indigen. *Il Truglio* appellant.

(f) *Phlegra &c.* Noſtratibus *La Solfatara* in Agro Puteolano; Forum etiam Vulcani dicta eſt: Campus (ut Strabo *lib.*5. relatus a Capac. *lib.*2. *c.* 24.)

Aura die impellat; tumidis nec flamma caminis
Terreat, aut nitro, sparsive bitumine campi,
Et circùm effuso candentes sulfùre colles.
Alter ab Ænariâ non est redeuntibus aër,
Ora salutifero nec lætior altera tractu.
Vidi equidem, multisque animo non excidit annis,
Insignem formâ Juvenem, quem sanguine clarum
Patricio, titulisque Atavûm, generosa crearat
Parthenope, gentile solum; sed acerba Parentum
Gaudia pubenti Sors intercidit in ævo.
Nam quater exactum lustris labentibus orbem,
Immatura quidem, postquam compleverat ætas;
Indecores subitò visi pallescere vultus,
Florentesque genæ; dum se furtiva per artus
Insinuat tractim, serpitque per intima tabes.
Non illum Inarime letho subducit; inertes
Culpat Aquas, Thermasque, & inertes culpat Arenas.
Dum tamen attentâ Chiron parat arte levamen
Occultis adhibere malis; pete fumida, dixit,
Arva, Giganteam vel nunc testantia cladem,
Vulcanique Forum: & lethalem averte ruinam.
Paruit ille; brevique novis se viribus auctum
Sensit: & antiquo redivivam flore Juventam.
Namque ut Fossilium medicatos ore vapores
Ebibit: extemplo quæ corpore tecta latebat,
Et clam se infudit media inter Balnea virtus,
Ex-

24.) circùm undique inclusus supercilis ignitis, quæ passim tamquam e caminis incendium magno cum fremitu exspirant. Leucogæi montes ab albedine sulfuris etiam appellati. In hoc loco devicti ab Hercule Læstrygunes Gigantibus non absimiles, locum Fabulæ dederunt: hoc scilicet in campo prostratos Gigantes Jovis fulmine, cum bellum Superis movissent; atque hinc Sulfur in illas oras immissum. Et Phlegra quidem a φλέγειν Ardere. Planus quidem locus est, & ovatum veluti Theatrum ostentans. MCCXLVI. pedum ejus longitudo, latitudo verò mille, & amplius. Sulfure, Alumine, Chalcantho, Nitro, Sale Ammoniaco, Chalcite, aliisque id genus redundat. Meminere Philostratus, Petronius, Silius, Claudianus, Plinius, Aliique.

(a) Ut

Excita prosiluit: tabemque operosa repressit.
Est etiam hìc animi quædam novisse voluptas
Ingenio Natura ferax ut polleat: utque,
Una licèt, vario prodat se plurima fœtu.
Namque ibi Chalcantho stant circumfusa frequenti
Rura: fluit mixto Chalcitis Alumine: candet
Hìc Ammoniaco passim sale perlita multo:
Et sua non lento profert medicamine Tellus
Dona: metalliferas aperit ditissima venas.
Atque equidem indigenas ni jam permensa liquo-
Inarime in patrio legeret sua carbasa ponto: (res
Votiferâque meas suspenderet arbore lauros:
Me novus hinc alias fortasse tulisset in oras
Ardor, ut Argillas, [a] pretiosaque Marmora terræ
Scrutatus canerem, Gemmasque, & fœta Metallis
Jugera; quoque modo succis stagnantibus uber
Cresceret in glebas humor; Gummique lateret
Terrarum in medio, pretiumque accenderet arvis.
Hæc majòre tamen cogor tractanda cothurno
Præteriisse. dabunt at si pia Numina tristes
Et rerum calcare vices, & temnere Parcas:
Forsan & Ascræum, nec tunc novus advena, collem
Ingrediar, sanctumque nemus; nexisque secundâ
Fronde comis, mihi Cirrha novos decurret in haustus;
Tunc iterum occultos ausus pervadere fines,
Secreti per operta soli, terræque meatus,
Abditaque immissum ducam per viscera Phœbum.
At mihi si versis hoc in contraria fatis
Invideat Fortuna decus; meque aspera nolit

 Hanc

(a) *Ut Argillas &c.* Proponit hìc Auctor (ut in *Not. lib. 4. pag. 174. lit. a.*) præconceptum a se Opus *De Fossilibus*, quatuor distinctum libris; in quorum primo agendum de Argillis, earumque virtutibus: In secundo de Lapidibus præsertim marmoreis, ac pretiosis: In tertio de Metallis: In quarto de Gummi, seu Succis, qui in Terræ sinu coalescunt.

(a) *Æglen.*

Hanc iterum facili laurum prensare Camœnâ;
Ille sibi arripiat, cultu ferat ille feraci,
Quem, mea dum spatiis puerum propsoribus ætas
Insequitur, primo raptum delegit ab ortu
Phœbus; inaccessam Musis & deserat Æglen: [a]
Et veteres Pindi Lodoix [b] instauret amores.
Ille cothurnati vestigia clara Maronis
Et premat, & nostram cursu sibi lampada poscat.
Inque novum veniat deductum Fossile carmen,
Et venâ meliore fluat: cum sorde repulsâ
Callaico poterit certare illustrius auro.
Hic tibi, Zuziade, [c] dum tendit ad ardua victor,
Ponè sequendus erit; non hoc monstrante subactum
Te pigeat vertisse solum, terramque sub imam
Pierio arcanas ferro explorare fodinas.
Quot tibi laurigeris hæc una ligonibus olim
Fossa recludet opes! meritis quot germina sertis
Culta dabit! Clarios demum quibus inter alumnos
Ibis io, gentile ferens ad sidera nomen!
Extremos tamen ante mihi Pimplea receptus
Quàm canat, Invalidos non hìc sub fine tuendos
Deseruisse velim. susceptas perfice partes
Tu quoque, nutantis cui credita cura salutis.
Eradenda mali penitis elementa medullis,
Ne labem erumpant iterum; neque corpora noxæ
Vel tenui patuisse sinas intuta; sagacem
Pars fugiat non ulla aciem. cutis, extima quamvis,
Ex-

(a) *Æglen.* Ægle, Ital. *Pizzofalcone*, (ut in *Not. lib. 1. pag. 14. lit. b.*) ubi Domus Probationis Soc. Jesu; quam *Inaccessam Musis* appellat, quòd ibi Tirones, interdicto quocumque Studiorum exercitio, ad pietatem unicè incumbant.

(b) *Lodoix &c.* Intellige P. Dominicum de Ludovicis Soc. Jesu olim in Collegio Neapolitano Philosophiæ Professorem, atque optimè de Poësi meritum: Moderatorem nunc ejusdem Neapolitanæ Domus Probationis.

(c) *Zuziade.* Franciscus de Zuzlis Soc. Jesu Humaniorum literarum Professor in Neapolitano Collegio.

(a) *Vi-*

Exploranda : olli ne quidquam forte decoris
Detractum, Hydrei si quando exhorruit undis
Durior: & dextram tactu nimis aspera lædit ;
Lenæos oleo Latices tunc funde : manusque
Sedula continuò madefactos perfricet artus,
Ante diem rapidis quàm cursibus efferat Æthon
Cuncta sed hæc peragas ut blandiùs, arte cavendum,
Plurima ne moneas : Ægrum præcepta fatigent
Ne tua : commotas & iure insurgat in iras .
Quin , ubi contractæ prospexeris horrida frontis
Nubila , tristitiæ pulsâ fac nube recedat
Caussa : serenatæ redeant sua gaudia menti .
Ut tamen Inarimes quicumque recedit ab oris
Tutum carpat iter , securaque litora tangat :
Ne grave sit comitem vel te quandoque viarum
Addere ; sic Prochyten versùs cum flamina ducent,
Te Prochyte , lætis & te Vivaria [a] ripis
Detineant . aliò si cursum vertere fas est ,
Mantoi sedes tunc vel lustranda Lycei , [b]
Vel scopulis Euplœa suis , vel proxima Nesis :
Concinit Actiaci [c] quam dum Pastoris arundo ,
Multa solum fugiens Italæ levat aura Camœnæ .
Et tibi Tyrrhenæ [d] placeant turrita Minervæ
Culmina , Monticole , [e] morbisque inimica Neranis, [e]
Vel montana Casis , [e] vel colles inter , & umbras
Pantagathe, [e] Lacharisque , [e] & quas Constantius olim

 In-

(a) *Vivaria*. Vide *Not. l. 5. pag. 259. lit. a.*

(b) *Mantoi sedes &c.* Vulgò *La Scuola di Virgilio*: in Continenti, Euplœam contra, de quâ *in Not. l. 1. pag. 16. lit. g.*

(c) *Concinit Actiaci &c.* Laudata quippe Nesis ab Actio Sannazario in suis Eclogis; atque iterum in *Arcadiâ*, quam Italo carmine celebravit.

(d) *Et tibi Tyrrhena &c.* Consule *Not. lib. 1. pag. 11. lit. d.*

(e) *Monticole &c.* Hæc nomina excogitavit marte suo P. Constantius Pulcharellius Soc. Jesu præsignis seculi sui Poëta ; qui , ut Vicos Patriæ celebres redderet , vocibus ad poësim factis insignivit ; ut patet lib. 1. suæ Pæoniæ : Idcirco dicitur hìc *inseruisse Sylvas patrias lauro, & Phœbo dicasse.* Monticole igitur Indigen. *Monticebios* Neranis. *Nerano*; quã a Tiberio Nerone di-

Inferuit lauro ſylvas, Phœboque dicavit.
At mecum Euboicis currat qui cærula lembis:
Nuper & Ænariæ Thermis, & Hydreumate læſum
Paulatim ut reparet ſub aprico ſidere robur;
Non hic Theſſalicis, non hic Phæacibus agris,
Heſperidumve Hortis blandæ Colomelidis [a] oras,
Arvaque poſthabeat: plenâ hinc quà fertilis alvo
Planiciem Pomona, atque hinc Thetis explicat undas;
Et Surrentinis blanditur collibus æquor.
Hìc mihi dulce moras traxiſſe: habitataque Muſis
Litora, Parthenio Muſas præeunte, licebit
Incolere, & doctas revocare ad tecta Sorores.
Et licèt extincti exuvias, [b] defletaque Vatis
Terra aliis premat oſſa plagis: ubi mixta liguſtris
Caltha ſuper Cineres, fortunatamque favillam
Lilia naſcuntur violis; tamen hanc quoque ſedem
Pompa decet: tumulum viduo dum litore inanem
Hoc ego conſtituam voti reus: hunc ego lauris,
Quas ſibi, ſylveſtrem Pimplæ populatus honorem,
Meſſuit, inſternam ſupplex; aſtriſque receptam
His animam officiis, hoc munere proſequar Urnam.
Dum tacito interea laxantur fræna dolori,
Tentandum dare juſta chely. melioribus unquam
Haud litat inferiis: aliter non Cirrha parentat
Quàm gemitu, & rauci confuſo murmure plectri.

Huc

dictam putat Capac. *l.2.c.13.*: *Caſis*, Indig. *Caſa*: *Pantagathe*, Indig. *Santagata*: *Lacharis*, vulgò *L'Acquaro*.

(a) *Colomelidis &c.* Colomelis, Noſtrat. *La Cucumella*: Villa in Surrentino, ubi Domicilium Soc. Jeſu Patribus. Colomelidis Nymphæ nomine celebrat paſſim in ſuis Operibus Nicolaus Parthenius Giannettaſius ejuſdem Soc., qui feriatus a Matheſeos prælectionibus, huc ſe quotannis ad Poëſeos ſtudia referebat. Hinc non abs re Parthenius ipſe in Surrentinis Æſtatibus Diſtichon recenſet a quodam Poëta præ Parthenici cubiculi foribus appictum, ad ejuſdem poëtica opera alludens hoc pacto

Hic locus eſt Muſis, & Phœbo cognitus: ex quo
Artem Piſcator, Navita, Miles habet.

(b) *Et licèt extincti &c.* Maſſæ enim ad Delubrum, diem ſuum obijt apoplexiâ perculſus, ibique ſepultus eſt.

(a) *Nam*

Huc numeris assueta cohors, fœcundus Olorum
Quam Genitor Sebethus alit: vittata cupressu
Conveniat: citharamque novis singultibus aptet.
Nam, quater emenso [a] sua per vestigia Cœlo,
Dum referet se se rursum qui volvitur annus,
Altera, Septembres quæ post mihi nascitur Idus,
Dura dies aderit, memori quæ semper acerrâ,
Semper honore meo celebrabitur: aspera quando
Semper Olympiaci [b] renovabit funera Cycni.
Ergo agite, &, quales laniatum corpore flentes
Orphea, Pangæas miseris clamoribus arces
Implevere Deæ, querulas hìc promite voces,
O Socii, geminentque pios lugubria questus,
Carmina, sed tristes inter mœstissima fletus
Carmina nunc iteranda; neget quis carmina Vati,
Quo Duce [c] Mæoniis patuerunt Martia Divis
Castra: Medusæam tractavit & ægida Pallas:
Et tandem a bello meruit Bellona vocari?
Hoc monstrante, suâ felix Piscator in Actâ
Retia tendit aquis. sub tanto Nauta Magistro
Tutiùs Euboico jam nunc de litore solvit,
Auroramque petit. validis hoc classibus æquor
Cingimus: & mediis hoc Præceptore parantur
Bella fretis: Nereoque furens dat jura Gradivus.
Nec Latiis [d] quisquam Phœbeo percitus œstro
In-

(a) *Nam, quater emenso &c.* Quartus enim annus erat ab obitu P. Giannettasii, cum hæc Auctor ederet, anno nimirum 1719.: Fato quippe ille cessit 18. Kalend. Octob. 1715.

(b) *Olympiaci.* Vide *Not. lib. 4. pag. 275. lit. a.*

(c) *Quo Duce &c.* Giannettasii Opera describuntur: Bellica nempe, Halieutica, Piscatoria, Nautica, & Naumachica.

(d) *Nec Latiis quisquam &c.* Subductis rationibus erutum, neminem hactenus e Latinis Poëtis tot numero edidisse carmina, quot unus edidit Parthenius. In Bellicis nimirum 11455: In Halieuticis 8675: In Piscatoriis 1154: In Nauticis 7958: In Naumachicis 1790.: quibus adde Saberidem posthumam, in quâ 8128. numerantur; quæ omnia in unum collecta, conficiunt 41160.

(a) Ca-

Insonuit plectris tantùm: non alter ab illo
Auxit Apollineas, versu numerosior, artes.
Debita sed nostro postquam suspiria luctu
Parthenii Cineres, lacrymasque hausere favillæ;
Tolle sepulcrali funestam germine taxum:
Et lauro crines, & floribus insere laurum
Lætior, O teneris primùm mihi cognite lustris,
Thespiadum dignate choro: quem sanguine natum
Patricio, Heroum nutrix Capuanide Siren [a]
Gente tulit, clarum factura nepotibus omen.
Et quoniam sacras Torquati [b] accessimus Ædes,
Formosamque cavæ resonant Chlorindida rupes:
Te juvet hìc Italas octonis versibus aptas
Increpuisse tubas; erit hæc poscentibus Ægris
Gratior, & Stagno medicina salubrior ipso.
Hoc bene promerui, tunc cum subiisse penates
Te prior Aonios docui; vocalia mecum
Fila manu tenerâ dum tangis: & ardua Pindi
Per juga Castalios potuisti impellere currus.
Hic mihi (quodcumque hoc) tanti moliminis Auctor,
Hortatorque operis; per quem toto Orbe locatis
Primus ego in Thermis admisi e Phocide Musas;
Primus aquas, Ægrisque tuam subeuntibus oram
Ausonio victor potui præscribere plectro,
Inarime, medicas (si qua est ea gloria) leges.
Ultima sed vigili nunc me præcepta ferentem
Excipiat memor aure, imbres quicumque secundos
Sensit: & incolumis patrium contingere limen
Evaluit, rapidisque moras innectere fatis.
Hunc

(a) *Capuanide Siren &c.* D. Franciscum Capuanum, Patricium Neapolitanum, qui fuit olim in humanioribus disciplinis Auctoris Auditor.

(b) *Et quoniam Sacras Torquati &c.* Surrentum nimirum Torquati Tassi Natale solum: ut vulgò apud Nostrates.

(a) *Quip-*

Hunc ego (post partam namque hæc te prima salu-
Cura decet) jubeam Divis, ubicumque licebit, (tem
Cœlitibus grates, & dona rependere templis:
Thuraque votivas adolere effusa per aras.
Dein mihi ne nimiùm reparatis credere tentet
Viribus, & dubiæ se se committere sorti.
Quot reduci siquidem fallax fiducia morbo
Perdidit incautos, quot spes infida fefellit!
Quique olim adversis vel tempestatibus acti
Securam medio tenuerunt æquore puppim,
Proh quantum in portu passi discrimen! in ipso
Namque vado instabiles pelagi sensere tumultus;
Et fuit insanis pellacia durior undis.
Ipsa quidem (comperta loquor) licèt utilis Ægro,
Integrat antiquum vitæ dum lympha tenorem,
Parte aliquâ medicina nocet; nam sæpe caloris
(Inarimes quo Stagna flagrant) dum plurima fervet
Vis, habitum quandoque, & corporis intima lædit.
Quod nisi tu prudens certes cavisse, periclum
Tum prope, fatali ferient te turbine fluctus.
Scimus ut Ænariâ plures qui penè relictâ
Indulsisse volunt epulis, nec parciùs uti
Muneribus, Lenæe, tuis: discrimine fractum
Hinc alio, exortis caput objectasse procellis.
Immodici sedenim quem non violentia Stagni,
Non morbi læsere, domestica perdidit inter
Prandia luxuries; atque hinc amor ipse parentum
Sæpe novercali nocuit crudelior irâ.
Maternisque perit soboles extincta frequenter
Blanditiis, dirum quæ tuta evaserat hostem.
Hannibal ut quondam, quem nullius ira Gradivi
Perculit, OEnotriæ quem non potuere phalanges,
Non Trebiæ, Cannæque simul, Trasymenus, & Alpes
Frangere, deliciis tandem Campania fregit.

Quip-

Quippe ubi non cyathis,[a] dapibus non ebria parcit
Turba, novo accensi tunc debile fomitis æstu
Incaluitque jecur, tumidumque incendia sensit.
Nec mora, collectis non parcâ nuper ab escâ
Viribus, haud ullas tum sustinet ardor habenas:
Perque cutem lymphatus abit, nec se capit intus.
Tunc & Erysipelas[b] & membra infestat, & ora:
Excitoque tumens deturpat sanguine vultus.
Quale solet Colubri fusum per viscera morsu
Serpere, & occulto delabi tramite virus;
At gelida infecit postquam præcordia tabo,
Prosilit, atque oculis, frontique, atque unguibus hæret.
Id metuens, doctis medicam qui calleat artem
Præmonitis adhibendus erit. sic denique rebus
Prospicies: vitamque diu tutabere sospes.
Consiliis namque ille suis tibi plurima solers
Præcipiet, quæ pota juvent, quæ vesca salutem,
Atque habiles foveant deterso in corpore vires.
Hæc ego, Chalcidicis Siren quà præsidet oris,
Hæc super Ænariæ Thermis, Stagnisque canebam
Pæoniis: postquam Tauruni[c] ad mœnia Thraces
Perculit: & Latias iterum[d] mordere catenas
Edocuit CÆSAR; Nomadum dum sanguine turget
Hinc Savus, hinc Aquilis plaudit victricibus Ister;
Dum domitâ CAROLUS tandem feritate, subactis
Jura Getis potuit, pacisque imponere leges.

(a) *Quippe ubi non cyathis &c.* Consulatur Baccius l. 3. c. 6., ubi fusè de hujusmodi Eventis.

(b) *Erysipelas &c.* Erysipelas, Ital. *Risipola*: Tumor præter naturam, non altè descendens, sed in cute consistens: a bilioso sanguine obortus: colore pallido in rubrum vergente.

(c) *Tauruni &c.* Taurunum, Ital. *Belgradò*: Pannoniæ inferioris Urbs munitissima: Austriacis armis Duce Eugenio Sabaudo capta Anno 1717.

(d) *Et Latias iterum &c.* Anno quippe 1716. fusi primò Turcæ fuerant in Campis Acuminci, captâ Themesiâ, vulgò *Temesvuar*.

FINIS.

INDEX I.

RERUM,

Quæ præcipuè adnotanda in hoc Opere: quarum difficiliores per Paginarum numerum designatæ, percipientur in Notationibus, ad quas Lectorem veluti manu ducent Literulæ Versibus apposita.

D.

E.

INDEX II.

Arenarum, Balneorum, Fontium, atque Hypocaustorum Ænariæ: in quo eorum Nomina, Etymon, Situs, ac Virtus recensentur.

INDEX III.

MORBORUM,

De quibus in toto Opere sermo.

A.

B.

C.

Iste-

I.

L.

M.

N.

O.

Ophthal-

INDEX IV.

LOCORUM,

Quæ ad Topographiam tam Neapolis, ejusdemque Suburbiorum, ac Tractus, quàm finitimorum Oppidorum pertinent, nominibus ad Poësim factis expressorum.

Phle-

INDEX V.

METAMORPHOSEON

Aliquorum Balneorum, ac Fontium Ænariæ.

INDEX VI.

EORUM,

Quæ in hoc Opere aliquo pacto describuntur.

A.

B.

C.

F.

I.

L.

M.

P.

S.

Ter-

INDEX VII.

AUCTORUM,

Quorum mentio in Opere, & Notationibus: & a quibus eruta, quæ dicta sunt.

Jo:

Q. Aute-

FINIS.



Aliqua, quæ Librario exciderunt, ſic emenda.

IN CARMINIBUS.

Pag.38. ver.16. cedrus. corrige. citrus.
P. 52. v. 7. inſultibus. cor. aſſultibus.

IN NOTATIONIBUS.

*Pag.*136. *lit.b.* Quindennis. cor. annorum quindecim.
P.142. *lit.a.*, *& b.* Leibnutzius. cor. Leibnitius.
*P.*207. *lit.d. Di Soliceto.* cor. *Di Fernello.*

IN INDICIBUS.

In Indice III. Verbo, *Scabies per periphraſim.* Dele quod ſequitur, nempe: *p.*194. *v.*14.
Ibidem, Verbo, *Ulcus.* Narium *ibidem.* cor. Narium *p.*180. *v.*20.
In Indice VII. Tucydides. cor. Thucydides.

Ignoſcet reliquis benignus Lector.





